



Regula honestatis moralis seu tractatus theologicus tripartitus de regula moraliter agendi

In Duos Item Libros Dividitur: In priori potissima fundamenta, & principia moderni Probabilismi intrinseca exactè, & accuratè examinata multipliciter evertuntur, & non esse verè principia, ... In posteriori verò eundem cum modernis Decretis Pontificiis multiplici argumento ... ubi multa de ultimi ...

Camargo, Ignacio de

[S.l.], 1702

Pars Prima. Liber Primus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94767)



REGULA HONESTATIS MORALIS.

S E U

TRACTATUS THEOLOGICUS

DE REGULA MORALITER AGENDI,

PARS PRIMA.

LIBER PRIMUS.

CONTROVERSIA PRIMA.

Jaciuntur fundamenta totius Operis, & scopus ejus præfigitur.

1.



Tsi in hac prima nostri Operis parte totum consilium nostrum, & intentio directa sit, non ædificare, aut plantare, sed evellere potius, aut destruere secundum illud: *Ecce dedi verba mea in ore tuo . . . ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes;* quia tamen regulæ moralis honestatis, quam Probabilistæ designant, & quam nos ante omnia destruendam aggredimur, obliquitas, & insufficientia,

Hier. 1.

nō satis innotescere potest, nisi ad regulam primam totius rectitudinis comparatur (ut enim factum nonnisi per pulchrum, neque malum nisi per bonum, ita etiam obliquum nonnisi per rectum cognoscitur) propterea hanc primam regulam de se notissimam, & fusiùs nihilominus in decursu exponendam, tanquam totius Operis fundamentum, atque mensuram, ad quam omnia exigenda erunt, in ipsa Operis fronte constituere necessum fuit. Ex illa verò geminum aliud, principium, atque fundamentum in eundem pariter finem stabilire simul oportuit: unde facile etiam totus scopus intentionis nostræ patebit.

A

AR-

ARTICULUS I.

Quæ sit regula prima moralis honestatis, primum, atque potissimum totius Operis fundamentum?

2. **O**mnis humana, aut moralis actio ex peculiari suo conceptu dicit respectum, & habitudinem ad aliquam mensuram, & regulam rationis taxantem, atque mensurantem modum, quem ipsa tenere debeat in ordine ad ultimum finem.

3. Huic regulæ si actio conformetur, & servet modum ab ipsa præscriptum, dicitur moraliter bona, recta, laudabilis, & honesta: si verò regulæ contrarietur, aut ab ipsius directione deficiat, erit mala moraliter, turpis, vituperabilis, & inhonesta. Demum si præter regulam ipsam sit, id est, nec contra, nec juxta regulam, quia nihil hæc de illa præscribit, dicitur actio indifferens, hoc est, nec bona, nec mala moraliter, de qua in præsentem nihil curabimus; tum quia reverà nulla est hujusmodi, dum practicè, & actu exercetur, ut communior, & vera sententia docet: tum quia, quidquid sit de hoc, nihil facit ad nostram controversiam.

4. Prima, suprema, & universalis regula, atque mensura honestatis moralis est lex æterna, aut voluntas Dei, totius bonitatis originis, qui creaturas suas rationales sapientissimè dirigit, ac movet, jubendo, prohibendo, aut consulendo, quid, & quomodo ipsæ agere, vel omittere debeant, aut possint, ad suum ultimum finem liberè, & meritoriè cōsequendum. Hoc, saltem quoad substantiam, immò etiam quoad modum (nisi libeat divertere ad quæstiones de voce prorsus inutiles ad rem præsentem) non solum ex divinis sacræ paginæ oraculis, atque ex SS. Patrum doctrina, verum etiam ex ipso rationis lumine, notissimum est apud omnes, ideoque probatione non eget, sed sola terminorum declaratione.

5. Declaratur verò in hunc modum. Omnis perfectio, aut bonitas creaturarum, seu physica sit, seu moralis, est velut gutta quædam, aut stilla, à Deo, primo, & summo totius perfectionis, ac bonitatis fonte, derivata: quare eatenus erit bonitas, aut perfectio, erit itè bonitas major, quatenus imitatur summam illam, & infinitam Dei bonitatem; vel quò ad illam magis accedit per majorem similitudinem, aut conformitatem cum ipsa. Porro illud, quod est primum in quolibet genere, est mensura, & ratio omnium, quæ sunt illius generis, inquit D. Angelicus; quòd est principium lumine naturæ notum, & ab eodem S. Doctore alibi etiam frequenter usurpatum: *Unumquodque autem (ait ipse) rectum, & bonum est, in quâto attingit ad propriam mensuram.* Rursus divina bonitas, aut honestas moralis, est voluntas divina, quæ ob infinitam suam rectitudinem adæquat indefectibiliter, comprehenditque summum bonum. Patet igitur voluntatem divinam esse regulam, ac mensuram, per quam omnis perfectio, & bonitas moralis regulatur, ac mensuratur. Est ergo prima regula totius honestatis moralis.

6. Præterea omnis creata voluntas quoad omnes suas operationes est naturâ suâ subjecta, inferior, ac subordinata supremæ, & infinitæ Dei voluntati; quod tam est evidens, quàm evidens est, Deum esse factorem rerum omnium, nos autem opera manuum suarum, ipsum Dominum, & nos servos, ipsum Legislatorem, ac Superiorem, nos autem inferiores, ac subditos. Hinc verò statim evidenter apparet, nullam omnino operationem nostram esse posse honestam, ac rectam, nisi per ordinem, & conformitatem ad vo-

D. Tho. 1.
2. q. 19. art.
9. corp.

Ibidem.

lun-

Iunitatem ipsius Dei. Utrique, si operatio voluntatis creata posset esse recta, aut honesta, & divina non conformari, iam voluntas creata non esset voluntati divinae quoad omnes suas operationes subiecta, atque subordinata, sed potius absoluta, & independens ab omni subordinatione. Evidens ergo est, voluntatem divinam esse regulam primam, atque supremam totius honestatis moralis.

7. Sed dicat aliquis: regula universalis directiva omnium operationum creaturarum est lex aeterna, ut docet S. Thomas: sed lex non consistit formaliter in actu voluntatis, sed in actu rationis, ut tradit etiam ipse, tum ibidem, tum insuper aliàs sæpe: malè ergo diximus, voluntatem divinam esse regulam primam bonitatis moralis.

Resp. nos consultò dixisse, voluntatem divinam, seu legem Dei aeternam, esse regulam primam moralis honestatis, quia detineri modò non libuit in quæstione prorsus vocali, vel certè inutilis disquisitionis, circa constitutionem legis formalem. Profectò, quidquid sit de illa, certum omninò est, nullam moralem operationem esse posse honestam, aut rectam, quin conformetur divinae voluntati, ut manifestè patet ex dictis, & expressè etiam docet Angelicus M. Est igitur voluntas divina regula universalis, ac mensura totius bonitatis moralis, sive sit etiam constituenda in Deo alia regula prior, aut ratione nostrà distincta, sive constituenda non sit, quod modò disputare è re nostra non est. Enim verò Augustinus, dum peccatum definit, *dictum, factum, vel concupitum contra legem aeternam Dei*, ab hac etiam quæstione abstinet, subiungens immediate, *est autem lex aeterna ratio, vel voluntas Dei, &c.* De hoc tamen dicemus, quantum sit opus, in loco opportuno.

Dicatur ergo hìc (quod unicè ad nos pertinet) voluntatem divinam, seu legem Dei aeternam, esse

regulam primam, atque supremam, moralis honestatis, cui proinde adaptari, & conformari debeat, ut recta sit, omnis operatio moralis.

ARTICULUS II.

Quæ sit secunda regula honestatis moralis, secundum Operis fundamentum?

8. **V**oluntas, seu lex Dei, quamvis sit prima regula, atque mensura nostrarum actionum moralium; cum tamen nobis extrinseca sit, non potest per se ipsam immediatè movere, dirigere, seu regulare operationes nostras; sed debet nobis applicari, & proponi per cognitionem aliquam, seu dictamen nostræ rationis, quod primam ipsam regulam, seu voluntatem Dei, circa eliciendam operationem nobis representans, & intimans, sit proxima, immediata, & formalis directio, aut regulatio actualis, operationis eliciendæ, seu potius voluntatis eam operationem elicituræ. Per hanc autem formalem, & immediatam nostri dictaminis directionem, regula prima applicata, & unita, instar objectivi principii, & ut virtus moralis sufficienter approximata, movet, ac dirigit voluntatem nostram, ipsiusque morales operationes actualiter mensurat, ac regulat.

9. Itaque voluntas divina non est regula proxima, immediata, aut formalis, sed mediata dumtaxat, remota, & objectiva, nostrarum actionum moralium; quia ad illas nec movere, nec dirigere potest, nisi ut cognita, & applicata per nostram cognitionem actualem. An vero ipsa cognitio se habeat tanquam virtus physicè influens nomine objecti in ipsam moralem actionem, an ut pura conditio applicans, & expediens ipsum objectum ad influendum? quæstio est Philosophica, quam modò disputare non vacat. Scire in præsentis sufficiat, regulam primam, neque

D. Tho. I. 2. q. 93. art. 1. corp.

Ibidem, q. 93. art. 1. corp. & alibi.

D. Tho. ibidem q. 19. ar. 9.

August. lib. 22. cont. Faust. c. 27.

Infra lib. 2. controv. 4. ar. 1.

movere, neque dirigere ad actiones morales, nisi ut propositam, & applicatam, per nostræ rationis dictamen.

10. Nota verò: quod dicimus, ejusmodi dictamen applicans nobis regulam primam, debere esse cognitionem actualem, non est sic accipiendum, ut debeat actu physicè coexistere ipsi operationi morali, adeo ut nunquam quis possit honestè, aut turpiter operari, nisi actu cognoscat, dum operatur, ipsam regulam primam, cui suam debeat actionem conformare. Hoc quidem ex professo postea tractabimus: modò verò solum intendimus, regulam primam nunquam movere posse, seu regulare actionem moralem, ni fuerit verè cognita, & applicata per cognitionem aliquam, saltem confusam, quæ aliquando physicè existat, sive physicè, & actu debeat existere quando moralis actio exercetur, sive sufficiat, quod physicè præcesserit, & quod perseveret moraliter, ut certa, & solida Theologia tenet.

11. Nota præterea: regula prima potest nobis proponi, & applicari, aut quasi immediatè in se ipsa, aut potius non in se, sed in aliquo signo creato, quod sit expressio quædam, participatio, intimatio, aut significatio ipsius primæ, ac supremæ regulæ, ut quando voluntatem, & legem Dei aliunde non cognitam cognoscimus in lege, seu voluntate Superioris humani, in dicto, vel in facto sapientis, vel in alio simili signo divinam voluntatem nobis manifestante. Signum autem hujusmodi, ut potè instrumentale, dirigere non potest, nisi ut cognitum, & applicatum per rationis nostræ dictamen; atque adeo erit etiam regula objectiva, & remota, non universalis, ac prima, sed secunda, & particularis, quia nimirum non regulat moralem actionem, nisi ut subordinata regulæ primæ, cui omninò debet, ut recta sit, proportionari, atque conformari.

12. Igitur dictamen rationis ap-

plicans nobis regulam primam, vel in se ipsa, vel in signo creato, quamvis sit immediata, proxima, & formalis directio (proindeque in hoc sensu regula prima, sed potius unica posset appellari) tamen absolute, & simpliciter est regula secunda moralis honestatis. Ratio autem ex dictis evidens est: quia eatenus prædictum dictamen dirigit rectè, ac regulat moralem actionem, quatenus rectè proponit, & applicat voluntatem divinam, ut primam regulam honestatis moralis; non enim est directio, aut regula absoluta, & independens à prima regula, sed eidem potius subjecta, & essentialiter subordinata, ut statim magis exponam: regula verò subordinata, & regulans per conformitatem ad aliam regulam absolutam supremam, & universalem, non est prima simpliciter, sed regula secunda, ut ex ipsis terminis patet. *In his verò, quæ aguntur per voluntatem* (inquit D. Angelicus) *regula proxima est ratio humana, regula autem suprema est lex aeterna: quandoque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis, & legis aeternæ, tunc actus est rectus; quando autem ex hac rectitudine obliquatur, dicitur peccatum.* Hæc D. Thomas. Constat ergo, quæ sit secunda regula honestatis moralis.

13. Sed norandum ulterius est, quod ex jam dictis legitime consequitur, hanc regulam secundam, seu dictamen nostræ rationis, formaliter, & proximè regulans actionem moralem, & applicans regulam primam objectivè, & primariè regulantem, aliud non esse, quàm conscientiam nostram, hoc est, dictamen practicum intellectus determinatè, & ultimò dictans, hoc esse agendum, vel omittendum, ut conforme, vel dissonum voluntati divinæ, seu primæ regulæ moralis honestatis. Porro regula prima non applicatur proximè, & immediatè, nisi in ordine ad moralem actionem determinatam, & singularem, sicut & alia quævis uni-

D. Tho. 1
2. q. 21. a. 1
corp.

universalis causa non applicatur immediate, & proximè nisi ad passum particulare, & in ordine ad actum, vel effectum particularem, ac determinatum; neque enim ponitur aliquando à parte rei effectus in communi, sed individuus, & particularis. Judicium verò practicum intellectus applicans immediate primam regulam ad actionem particularem, & sub omnibus suis circumstantiis, est ultimum dictamen rationis practicae, sive prudentiae, quod est ipsa conscientia nostra, ut cum D. Angelico Theologi communiter docent.

ARTICULUS III.

Elicitur ex duobus praestis tertium aliud principium, seu fundamentum.

14. **N**Empè moralium actionum honestas desumitur, ut nuper dicebamus, ex ordine, ac conformitate ad regulam rationis, utique rectam; nam, si recta non sit, non potest esse honestatis regula. Immo nec regula dici potest, nisi abusive, & improprie tantum; quippe quae verè minimè regulat, nec dirigit ad ultimum finem (quod est unicum munus moralis regulae) sed in transversum agit, & ab illo potius avertit. Unde optime Bernardus sic ab absurdo arguebat, *An ne regula non concordat Evangelio, vel Apostolo? Alioquin regula jam non est regula, quia non recta.*

15. Est autem duplex regula moralis honestatis, altera prima, & altera secunda. De prima nihil nobis ulterius hic disputandum superest; est enim, ut jam vidimus, voluntas, seu lex Dei, quam constat esse regulam invariabilem, absolutam, independentem, prorsus indefectibilem, & essentialiter per se ipsam rectam, immò, & principium totius rectitudinis. An verò possit esse, vel reflexa, vel subsequens ad opiniones nostras, vel errores, & ex suppositione illo-

rum aliter de rebus disponere, quaestio est nova quidem, & Theologis antiquis incognita, sed maximi momenti ad praesens institutum, ideoque diligenter inferius suo loco tractanda.

16. Regula autem secunda duplex praeterea est, altera scilicet remota, & objectiva, & quae non, nisi ut cognita, regulat moralem actionem; altera verò formalis, & proxima, nimirum ipsa formalis directio, sive applicatio regulae objectivae, quae tamen rigorose loquendo non regula simpliciter, sed regulatio potius, seu propositio regulae dici deberet: sed jam usus obtinuit, ut regula absolute dicatur.

17. Regula secunda objectiva est signum quodvis instrumentale, quod, ut cognitum ducit in cognitionem regulae primae: regula verò proxima, & formalis, est ipsum dictamen rationis applicans nobis regulam objectivam, primam, videlicet, vel secundam idest legem aeternam, seu voluntatem Dei, vel immediate in se, vel mediate, hoc est, in dicto instrumentali signo. Utraque ista secunda regula est objectum nostri Tractatus; sed verò de objectiva non agimus per se in tota sua latitudine sumpta, sed ut contracta ad auctoritatem, vel assertionem doctorum hominum ex genere suo fallibilem.

18. Pro quo nota, assertionem, sive judicium, de bonitate, vel malitia objecti, utroque modo posse regulare, aut dirigere ad moralem actionem, objective nimirum, vel formaliter: formaliter in intellectu, in quo existit formaliter, & subjective, idest, in illo ipso, qui per tale judicium, vel opinionem opinatur, vel judicat, objectum esse bonum, aut malum, seu, quod in idem recidit, conforme, vel disforme regulae primae: objective autem in eo, qui reflexè cognoscit illud judicium, & ex ejus notitia ducitur tandem in cognitionem ipsius primae regulae, cui objectum illud congruit, vel repugnat.

Exem-

D. Tho. q.
17. de cons.
21. & alibi
saepè.

Bernar. in
Apolog. ad
Gilliel. Ab-
ba.

19. Exemplum esto: Petrus, vir peritus, ac probus, post sufficientem diligentiam præmissam in veritatis inquisitione, opinatur sibi licere librum transcribere in die festo: hæc opinio dirigit Petrum, vel certè potest ipsum formaliter dirigere, ad transcribendi actionem. Paulus autem, qui Petri probitatem, ac peritiam, habet satis perspectam, videns Petrum sic opinantem, ex hac ipsius opinione movetur ad similem actionem exercendam. In hoc eventu eadem Petri opinio utrumque dirigit; sed diverso modo: Petrum videlicet proximè, & formaliter, Paulum verò remotè, & objectivè.

20. Quoniam verò dictamen, seu iudicium humanum non est ex genere suo infallibile, sed multiplici potius errori obnoxium, potens quæ à rectitudine deficere, hinc Theologorum opus, & labor, improbus planè, sed utilissimus, quin, & præcæteris necessarius, ut ostendant, quale esse oporteat hoc nostræ rationis iudicium, ut possit rectè, & inculpabiliter morales actiones dirigere, sive objectivè, sive formaliter. Sed quia objectivè dirigere non potest, nisi quatenus gignit in operante aliud proprium dictamen proximè, atque formaliter directivum, ideo tota, aut potissima difficultas devolvitur ad exponendum, quale esse debeat dictamen hoc, quod proximè, & formaliter dirigit; quamvis non satis possit de ipsius rectitudine constare, nisi pariter constet de rectitudine principiorum, ex quibus gignitur, aut elicitur: quapropter, si cõtingat aliquando, dictamen proximè directivum elici ex alio prævio dictamine objectivè, & remotè dirigente, huius quoque natura, & rectitudo necessariò ostendenda erit.

21. Illud verò ante omnia, tanquam principium certum, & ultra omnem controversiam positum, ab omnibus statuendum est, quod ex dictis colligitur; & est præ oculis semper habendum: nimirum omne

rationis dictamen, vel remotè, vel proximè operationis nostræ directivum, ut possit esse regula ipsius, sive, quod idem est, rectè dirigere, debere esse conforme primæ regulæ, idest, voluntati divinæ. Hoc est tertium principium, & fundamentum Operis, quod ex duobus antecedentibus sponte sua profluit, & quod D. Angelicus complexus est his verbis, *Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humana, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio divina; unde in Psal. 4. dicitur, Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: quasi diceret, lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, idest à vultu tuo derivatum.*

22. Constat insuper, vel ex terminis ipsis regulæ secundæ, vel primæ: nempe secundæ est regula naturæ suæ subordinata primæ, & supponens essentialiter ipsam, à cujus rectitudine dependet: prima verò independens, absoluta, & essentialiter per se ipsam recta, proindeque mensura universalis, & primum rectitudinis principium. Tam igitur repugnat, secundam regulam esse veram, aut rectam, & nõ conformem regulæ primæ, quàm esse, & non esse secundam. Porro, si recta esset, & non conformis, hoc ipso foret regula prima, cujus videlicet rectitudo non esset mensurata, neque dependens ab alia rectitudine: &, quod inde consequitur, regula prima non esset prima, immò nec esset regula moralis rectitudinis.

23. Finge alioqui operationem aliquam conformem rationis dictamini, quod esset verè rectum, & tamen non conforme voluntati divinæ: certè operatio illa non esset divinæ voluntati conformis, cum non possit duabus regulis inter se discrepantibus conformari; uti non potest unus,

D. Tho. 1.
2. q. 19. a. 4.
corp.

unus, & idem numerus conformis esse, aut par, duobus aliis numeris imparibus: aliunde verò foret recta, & honesta, utpotè rectæ rationi conformis: esset igitur recta unicè per conformitatem ad illud dictamen rationis. Hoc ergo in ea hypothese foret regula prima, & unica, & voluntas divina non esset prima regula, immò nec esset regula moralis honestatis.

24. Evidens ergo est, nullum dictamen nostræ rationis, nec ullam aliam regulam creatam habere posse aliquam rectitudinem, nisi per ordinem, & conformitatem ad voluntatem, & legem Dei, quæ est prima, atque suprema regula honestatis moralis, essentialiter per se ipsam recta, & à qua omnis rectitudo creata, ut à primo principio, & unica mensura, procedit. Quod principium exemplo voluntatis Proconsulis, & Imperatoris, quo utitur S. Augustinus, auctoritatis Dei, & propositionis Ecclesiæ, motus solis, & horologii, multisque aliis obviis, ac perspicuis, promptum esset adhuc ostendere, nisi evidens per se foret, & quod à nemine negaretur.

ARTICULUS IV.

Quis ergo sit scopus totius Operis?

25. **M** Iraris forte Lector, & ais: si hoc principium est evidens, & de quo nemini dubitare fas sit, quid potest nobis superesse quæstionis? Ecquis enim non videat, nullum iudicium nostrum, vel opinionem re ipsa falsam, esse posse re ipsa regulam, cum nulla sit conformitas regulæ primæ? Nullam item quæ nobis æquè tantum, vel minus verosimilis sit, obire apud nos posse regulæ munus, cum nulla sit ejusmodi, quam possimus regulæ primæ judicare conformem? Quis enim, precor, judicet cōformari re ipsa cum lege Dei id, quod apparet sibi magis determinatum, ut opponatur, vel ut

summum prorsus indifferens, ut opponatur, vel conformetur? Rursus quis evidenter inde non colligat, solum iudicium, aut opinionem, vel re ipsa, vel quoad nos veram, esse regulam posse, vel quoad nos, vel re ipsa, cum illa solum sit re ipsa, vel quoad nos, voluntati divinæ, seu regulæ primæ conformis?

26. Porro, si certa hæc sunt, quæ certa prorsus esse videntur, non apparet, quid possit in quæstionem adduci circa secundam regulam moralis honestatis. Unicè ut summum altercari licebit de modo, seu mensura determinata diligentia à nobis faciendæ, ut opinio, quam veram existimamus, & ideo tanquam regulam secuti sumus, excusare à culpa nos possit, si aliquando contingat esse falsam. An autem opinione, quam falsam judicamus, aut possumus, si volumus, judicare, vel quam non potius veram, quam falsam reputamus, possumus uti, ut regula ad agendum, tam non videtur dubitari posse, quàm dubitare nemini liceat de necessaria conformitate regulæ secundæ cum prima: de hac verò non posse dubitari, principium est, ut meritò posuimus. Hæc tua vel obiectio, vel admiratio.

27. Et ego quidem, candide Lector, admirationem tuam non miror: quin discursu à te facto nihil mihi in Theologia certius apparet; neque facile possem admirationi meæ modum imponere, si iudicio fiderem meo. Adsumt autem, ut vides, hoc nostro sæculo DD. multi, qui cum statutum principium nec negent, nec in dubium vocent (quavis perpauci ad illud advertant, ut facile mox ostendetur) sequelam tamen inde deductam, quæ tibi, & mihi, non modo recta, sed nimium evidens esse videtur, non solum totis viribus negant, sed etiam oppositum consequens vix non ut fidei dogma propugnant: certè ut dogma Theologicum confidenter à pluribus circumfertur. Hæc sunt nimirum iudicia

cia mortalium. Utinam nihil præjudicarent affectus!

28. En ergo totum Operis scopum: ostendere nimirum illius consequentis veritatem, & deductæ sequentis rectitudinem. In prima igitur, & secunda parte demonstrandum à nobis est, nullum iudicium, vel opinionem, quam falsam iudicamus, aut saltem æquè tantum, vel minus verisimilem, quàm oppositam legis obligationem propugnantem, esse regulam posse moralis honestatis. Quod in hac prima parte per duos libros integros, in quos dividitur, invictis argumentis suadebimus ex proximè statutis principiis infallibilibus apud omnes, neque enim nos ad nostram demonstrandam sententiam nova principia cudimus, aut moralem Theologiam antiquis Theologis inauditam in Orbem Christianum invehimus.

29. Ex eisdem ergo principiis multipliciter demonstrabimus falsitatem insignem, & prodigiosam, benigni, atque moderni Probabilismi, & principia, quibus innititur, diligenter examinata, nova, & inania esse, grandibusque referta fallaciis, & æquivocationibus, quæque sequelas inferant innumeras longè absurdissimas, & inevitabiles, luce ipsa solari clarius faciemus, id ipsum in secunda parte fusiùs adhuc urgebimus (si fuerit opus; & bellum adhuc urgeat) auctoritate maximè pugnantes, & ex omni loco Theologico irrefragabilia argumenta contra Probabilissimū producentes; ubi quàm sit exigua auctoritas ipsius, quàm Recentiores tantopere commendant, si comparetur cum auctoritate, qua nostra sententia fulcitur, ob oculos Lectori constituemus. Hic etiam reliqua argumenta solvemus recentium Probabilistarum, & occasione eorum de obedientia, debitaque iudicii docilitate, de qua Probabilistæ falsò, & inaniter sibi blandiuntur, accuratè, & exactè disputabimus, & alias plures graves difficultates expediemus.

30. In tertia tādē parte ostendemus, unicam regulam honestatis moralis, aliam non esse, quam veritatem ipsam probabiliter saltem à nobis cognitam, sive (& eodē redit) dictamen nostrum, aut opinionem saltem probabiliter verā, idest, per quam prudenter, & inculpate ex fundamentis gravibus, atque vel unicè verosimilibus, vel saltem verosimilioribus, & notabiliter præminetibus partis oppositæ fundamentis, iudicamus, objectum, in quod tendimus, esse re ipsa honestum, & conforme re ipsa voluntati divinæ. Erit item hæc pars in duos etiam libros divisa, quorum prior post regulam honestatis expositam, assertam, atque propugnatā, de diligentia necessariò adhibenda ad inveniendam veritatem moralem, deque ignorantiis ejus tractabit, & quàm sit alia Theologia Recentiorum à doctrina SS. Patrum Ecclesiæ, quantumque exorbitet ab inconcussis solidæ Theologiæ principiis, argumentis certissimis demonstrabit. Posterior verò, & ultimus moralem veritatem esse per se inveniibilem ritè quærentibus, atque viam multiplicem ad ipsam inveniendam ostendet; ubi tandem de paucitate intrantium per angustam portam, pauca, sed utilissima differemus. Habes, Lector benevole, totum consilium nostrum, & operis assumpti dispositionem. Jam ergo ad opus nos accingamus.

31. Sed enim ante omnia cum Salomone, nec non cum D. Thoma, Angelico Doctore, & duce meo, ex toto mei cordis affectu incretam Sapientiam invoco, *ut mecum sit, & mecum laboret; Nec me errare permittat in periculum anime mee, & in laqueum aliorum: sed illuminare dignetur oculos caliginosos ipso suo lumine, sine quo nemo valet ad lumen veritatis usquequaque pertingere.*

Sap. 9.
D. Tho. in
Proem. ad
opus. de
ulur.

CON-

CONTROVERSIA SECUNDA.

Utrum quælibet nostra opinio, vel existimatio, affirmans honestatem objecti, sit regula honestatis moralis?

L Oquimur, ut monuimus, non de prima, sed de secunda. Omnis autem quæstio, qua inquiritur, utrum aliqua opinio, aut dictamen nostræ rationis, sit regula sufficiens honestatis, est eadem omnino cum illa, qua vulgaribus terminis disputatur, an liceat operari ex hac, aut illa opinione morali, aut illam ad praxim deducere? ut facile quisque cognoscet. Dum verò in hac quæstione, aut proximè sequentibus, aliquam opinionem probabilem vocamus, aut improbabilem, opinionem probabilem accipimus juxta modum loquendi consuetum, ac vulgarem, donec exactè postea exponendi diversas acceptiones opinionis probabilis, strictumque probabilitatis conceptum opportunus locus adveniat.

ARTICULUS I.

Quibus possit rationibus pars affirmativa suaderi?

Q Uæstio ergo procedit, non de quacumque, sed de opinione nostra, hoc est formaliter, & subjective, in intellectu nostro existente; nec enim potest in quæstionem venire, vel apud Ethnicos, aut Hæreticos, utrum opinio quælibet, etiam aliena, id est, cui nulum præbamus assensum, sed objective tantum in intellectu nostro invenitur, sit nobis congrua operandi regula? De opinione autem nostra, quæcumque demum sit, affirmativa pars suaderi posset his argumentis.

3. Primo: quæcumque opinio, seu dictamen nostræ rationis, affirmans honestatem objecti, proponit nobis objectum suum, ut conforme divinæ voluntati, cum idem sit, objectum esse honestum, & esse juxta Dei voluntatem. Atqui quisquis amplectitur objectum aliquod, ut cōforme voluntati divinæ, operatur rectè, & honestè: ita ergo operatur quicumque sequitur illud dictamen: ergo dictamen illud est rectum, adeoque congrua regula moralis honestatis.

4. Secundo: omnis secunda regula conformis formaliter primæ, est regula recta formaliter, seu regula formalis recta. At quælibet opinio affirmans honestatem objecti, est cō-

formis formaliter regulæ primæ, id est, voluntati divinæ, quam proximè, & formaliter applicat, tanquam mensuram honestatis objecti: ergo est regula recta formaliter, seu regula formalis recta.

5. Tercio: *Qui non judicat semetipsum in eo, quod probat, beatus est, secundum Apostolum:* id est, (ut P. Salmeron exponit) *beatus est, quem sua conscientia non remordet in eo, quod probat esse faciendum; sed quicquid, & pacatâ cōscientia operatur.* Sed illum, qui operatur ex opinione objectum proponente tanquam honestum, conscientia nō remordet, sed absolvit, utpote agentem juxta ipsius dictamen: beatus ergo cēsendus est. At nemo in opere cēletur beatus, nisi qui operatur honestè: igitur honestè operatur: igitur juxta regulā moralis honestatis.

6. Quarto: quicumque agit juxta conscientiam, si aliunde contra legem non agat, procul dubio honestè operatur; unde enim moraliter deficiat? Sed quisquis agit hoc, quod honestum existimat, in primis agit juxta conscientiam: aliunde verò cōtra legem non agit, saltem formaliter, & voluntario, cum agat id, quod judicat legi consonū: ergo non potest non honestè operari: ergo quælibet

B no-

nostra opinio, vel existimatio, est regula sufficiens honestatis moralis.

7. His argumentis, & aliis consimilibus ad speciem satis urgentibus suaderi potest opinio ista; quam tamen sub his terminis, si libros consulas; apud nullum Catholicum, quæ ego viderim, scriptam, aut assertam invenies, uno excepto novissimo Probabilissimi Apologista, de quo non nihil postea dicemus: *Sub his terminis*, inquam; nam sub aliis omnino æquivalentibus utrū à Recentioribus Probabilistis acriter asseratur, & propugnetur, alibi à nobis tractandum est, & pars affirmativa suadenda, argumentis non solubilibus.

ARTICULUS II.

Pars negativa, tanquam omnino certa, tenenda.

8. **S**ufficere profecto, & superabundare deberet ad ejus certitudinem stabiendam, communis omnium DD. consensus. Alioqui quænam erit in universa Theologia assertio, de cujus veritate dubitare non liceat, in magnum veritatis ipsius, & conscientiarum hominum detrimentum? Nullus fuit autem Doctor Catholicus adeo inconsideratus, aut laxus, qui ad regulandas morales actiones, & ad conscientiam ritè formandam, non exigat, ut minimum, opinionem verè probabilem.

9. Nemo verò quamcumque opinionem nostram, probabilem appellat hoc genere probabilitatis, ad quam scilicet omnes requirunt aliquas speciales condiciones, quæ in multis opinionibus non reperiuntur. Certè opinio probabilis sufficiens ad conscientiam rectè formandam, est juxta omnes judicium prudens de rectitudine operationis. Quis verò dicat, omnem opinionem de operationis rectitudine, esse judicium prudens? Sanè, qui sic assereret, deliraret, & sua ipsa stulta assertione probaret evidenter apud omnes oppositæ assertionis veritatem.

10. Deinde ex fundamentis supra præjactis, communis hujus dogmatis veritas facili negotio convincitur. Nempe tota moralium operationum honestas, atque rectitudo, sumitur proximè, & immediatè ex consensu, & conformitate ad dictamen rationis rectum: tota verò dictaminis rectitudo reducitur, ut ad primum principium, ad convenientiam, & conformitatem cum voluntate, seu lege Dei, quæ est prima regula honestatis moralis, adeoque universalis, atque suprema totius rectitudinis mensura.

11. Neque ab hoc est alienum, quod docet S. Thomas ex Philosopho, nempe, dictaminis rectitudinem sumendam esse ex conformitate ad appetitum rectum (de quo nos postea) non enim loquitur S. Doctor de ultima, & suprema rectitudinis regula, sed de proxima tantum, & immediata; quia scilicet dictamen prudentiæ, cum sit circa mediocrum electionem, supponit rectum appetitum finis, per ordinem ad quem regulatur ipsum dictamen. Non negat tamen D. Angelicus, immò verò supponit tanquam indubitatum, totam, & appetitum, & ipsius dictaminis rectitudinem revocari tandem debere ad convenientiam, & conformitatem cum ipsa voluntate divina. Quin, & expressè id docet locis supra allegatis, ac sæpè aliàs; nec aliquis repugnare potest, ut jam demonstratum relinquimus.

12. Hinc verò fit, eadem diligentia; eademque sollicitudine, qua curare debemus, ut nostræ operationes rectæ sint, & honestæ, non apparenti quadam, sed vera, atque reali rectitudine: eadem, inquam, satagere debere, ut dictamina nostra, & opiniones, quibus dirigimur, conformemur re ipsa, & non apparenter dumtaxat, cum voluntate, seu lege Dei; ideoque, ut nihil nobis distent, aut proponant, tanquam honestum, & amplectendum, quod sit re vera legi contrarium, cum ab hac opinionis

S. Tho. 1. 2.
q. 57. a. 5. ex
Aristot. 6.
Ethic. c. 2.

Cotrov.
præced. 2.
1. nu. 7. art.
2. nu. 12. &
art. 3. nu. 20.

nis conformitate dependeat essentialiter, ut diximus, tota moralis actionis honestas. Illæ ergo opiniones, quas, cā diligentia non præmissa, concipimus, haud possunt esse honestatis regula; non enim habent conformitatem ullam cum lege, nisi ut summum fortuitam, atque casualem, quam certè nemo dicat sufficere, nisi, qui censeat, nullam diligentiam adhiberi à nobis debere, ut re ipsa inveniamus voluntatem divinam, aut nihili faciendum esse, quod juxta illam non operemur. Id verò qui censeret, aut affirmaret, stultus, immò impius, & hæreticus esset.

13. Confirmatur id ipsum, & declaratur: intellectus humanus non est potentia naturā suā recta, aut infallibilis, & quæ in suis operationibus à fine debito aberrare non possit. Hoc certè, salva fide, negari nequit; immò nec ullus hominum, nisi prorsus insanus, aliquando vertat in dubium. Quin intellectum nostrum esse potentiam pro hoc misero statu maximè debilem, & infirmam, monstròse, ut ita dicam, & usque ad stuporem defectibilem, quæque in rebus, vel infimis, ac valde obviis, passim erret immaniter, absurdissimèque fallatur, satis ad evidentiam, vel experientia sola nos docet, ut necesse hic nō sit importunè præmaturare, quæ D. Thomas multis in locis, & cum eo DD. Scholastici, copiosè tradiderunt, & alio loco à nobis sunt producenda, de insufficiencia humanæ rationis, deque necessitate gratiæ divinæ, nec non doctrinæ à Deo revelatæ, ad cognoscendas rectè, ac sine erroribus, vel ipsas naturales veritates.

14. Ex hoc autem principio sic arguere licet: opinio, vel judicium nostræ rationis generaliter de se non habet esse regulam rectam operationis nostræ, quam dirigit, ex immediato suo, ac proximo principio, videlicet humano intellectu, cum hic non sit naturā suā rectus, sed potius usque adeo defectibilis: aliunde verò

nec ex respectu, aut necessaria conformitate ad primam rectitudinis regulam; unde enim illam habebit? aut quomodo hoc stabit cum defectibilitate principii? Utique, si judicium humanum de nostræ operationis honestate, ex communi suo conceptu foret conforme regulæ primæ, intellectus non posset aliquando ab eadem conformitate deficere, adeoque foret necessario rectus; neque enim aliter deficere potest, quàm per operationem non rectam, seu non conformem regulæ primæ. Ex nullo igitur capite potest opinio, seu judicium humanum de humanæ operationis honestate, sub generali suo conceptu habere rectitudinem aliquam: ergo nec esse regula moralis honestatis.

ARTICULUS III.

Uterior comprobatio ab absurdis.

15. **S**Uadetur insuper commune dogma ab absurdis innumeris, quæ ex opposito errore sequuntur inevitabiliter. Ex illo namque legitimè deducitur, nihil nobis esse timendum ab affectionibus inordinatis, nihil à pravis consuetudinibus, nihil à suggestionibus diabolicis latenter decipientibus sub specie virtutis; nihil à fraudolentiis falsorum Prophetarum, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; nihil denique ab omnibus erroribus, aut ignorantibus frequenter obrepentibus circa veritates morales: quæ tamen esse apertè contra Scripturam Sacram, contra SS. Patrum doctrinam, contra piorum omnium exempla, & contra omnem rectam rationem, nullus opinor negare audeat.

16. Sequela verò patet: quia, si quælibet nostra opinio, vel existimatio, undecumque, & utcumque concipiatur à nobis, est regula sufficiens honestatis, nihil jam nobis nocere poterit dicere malum bonum, & bonum

num malum, immò commoditates afferet non mediocres, à magnisque molestiis, atque difficultatibus liberabit. Quid ergo erit, cur errores quoscumque in hac morum doctrina formidare, aut cavere, & non magis optare, atque procurare debeamus?

17. Unde ulterius deducitur, otiosum esse, ac vanum omne orationis, ac librorum studium ad assequendas veritates morales; non esse necessarium in humanis negotiis cautè procedere, aut de rebus agendis deliberare; neminem debere consulere viros se prudentiores, ac sapientiores, immò honestè, atque laudabiliter posse quem propriæ prudentiæ inniti, aliorumque iudicio semper contempto, in suo ubique sensu abundare; nullum esse iudicium temerarium, nullumve dictamen imprudens, nullam proterviam, nullam pertinaciam, nullamque sententiam injustam, & uno verbo nihil non licitum, sed vitia in virtutes abire, & omnia in re morali ultrò, citròque permisceri. Hæc autè omnia longe absurdissima ex hoc errore, quem impugnamus, inevitabiliter sequi, statim evidenter apparet.

18. Verum, ut aliquid in specie dicamus, deducitur ex illo non legitime tantum, sed etiam immediate, sectarium judicantem imaginum sacrarum adorationem esse turpem idololatriam, honestè facere, si imagines conculcet; Calvinistam obstinatè credentem, divinum Eucharistiæ mysterium esse inanem quamdam fictionem, non esse reprehensibilem, immò esse laudabilem, si sacras hostias pedibus proterat, aut equis comedendas objiciat; Judæum Christum Dominum blasphemantem, & execrantem, nec sacrilegum esse, nec blasphemum, neque supplicio ullo, sed potius laude dignum, quippe qui credat pertinacissime, obsequium se Deo præstare, uti credebat quondam Apostolus, qui JESVM, & ejus Ecclesiam supra modum persequabatur, abundantius

æmulator existens paternarum suarum traditionum, ut ipsemet expressè testatur, Ad Gala. 1.

19. Deducitur præterea, scelerosos illos, quos commemorat idem Apostolus, dum turpissima illa, & horrenda flagitia, quæ ibidem ipse refert, perpetrabant, minimè in hoc peccasse, sed honestè potius egisse, contra quàm idem Apostolus docet. Sequela verò patet; quia ipsi per errorem, & per reprobum sensum existimabant, illa non esse illicita, sed opera potius honesta; quod ipse Apostolus satis clarè significat, & expressè docuerunt Chrysostomus, Ambrosius, & D. Thomas in eum locum, de quo nos postea, Ad Roma. 1.
Chrysost.
Ambros.
D. Thom.

20. Unde tandem apparet (ut alia prætereamus) errorem, quem modò rejicimus, nihil planè differre ab illo capitali, & pestifero errore aliquorum Hæreticorum, quem refert, & refellit insignis noster Controversista P. Gregorius de Valètia, & ante ipsum Gulielmus Parisiensis acutissime pridem refellerat, nèpè unumquèque non prorsus Atheum, sive Fidem Catholicam recipiat, sive respuat, secundum sectam vivendo suam, posse Deo placere, atque salvari, dummodò credat, eam esse à Deo, ipsique proinde placere, & nihil agat contra propriam conscientiam, sed congruenter potius cum eo, quod ipse honestum putat, & religiosum esse, constanter semper vivat, ac sentiat. Id, quod asserit etiam Turcicum Alcoranum, & multi Ethnici aliquando asseruere, ut ex D. Augustino refert ibidem ipse Valentia. Evidens ergo sit apud omnes Catholicos, non omnem opinionem, seu iudicium, quo existimamus, objectū esse honestum, sufficere ad honestè operandum. Valent. li. 2. de Anal. fid. c. 1. & tom. 3. d. 1. q. 2. p. 6.
Gilliel. Parisien. tr. de legi. c. 21.

21. Et hæc modò sufficiant pro stulta existimatione impugnanda, quam innumeris insuper ex Scriptura, & Patribus testimoniis, promptum esset obruere, nisi consultò illa in commodiorem locum reservaremus.

Quod

Quod si forte videamur inutilem laborem suscepisse in refeilendo stolido errore, qui nullum Scriptorem Catholicum propugnatorem habeat, aut patronum, precor Lectorem meum, ut paululum sustineat, dum simillimam aliam, aut eandem potius quaestionem (& quidem celeberrimam inter modernos Theologos) sub terminis tantum diversis in postrema parte agimus. Ibi, ut spero, facile deprehendet, quanti momenti sit ad nostrum institutum, veritatem Catholicam huic pernicioso errori contrariam omnimodis stabilire, quamque differenda non fuerit brevis saltem ejus notitia, quam ipse etiam doctrinae ordo suo veluti jure postulabat.

22. Sed ne fidem longanimum deposcere nobis videamur, sciat interim Lector, nos paucis abhinc annis ad Sanctae Inquisitionis tribunal semel, & iterum fuisse delatos (irritis tamen, Deo favente, nostrorum delatorum conatibus) eo quod è suggestu in publica concione propositionem hanc docuerimus, *Accidere aliquando potest, ut quis non reputans se peccare, immò potius existimans obsequium se prestare Deo, gravissimè tamen delinquat*. Comperi etiam sub idem ferè tempus, à quibusdam Magistris, Probabilissimi sui nimis amantibus, sed non ita nimis callentibus, gravissimam censuram notatam, & è publicis thesibus prælo mandandis deleri quoque justam hanc assertionem, *Non sæper licitum est agere secundum conscientiam dictantem, aliquid esse honestum, quantumcumque judicium certum appareat*.

ARTICULUS IV.

Ad argumenta Articuli primi.

23. **A**D primum respondetur, non sufficere ad honestè operandum, vel ad non peccandum, quod objectum utcumque proponatur tanquam conforme voluntati di-

vinæ, sed opus esse ulterius, ut re ipsa conforme sit, & ad minimum saltem, ut opinio, aut judicium, per quod ita proponitur, non temerè conceptum sit, & absque sufficienti diligentia præmissa; tenemur etenim feriò, & diligenter quærere voluntatem, & legem Dei, ut illam re ipsa observemus, jubente Domino, *Non facietis... singuli, quod sibi rectum videtur*: & rursus, *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas*. Deuteron. 12.

24. Ad secundum similiter respondetur, regulam secundam, & proximam, ut sit recta, & sufficiens ad honestè operandum, debere esse conformem regulæ primæ, non apparenter tantum, aut fortuito, sed re ipsa, vel saltem ex seria, atque sincera intentione operantis, post sufficientem diligentiam præmissam ad inveniendam divinam voluntatem: non est autem hujusmodi omne judicium nostrum, per quod regula prima nobis applicari videatur.

25. Ad tertium dicito, *beatum esse eum, quem sua conscientia non remordet in eo, quod probat esse faciendum; si tamen* (ut ibidem idem Doctor prosequitur) *qui faciunt, recta fide, & lege, & bona conscientia faciant*. Nam ubi, quod quis facit, illicitum est, & malum, pejus est, si securus faciat, præsertim quando ignorantia non omnino excusat. Si verò, qui operatur ex quocumque dictamine inconsideratè formato, non recta fide, & lege, nec bonâ conscientia operatur: quapropter, licet ipsum conscientia non remordeat, lex nihilo minus divina condemnat. Notet Probabilista doctrinam hujus eximii Theologi.

26. Ad quartum demum, concessa Majo., nego Mino., illimitatè acceptam quoad secundam ipsius partem, quam esse apertè falsam, & erroneam probationes nostræ convincunt. Utique qui operatur ex judicio de operationis honestate nò maturè, sed leviter concepto, agit quidem

Salmeron.
ubi supra
allegatus.

dem juxta conscientiam, non tamen rectè, sed iniquè formatam: unde agit formaliter contra legem saltem universaliter prohibentem omnem operationem præcipientem, ac temerariam, per quam lex, & voluntas Dei non attenditur, ut par erat, sed formaliter potius, atque voluntariè violatur.

ARTICULUS V.

Nonnulla corollaria.

27. **E**X dictis ergo in hac controversia placet utilia quadam corollaria deducere pro majori doctrinæ claritate.

Primò igitur colliges, conformitatem cum prima regula fortuitam, aut materialem, non esse sufficientem ad regulam moralem honestatis, sed necessariam omninò esse conformitatem aliquam formalem, idest, per se intentam, ab ipsoque operante seriò, atque diligenter procuratam: non quia operans debeat necessariò reflectere supra opinionem suam, vel iudicium, per quod dirigitur, sed quia per illud debet non leviter, aut temerè, sed maturè, ac prudenter, post sufficientem diligentiam præmissam, cognoscere, atque judicare, objectum, quod amplectitur, esse honestum, & conforme voluntati divinæ.

28. Hinc colliges secundò, iudicium de honestate operationis, si ab operante conceptum sit, non prævio sufficienti veritatis examine, etsi fortè aliquando contingat esse verum, & conforme re ipsa voluntati divinæ, non tamen esse regulam ad honestè operandum: quia conformitas illa est purè materialis, atque fortuita, quam neutiquàm sufficere demonstravimus.

29. Colliges tertio, assertionem à nobis stabilitam, non solum esse veram, ac certam, loquendo de opinione, seu iudicio quocumque non prorsus certo, verum etiam loquen-

do de iudicio quoad nos certo, aut certissimo, ita ut nullum ejusmodi sit regula sufficiens honestatis, vel negativæ, nisi conceptum fuerit à nobis post sufficientem diligentiam præmissam ad inveniendam divinam voluntatem.

30. Ratio patet ex dictis: quia si non ita conceptum sit, quantumvis certum nobis, aut evidens videatur, nullam habere potest conformitatem cum prima regula, nisi merè apparentem, vel ut summum fortuitam, ac purè materialem: hanc verò nemo prudens, immò nemo Catholicus, dicere audeat sufficere ad honestè operandum.

31. Porro intellectus noster, sicut errare potest, & deficere per iudiciū incertum, & purè opinativum, sic etiam potest facilè deficere, ac errare, per iudicium, quod certum, aut evidens sibi videatur, idest, ratione cujus absque ulla formidine, sed firmiter omninò, & immobiliter adhæreat objecto; quod expressè docuit Philosophus, Heracliti exemplo producto, ubi etiam D. Angelicus, nec non Bernardus, inquit, *Multi suam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt*; & omnium confessione, ac frequentissimâ experientia constat: iudicium ergo nostrum, quantumvis nobis certum, non habet rectitudinem necessariam ad regulandam operationem, ex intellectu nostro, utique defectibili: ergo, si aliunde nulla, aut non sufficiens diligentia adhibeatur, ut conformetur regulæ primæ, non poterit habere absolutè rectitudinem necessariam; nam, vel nullam habebit conformitatem cum prima regula, nisi purè apparentem; vel ad summum fortuitam, ac materialem tantum habebit, quarum neutram sufficere jam ostendimus.

32. Præterea absurda omnia, quæ ex errore, quem refellimus, legitimè deduci monstravimus, hujus nostræ illationis rectitudinem, sive communis dogmatis extensionem evi-

Aristoteles
Ethi. 7. c. 3.
D. Tho. ibi.

Bernard. li.
5. de confid.
derat non
parum ab
init.

evidenter etiam ostendunt. Sanè hæretici illi, vel Judæi, saltem plerique eorum pertinacissimi, absque omni formidine, vel timore, sed firmissimè potius, & inhæsitantè existimant, rectè se credere, & operari: quin plurimi sectarii nostri temporis censent, quidquid hac firmitate, & recta fide, ut ipsi delirant, à viro Christiano non sit, eò ipso peccatum esse. Et tamen certum est in Ecclesia Catholica, perversa illa ipsorum judicia non esse rectam agendi regulam; immò nec eos à peccato excusare, ut à nobis mox ostendetur; quamvis videatur esse communis Ecclesiæ Catholicæ sensus. Sed non hoc unum certum, aut certissimum ostendere nos coget malitia temporum. Constans igitur est, & evidens illatio nostra de quocunque judicio, quantumvis nobis certo, aut certissimo, siquidem ex passione, aut non satis maturè concipiatur.

33. Colliges quarto quàm sit stulta, & irrationalis existimatio, qua quidquid sit contra legem Dei, quomodocumque fiat, si tamen is, qui facit, se non peccare existimet, aut non existimet, se peccare, statim bona fide, & inculpate factum affirmatur, & creditur: quin, si superis placet, ad meritum æternæ vitæ confidentissimè deputatur. Quanta sit hujus existimationis irrationalitas, & stultitia, manifestè patet ex dictis. Profectò sic censere, nihil est aliud, quàm peccata ignorantia de medio tollere, quod est erroneum, & Pelagianum.

34. Colliges quinto, valde imprudentem esse, & ab æterno Judice non ferendam, praxim quorundam Confessariorum (opto, & precor eundem, ut pauci sint) qui, dum aliquis poenitens conscius factus aliqujus peccati, quod per ignorantiam admiserat, non reputans esse peccatum, illud exponit in confessione, ne audire quidem sustinent; immò ipsi praveniunt poenitentes, dum pravam aliquid se fecisse fatentur,

interrogantes eos, nunquid advertent? nunquid existimaverint, se peccare? Quod si negent, statim sine ulteriori examine, licet poenitens pessimus, ac perditæ conscientia sit, immunis pronuntiatur ab omni culpa, & pœna, ab omni onere restituendi, ab omni irregularitate, ab omni censura Ecclesiastica.

35. Scio P. Terillum praxim hanc omninò negare, immò, & irasci, tanquam impostoribus, omnibus, qui de illa testantur. Sed enim quaestio de facto est, & ea, quæ non possit expediri, nisi per testium depositionem; Testes autem appello conscientias ipsas numero penè innumeras Confessariorum, ac poenitentium, à quibus si mendacii redarguar, patienter feram impostorem audire. Veruntamen, quidquid sit de hoc, praxim hujusmodi, si qua fuerit, aut esset, imprudentissimam, ac valde perniciosam, nemo neget esse censendam. An autem illa legitimè sequatur ex moderno Probabilismo, alibi, Deo dante, videbimus.

36. Colliges tãdem sexto, cautè quidem, atque sapienter Auctores omnes, etiam modernos, opinionem vulgarem à nobis hic rejectam, sub terminis præsentis quaestionis vehementissimè semper improbasse, tanquam erroneam, impiam, ac valde irrationalem: sed verò non intelligi quid significant Probabilistæ Recetiores dum mordicè tuentur, (& quidem plurimi, tanquam dogma Theologicum, cujus oppositum Jansenianum sit) neminem unquam peccare posse formaliter, & imputabiliter absque conscientia actuali remorsu, id est, absque aliquo scrupulo, dubitatione, vel suspitione, qua operans formidet, aut dubitet, num id, quod agit, peccatum sit? Quin multi eorum propositionem istam sub his terminis, *potest accidere, ut graviter quis peccet, dum facit id, quod judicat esse honestum*, vehementer exhorrent, totisque viribus infectantur. Hæc verò quomodo inter

ter se cohæreant, ego planè non capio, & vel ex dictis, conjici potest. Sed quæstio ista summi momenti, est accuratissimè postea tractanda. Placuit tamen hoc propèrè modò ad-

notare, ut ex nunc animum Lectos intendat, maturèque praveat, atque consideret sequelas imminentes ex Recentiorum Probabilistarum sententia.

CONTROVERSIA TERTIA.

An opinio quæcumque alicujus, aut plurium gravium Doctorum, sit regula moralis honestatis?

HÆc etiam quæstio, sicut præcedens, decisionis facilis est: erit tamen non parum utilis ad clariorem, ac faciliorem præcipuæ controversiæ resolutionem. Duo verò sunt breviter prænotanda: alterum non procedere quæstionem de opinione quacumque apertè erronea, vel expressè damnata; hæc enim non opinio, sed error appellari consuevit. Loquimur ergo de illis opinionibus, quæ adhuc à Catholicis Doctoribus impune referuntur, & propugnantur. Alterum verò, sermonem esse de opinione, seu propria, seu aliena, præscindendo videlicet à modo, quo conscientia formari possit, juxta duplicem viam, per quam incedunt Probabilistæ Recentiores, ut exponemus sequenti controversia.

ARTICULUS I.

Quid sentiant Recentiores Probabilistæ?

2. **V**alde commune est apud modernos Probabilistas asserere, opinionem non solum plurium, sed unius Auctoris probi, ac docti (maximè Recentioris) esse verè probabilem, adeoque regulam sufficientem pro conscientia ritè formanda. Hujus sententiæ Auctores vide, si placet apud Dianam.

3. Hanc tamen asserptionem plerumque temperant graviore quique Auctores, ut unice procedat, quando unius Doctoris singularis opinio potius est præter, quàm contra omnes alios: nam si contingat, aliquem opinari contra torrentem Doctorum, ut ajunt, tunc ipsius opinio non erit censenda probabilis. Quin immò cautè addunt PP. Vazquez, & Sanchez apud Rhodes statim asserendum, nunquam tibi licere uti opinione aliqua singulari tuæ libertati favente, nisi postquam, adhibita diligentia, illam inveneris fulcitam rationibus, quæ probabiles tibi appareant. Profecto si hac lege con-

stanter cohiberetur Probabilismus, non ita foret moribus noxius; sed neque ita placeret hominibus quibusdam.

4. Cæterum istam limitationem passim rejiciunt alii. Unde Rhodes moderni Probabilismi modernus ipse, & acer propugnator, hoc generale documentum elicit: *Imprudenter procederet, qui aliorum opiniones communiter receptas, vel etiam novas, ideo tantum judicaret improbabiles, quia rationes contra eas aliquas haberet, quas ipse non posset solvere, neque putaret ab aliis posse solvi, quia persuadere sibi prudens quisque debet, multas sæpe rationes nobis apparere insolubiles, quas facile alii solvunt.* Et paulò inferius, cum statuisset hanc conclusionem: *Dico secundo, sufficere omnino ad opinionem probabilem, ut eam Doctor aliquis magni nominis, & pius, præsertim Recentior, teneat, ad objectionem secundam ait: Respondent Sanchez, & Vazquez, unius Doctoris auctori-*

ta-

Diana p. 4.
tr. 4. resol.
30. & p. 7.
tr. 1. resol.
luc. 26.

Rhod. to. r.
sua Theologia d. 2.
de act. humana. q. 2. sectio. 3. §. 1.

tatem non sufficere ad opinionis probabilitatem, nisi rationes habeat, quæ tibi probentur. Ego existimaverim, esse necesse, ut aliquas habeat rationes; sed necesse non esse, ut illæ mihi probentur in se ipsis: quia viri magni auctoritas satis est magna ratio, ut iudicem, rationes illas esse probabiles, quibus sententiam suam confirmat. Hactenus hic neotericus Probabilista, de quo profecto nemo jure queratur, quod strictam consignet agendi regulam.

Ioan. Sanci-
us.

5. Sed ulterius procedit Joannes Sanci- cum aliis Recetioribus: Nam cum in suis Selectis valde probasset, & commendasset doctrinam istam tum alibi, cum maxime d. 44. adjicit nu. 62. quæ soler animositate, assertionem prædictam non solum esse veram in illis opinionibus singularibus, quas Auctor gravis ex professo docet, & aliqua ratione confirmat, verum etiam in illis, quas obiter, & incidenter, aut quasi aliud agens, producit nullis argumentis fulcitas, videlicet, dum probat sententiam suam, vel dum dissolvit argumenta contraria.

6. Quare ex Sanci sententia calamus gravis cujusvis Auctoris, maxime si Recetior sit, est calamus scribæ velociter scribentis, & verba ejus verba Prophetica, ex quibus nullum in terram cadat, sed omnia, etiam perfunctorie dicta (sic enim ipse loquitur) sint omnibus mortalibus tuta, recta, ac laudabilis vivendi regula. Amplissimum profecto privilegium, neque mediocri stupore dignum: sed quod nesciatur planè unde sit, vel à quo demum concessum fuerit! Ipsius ergo valor, & veritas diligenter inferius examinabitur. Hæc est in hac questione sententia Probabilistarum, quod attinet ad opinionem unius singularis Auctoris.

7. Quid verò sentiant de opinione plurium, ex his colligere facile poteris. Sed ne sit tibi conjecturis opus, audi P. Terillum, Proba-

bilissimi vindicem acerrimum, & inter Recetiores facile Principem, qui de aliorum omnium sententia communem hanc assertionem statuit, ut certum canonem Probabilismi. Omnis opinio, quam tres, quatuorve viri doctrina, & pietate præstantes post diligens examen absolute tradunt ut veram, aut, etsi teneant oppositam, docent esse probabilem, est certò probabilis quoad nos, modò nemo doctrinam, ac pietate celebris, talis opinionis probabilitatem in dubium revocet; licet alii communiter eam ut falsam rejiciant. Subjungitque immediate: Demonstratur assertio, quæ apud omnes est in confesso. En assertionem omnium Probabilistarum, quam disertè Terillus, non nisi demonstrandam nobis consignat.

Terillus de
conf. proba-
bili. q. 6.
post nu. 17.

ARTICULUS II.

Affirmativa hujus sententia fundamenta.

8. **P**rimum desumitur ex D. Thoma quodl. 3. a. 10. ubi ait, posse quemquam amplecti opinionem, quæ à Magistro audivit, in iis, quæ ad mores pertinent: verba sunt gravis Probabilistæ. Ergo cum S. Doctor assertionem non limitet, nec exceptionem aliquam afferat, licitum erit ex mente ipsius uti opinione qualibet, etiam unius gravis Auctoris.

9. Secundum: omnis moralis opinio, quæ innititur fundamento non levi, est opinio probabilis, adeoque recta operandi regula; hæc enim est recepta communiter opinionis probabilis definitio. Sed auctoritas viri probi, simul, & docti, leve fundamentum non est; nam si non levis (inquit P. Sanchez) sed magni potius momenti censetur, ut Romæ aliquid contigisse credamus, quod vir pius, & gravis illud testetur, cur non magni momenti in re morali dubia putandum sit, quod vir pius, ac doctus in ea materia censuerit? Ergo quæcumque opinio, vel unius gravis

Sanchez li.
1. Sum. c. 9.
u. 7.

C Aucto-

Auctoris, probabilis censenda est, atque adeo sufficiens agendi regula.

10. Tertium: secundum documentum Philosophi, *Sapientium dictis non aliter, atque demonstrationibus, standum est*: ergo in rebus moralibus dicto, vel opinioni viri sapientis (& à fortiori, si plures sent) stare possumus, ac debemus: ergo quaecumque opinio, vel unius sapientis, est regula sufficiens operandi.

Et confirmatur: qui in rebus agilibus sequitur dictamen sapientis, secundum rectam rationem agit; nam, ut ait Augustinus, *Stultus omnis peccat, nisi in iis factis, in quibus sapienti obtemperaverit: à recta enim ratione talia facta proficiuntur*. At quisquis agit juxta rectam rationem, honestè agat necessum est: ergo.

August.
li. de utilit.
cred. c. 12.

11. Quartum: juxta divinæ, & humanæ prudentiæ regulas in rebus incertis, ac dubiis jubemur sapientes consulere. At frustra, & inutiliter consuleremus, nisi eorum consilium tutò, & prudenter possemus amplecti. Nec verò dici potest, quod debeamus multos consulere: nam si unum non sufficit, teneremur adire non tot, quin plures; unde nihil à nobis agendum erit, quin prius totam urbem circumcursemus, omniumque sententias audiamus: quod esset onus intolerabile, à nulloque prudente admittendum. Fatendum ergo est, quod unius sapientis dicto, aut consilio, prudenter possumus acquiescere.

Eodem autem argumento probatur, quamlibet opinionem, quam in Auctoris gravis libro inveniamus, esse rectam, ac tutam agendi regulam; quia non minus, sed magis consideratè scribere, quam loqui, viri sapientes solent, præsertim quando scripta prælo, & censuræ publicè subijciunt.

12. Quinto demum arguitur argumento reflexo, quod apud Recentiores validissimum est, ac frequentissimum argumenti genus. Quod saltem multi graves Auctores (pona-

mus decem, aut si videatur numerus parvus, ponamus quinquaginta, vel centum, vel ultra, si placeat) docent esse honestum, ac licitum, probabile sine dubio est; aut si id negetur esse probabile, vix aliquid in morali Theologia, quod expressè non fuerit revelatum, probabile censendum sit. At multi Auctores graves (certè non pauci) docent, licitum esse agere ex quacumque opinione alicujus gravis Auctoris: & si ulterius ascendere per reflexiones velis, omnes omnino, saltem Probabilistæ, qui ferè innumerales perhibentur, docent, licitum esse, quod multi Auctores graves licitum esse docent, adeoque doceant necessum est eandem etiam illam conclusionem: igitur probabile est, honestum esse, ac licitum agere ex quacumque opinione alicujus Auctoris gravis.

13. Vel aliter brevius, & clarius: omnes saltem Probabilistæ docent, licitum esse, quod multi Auctores graves licitum esse docent: sed multi Auctores graves docent, licitum esse uti opinione qualibet alicujus gravis Auctoris: ergo omnes Probabilistæ hoc ipsum licitum esse docent. Atqui, quod omnes Probabilistæ (cum sint Auctores graves numero pænè innumeri) docent licitum esse, probabile procul dubio est. Est igitur certò probabile, licitum esse amplecti quamlibet opinionem alicujus Auctoris gravis. Ergo (quod tandem legitime deducitur) quaecumque opinio gravis Auctoris, & à fortiori plurium, certò est probabilis, adeoque regula honestatis moralis.

ARTICULUS III.

Quæstionis resolutio.

14. **D**icendum tamen est, ac firmiter tenendum, non omnem opinionem, etiam multorum gravium Auctorum, sufficere ad honestè operandum, seu, quod eodem redit, non omnem esse regulam honeste-

nestatis moralis . *Non omnem* , inquam ; nos enim haud negamus , opinionem gravium Doctorum (immò , & unius tantum aliquando , licet rarissimè) etiam contra opinionem aliorum plurium , vel etiam communissimam , esse posse quandoque regulam sufficientem ad honestè operandum , dummodo fiat operanti propria , & omnibus inspectis , vera existimetur ab ipso . Sententiam verò nostram in hoc sèsu intellectam docent omnes Auctores , saltem Antiprobabilistæ , si quidem placeat hoc nomine appellare quotquot recentem Probabilissimum non probant .

15. Suadetur ex principiis capitalibus nuper à nobis stabilitis . Opinio unius tantum , vel etiam plurium gravium Doctorum affirmans aliquid esse honestum , vel negans esse à Deo prohibitum (de hac enim opinione quæstio est) non est conformis ex conceptu suo cum prima regula moralis honestatis : ergo non omnis opinio ejusmodi est regula sufficiens ad honestè operandum . Consequentia est legitima ex tertio fundamento , de cuius veritate dubitare non licet . Antecedens probatur : opinio illa ex conceptu suo non est potius vera , quàm falsa , immò sæpius conjungitur cum falsitate , quia frequentius contingit , unum , vel paucos falli , quàm multos , vel majores , vel saltem non minoris , auctoritatis . At conformitas opinionis cum prima regula , tota consistit in ejus veritate , in eo scilicet quod opinio affirmet id ipsum , quod præscribit regula prima . Ergo opinio alicujus , vel aliquorum gravium Auctorum non est conformis ex conceptu suo cum regula prima honestatis , sed frequentius contingit esse illi contrariam : ergo non omnis opinio hujusmodi , sed rarò , vel minus frequenter , est regula sufficiens ad honestè operandum .

16. Confirmatur : si opinio unius tantum , vel aliquorum gravium Auctorum contra opinionem plu-

rium , vel omnium , conformaretur ex conceptu suo cum regula prima honestatis , opinio illi contradictoriè opposita , esset eidem regulæ ex conceptu suo contraria ; nam ex lege contradictionis , si una contradictoria est vera , altera debet esse falsa . At nemo sanus dixerit , opinionem multorum , vel etiam omnium , contra opinionem pauciorum , vel unius , falsam esse ex conceptu suo , sive , quod idem est , legi contrariam ; vel enim id habebit ex eo quod sit plurium , vel omnium , & hoc constat dici non posse ; vel ex eo quod militet pro lege contra libertatem , & hoc est etiam evidenter falsum ; nisi velis , ut nemo falli possit , dum negat legis obligationem , nemo verò possit non falli , dum obligationem statuit , quod est ridiculum , & stultum . Evidens ergo est , opinionem , vel omnium , vel multorum , contra opinionem paucorum , vel unius , non esse primæ regulæ ex conceptu suo contrariam : ergo evidens est , opinionem unius , vel paucorum , contra opinionem , vel multorum , vel omnium , non esse eidem regulæ ex conceptu suo conformem : ergo evidens est , non omnem opinionem ejusmodi sufficere ad honestè operandum .

17. Dicis , his argumentis evidenter probari , non omnem opinionem unius , vel paucorum gravium Doctorum esse conformem regulæ primæ materialiter , & in se ; secus verò formaliter , & quoad nos , quod satis est , ut ex conceptu suo sit regula sufficiens honestatis . Ratio est : nam , esto contingat , prædictam opinionem esse re ipsa falsam , adeoque primæ regulæ materialiter non conformem , hoc non tollit , quominus innitatur fundamento magni momenti , auctoritate scilicet Doctoris gravis : opinio verò gravi fundamento innixa prudenter potest judicari probabilis , adeoque primæ regulæ formaliter saltem conformis .

18. At contra est : nam argu-

menta nostra eadem efficaciâ probant utrumque, neque primo supposito, subsistere secundum potest. Porro, si evidens est, ut largitur solutio, & argumentis nostris evidenter convincitur, non omnem opinionem unius, vel paucorum gravium Doctorum esse conformem regulæ primæ materialiter, & in se, evidens debet esse, quod nec formaliter, & quoad nos possit esse eidem conformis, conformitate saltem conducenti ad honestandam operationem, vel positivè, vel negativè: aliam verò conformitatem purè apparentem, ac sine fundamento, neque loquimur, neque curamus.

19. Et ratio est manifesta: quia formalis conformitas, de qua loquimur, in eo sita est, quod opinio, licet in se, & re ipsa non sit conformis, possit tamen prudenter, seu non temerè, judicari conformis, utique re ipsa, & in se: nam qui prudenter judicare non potest, opinionem quam sequitur, conformari re ipsa cum prima regula, voluntariè, & spontè deviat ab illa, cum voluntariè eligat regulam deviam, & ipsi primæ regulæ non conformem, ut vel ex ipsis terminis patet. Sed quisquis videt, evidens esse, aliquam opinionem esse re ipsa falsam, atque adeo contrariam regulæ primæ, prudenter nequit (immò nec imprudenter) judicare, prædictam opinionem conformari re ipsa cum lege Dei, seu cum regula primæ: ergo talis opinio nequit esse eidem conformis, adhuc formaliter, & quoad nos.

20. At constat evidenter, ut faceris, non omnem opinionem unius, vel paucorum, contra opinionem omnium, vel plurium, esse re ipsa veram, & conformem regulæ primæ, adeoque aliquam (immò plerumque) esse re ipsa falsam, & contrariam: ergo nemo prudenter omnem opinionem hujusmodi potest judicare conformem in se, & re ipsa cum prima regula: ergo non omnis conformis est, adhuc forma-

liter, & quoad nos: ergo non omnis regula est sufficiens ad honestè operandum. Sed de formali ista conformitate mox est ex professo dicendum.

ARTICULUS IV.

Uterior comprobatio nostre sententia.

21. **T**otam doctrinam nostram non tam subtilem, quàm utilem esse vellemus, ut præmonuimus in ipsa præfatione. Ergo quia multâ experienciâ didicimus, sententiam Recentiorum, quam impugnamus, prorsus illimitato, & cæco quodam modo usurpatam, ut frequenter accipi solet, esse valde noxiam in praxi, insigniaque Christianis moribus præjudicia, ultra quàm dici possit, afferre, ex ipsa ipsius praxis absurditate manifesta placet ulterius illam refellere, ejusque falsitatem conspicuam facere, cunctisque patentem.

Sed quia sæculi hujus, certè non boni, inveniuntur quamplures, qui honorem, famamque scrupulosè nimis, & ardentè zelentur, adeo ut siquid ab aliquo in ejus probum fortè dicatur, haud aliter accipiant, quàm si ipsis exprobraretur, si fortè nolint sit thesi locus, quod dixerimus, hypothesis esto. Et, si nulli sint modò (quod optamus) praxim, quam reprobabimus, exercentes, juvabit saltem doctrina nostra, ne ulli sint deinceps, qui ejusmodi praxim exercent. Atque hæc sint semel generaliter dicta pro similibus argumentis, ne quemquam inutiliter, & gratis offendamus, quando re ipsa neminem lædimus. De zelo verò isto, & ejus causa, ac fine, non pauca in decursu dicemus.

22. Igitur ex sententia Recentiorum fiet, aut saltem fieri poterit, ut quilibet, seu doctus, seu indoctus, quamlibet opinionem suæ libertati faventem, in libro gravis Auctoris

re-

reperitam, vel assertam ab ipso, vel relatam, & nullâ notatam censurâ statim velit sine examine ullo ad praxim securus deducere. At praxis ista absurdissima est, & quæ Christianis moribus insignia afferat detrimenta: ergo sententia illa vera non est, sed ab omnibus repellenda. Certè sequela ista non tam videtur sequela esse, quàm ipsamet Recentiorum assertio. Utique, si omnis opinio, vel unius gravis Auctoris, est regula sufficiens honestatis, & quidem, licet mihi contra illam fortè occurrant rationes, quæ etiam insolubiles mihi videantur, quid est, quod ultra debeam curare, aut cur statim nequeam absque ulteriori examine præfatam opinionem amplecti?

23. Sequelæ verò absurditas nimis aperta est. Ex illa nanque in primis deducitur, supervacaneum esse, & inutile pro dubiis conscientiarum occurrentibus, studium omne Theologiæ moralis, immò & divinum orationis studium; ut quid enim ultra laboret, qui ad suæ operationis rectitudinem habet jam regulam, & quidem infallibilem juxta Recetium Probabilistarum principia, videlicet opinionem probabilem suæ libertati faventem? Hanc autem regulam, si vera est sententia Recentiorum, parvo certè labore, & nullo penè studio quivis, etiam indoctus, poterit comparare ex brevi aliqua summa, seu casuum collectione, immò, & ex ipsis librorum indicibus.

24. Sanè vulgares Summulæ casuum conscientiarum, quæ, linguâ etiam vulgari, quotidie prodeunt, vix aliud sunt, quàm breves quidam indices alphabetico ordine digesti opinionum, ut ajunt, probabilium, & Auctorum illas docetium. Aperiatur alioqui experimenti gratiâ compendium celeberrimum, seu Summula Dianæ prolixè, & ultra modum à Recentioribus commendata, eisque approbationibus, & immodicis laudibus onusta, quæ nimis etiam videri possent pro libris Augustini de

Civitate Dei, aut pro Summa Theologica D. Thomæ: aperiatur, inquâ hæc Summula, & vix ulla invenitur brevis pagella, in qua decem, aut plura dubia moralia probabiliter non resolvantur, annotatis Auctoribus cujusvis opinionis ad hunc modum, *Trullench, &c. Escobar, &c. Palaus, &c.* Si ergo mihi sufficit ad honestè operandum invenire opinionem, vel unius Auctoris gravis, meæ libertati faventem, sufficiet etiam mihi in dubiis occurrentibus legere nosse, nec ulterius tenebor, quamvis facilè possem, per me ipsum evolvere libros alios, nec Theologos sapientes consulere, immò neque Deum orare.

25. Ex illa ergo opinione fieret (& utinam nimis non fiat!) ut mercatores, & nummularii, ministri publici, quantumvis imperiti, & alii quilibet sæculi homines implicatissima quæque negotia, difficillimaque tractantes, quæritâ Summa vulgaris idiomatis, sive conscientiarum casuum compendio, possent se per se ipsos, & inconsultis Theologis, à dubiis quibuscumque conscientiarum, atque difficultatibus expedire, & quidem, si esset vera sententia Recentiorum, prudenter, & irreprehensibiliter. Profectò invenire opinionem libertati suæ indulgentem alicujus Auctoris, vel aliquorum, qui ex fama publica graves vulgò putentur, & quæ notata ab aliis non sit, per se ipsos facilè possunt: illâ autem inventâ, regulam infallibilem jam habet, secundum quam agendo procul sint ab omni peccato, immò & ab omni peccandi periculo: quin, licet ipsos falli, & quidem plerumque, contingat, honestè nihilominus, & meritorie secundum Recentiores operantur.

26. Ut quid ergo miramur, & dolemus sæculi hujus morem satis communem, magis, magisque in dies invalescentem; vix enim rarum aliquem invenias ex ejusmodi hominibus, qui pro negotiis suis, quantumvis difficillimis expediendis, ac

di-

directione suæ conscientiæ, Theologos aliquando consulat, cum tamen multi eorum timorati communiter habeantur, immò etiam devoti, & qui frequenter nimis accedant ad Ecclesiastica Sacramenta? Quid item querimur, & exprobramus nonnullorum Confessariorum compertam imperitiam cum ingenti audacia cōiunctam, qui moralem Theologiam statim post exiguam Grammaticæ notitiam vix summis labris degustavere, & ipsius studio sanè latissimo, ac maxima ex parte difficili, vix horam unam aliquando impendunt; & tamen confessiones quorumlibet sine ullo discrimine, & brevissimo temporis spatio, intrepidissimè audiunt, ac expediunt? Quid demum sæpè mirabūdi recolimus, rariores in hoc sæculo inveniri consumatæ sapientiæ viros, qui moralis Theologiæ subtiliora principia intimiùs perferutentur, & calleant, abstrusioresque ipsius difficultates facillè per se ipsos, atque scientificè noverint expedire? Audiavi ego non semel viros eximiè prudentes, ac pios, hæc omnia seriò commemorantes, magnoque cum dolore, & admiratione inter se identidem recolentes.

27. Sed enim verò nobis, si vera est Recentiorum sententia, dolor iste videtur non modò otiosus, verum etiam injustus, & admiratio prorsus stulta. Porro negotiatores, & quivis alii homines rebus sæculi huius implicatissimi frustra, & otiosè Theologos fatigabunt pro dubiorum suorum resolutione, cum ipsi sibi ipsis sufficiant.

28. Ob eandem rationem Cōfessariis, eorum hominum confessiones nullum, aut parvum negotium faceffent; nam, prætermisso, quod in suis negotiis vix poterunt peccare, ut statim magis urgebo, ipsi peccata sua facillimè cognoscent, & expedite in confessione aperient; unde cessat in ipsis Confessariis necessitas majoris studii, aut abundantioris scientiæ. Præterea Confessarii

eādē ipsi regulā utentes, parvo, vel nullo studio, ac labore, poterunt expedire; & quidem securissimè, si quæ dubia reitent solvenda: quare nihil est quod formident.

29. Denique graviore magistri, & professores Theologiæ moralis ob easdem rationes facillimè adimplebunt munus suum, nec erit, cur altioribus principiis intimiùs penetrandis infudent, aut quare pro moralibus veritatibus scientificè, ac solidè eruendis fatiscant. Nihil igitur erit, cur nostri sæculi infelicitatem dolere, aut negligentiam culpāre possimus; sed gratulari nobis magis debemus, & nostris temporibus plaudere cum multis Recentioribus crebrò plaudentibus.

30. Verumtamen hæc omnia, quæ ex contraria sententiā Recentiorum immediatè, ac legitimè consequuntur, absurdissima planè sunt apud prudentes omnes, & pios: quod quidem multò evidentius est, quàm ut à nobis debeat ostendi. Audiatur tantum Bonaventura in ipso prologo sui Confessionalis: *Cum secundum B. Gregorium sit ars artium regimen animarum, & occultiora sint vulnera cogitationum, quàm viscerum, horrendum profectò est videre quosdam Sacerdotes nostri temporis (tu vide, Lector, an etiam nostri?) qui Sacram Scripturam, in qua præfati regiminis ars sufficientissimè traditur, & Jura Canonica, & Scripta Doctorum, in quibus plenissimè declarantur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt; & tamen cordis medicos in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metunt, &c.* Tali ergo odibili ignorantia, &c. Id ipsum quoque confirmat, & urget D. Thomas, eodem adducto etiam medicorum exemplo. Vide precor, an postulet laborem, & studium, munus hoc regendi conscientias, & moralia dubia expediendi, & utrum usque adeo facillè, & tutò possit à quolibet exerceri? Væ nostri temporis Confessariis innumeris! Væ pœ-

Bonav.

D. Tho.
opulc. 65.

ni-

nitentibus ad ipsos accedentibus, nisi hi summi Ecclesiæ Doctores verbis inanibus nos deceperunt!

ARTICULUS V.

Improbatur ulterius Recentiorum sententia, & signanter Terilli assertio.

31. **S**I qualibet opinio cujuslibet gravis Auctoris foret sufficiens regula ad honestè operandum, vix aliquid in praxi foret illicitum: vix enim erit actio moralis, quæ, ut practicè exercenda, & sub suis peculiaribus circumstantiis considerata, adeo sit evidenter turpis, ut invenire nequeas opinionem Auctoris gravis, qui ipsius honestatem propugnet.

32. Porro in quavis materia cõditio ipsa humani intellectus, supposita naturæ corruptione, magnam fert judiciorum varietatem, ut vix sit aliquid apud omnes constans, & nullo dissentiente, receptum. Præcipuè autem verum id est, ubi de humanarum actionum bonitate, aut malitia agitur, tum ob propriam ipsarum incertitudinem, & peculiarrem variabilitatem, quam toties Aristoteles exaggerat; cum etiam maximè ob innatum hominibus sibi, & aliis placendi desiderium, quod in hoc nostro sæculo, toto ad benignitatem circa doctrinam morum composito, in dies vehementer increfcit. Mirum utique est quantum hodiè communiter arrideant opiniones benignæ, ut vocant, & libertati humanæ indulgentes, ut vel hoc solo titulo (qui certè non est nota doctrinæ Christi, si Evangelium ejus non fallit) avidissimè conquirantur, & maximè plausibiles sint libri eorum Auctorum, qui benignis sententiis, seu expressè, seu facto ipso, plerumque se adhærere profitentur, cujus generis inveniuntur haud pauci.

33. Quam verò potens sit ejusmodi affectus ad inclinandum judicium nostrum, ut putemus, licitum

esse quidquid jucundum, & placens est, & ratio ipsa facile dictat, & frequens experientia docet. Porro, ut sapienter dixit Angelicus Præceptor, *unusquisque faciliter credit, quod appetit.*

D. Th. o. 2.
2. q. 6. a. 3.
corp.

Cæterum de periculo isto haud pauca in decursu dicemus. Interim verò dicta sufficiant, ut dilucidè appareat, quàm sit facile ubique invenire opinionem humanæ libertati faventem, & deobligantem à legis observantia, quam communis opinio injungit.

34. Si igitur omnis opinio, vel unius gravis Auctoris, in tanta, tum Auctorum multitudine, tum judiciorum hominum varietate, tum etiam opinandi licentia, dicatur esse regula sufficiens ad licitè, & honestè operandum, peccata vix non erunt entia rationis, & velut Platonis ideæ, universalis quædam principia ab individuis omnibus separata; vix enim aliquando continget, legem universalem, & communem per singularem aliquam actionem formaliter à nobis violari. At hoc, quisquis non censeat, Deum esse irridendum, & ejus leges floci pendendas, admittere nullo modo potest. A nullo ergo debet admitti prædicta Recentiorum sententia.

35. Reponent forsitan, haud ita esse obvium, ac facile, in quolibet occurrenti dubio invenire opinionem gravis Auctoris humanæ libertati faventem, quæ à cæteris Doctoribus, vel ab aliquo saltem non sit notata, tanquam improbabilis. Hoc autem ipso, quod notata sit, exceptionem jam habet, ut non sufficiat ad honestè operandum.

Sed in primis hac evasione non omnes Recentiores uti possunt; neque enim omnes assertioni suæ limitationem istam adjungunt; quin eorum non pauci illam ex professo rejiciunt. Contra hos ergo stabit argumentum nostrum, cujus sequela videtur legitima; sequelæ verò absurditas evidens. Rursus adversus omnes

nes

Philosoph.
Ethic. præ-
sertim li. 1.
c. 3. & li. 2.
c. 11.

nes procedunt argumenta superius facta.

36. Deinde, admissa etiam limitatione illa, adhuc manet assertio nimium laxa, & humanis moribus noxia; plurimæ nanque suppetunt, & in dies ebulliunt opiniones, etiam singularium Auctorum, quæ à nomine notantur ut improbables. Utique Recentiores Probabilistæ admodum solent esse timidi, & acuti in notandis aliorum opinionibus, valdeque ad invicem comes, ac liberales in cōmendandis assertis suis. Quin, si quis in re ista non nihil audeat, severè reprehenditur, & ipsius censuræ contemnantur, & carpuntur communiter ab aliis; hic enim Theologi benigni communiter severissimi sunt, & implacabiles. Et quidem, ut existimo, admodum consequenter ad principia sua gerunt; neque video, quo jure, quoque principio firmo, & non penitus arbitrario Probabilistæ possint aliquas opiniones, nisi expressè damnatas, aut manifestè erroneas, de improbabilitate notare, de quo latius postea dicendum. Ergo approbare ut honestatis regulas generaliter opiniones omnes, quæ ut improbables notatæ non sunt, nimis adhuc est laxum, nimiamque indulget licentiam peccandi.

37. Verum age, ne diutiùs immoremur, sententiam Recentiorum istorum, etiam prætenfa restrictione donatam, immò & ipsam Terilli demonstrabilem assertionem, quæ apud omnes est in confesso, argumento evidenti refellamus.

Nulla opinio moralis scandalosa, & in praxi perniciofa, ideoque, ut talis ab Ecclesia damnabilis, est opinio certò quoad nos, immò nec ullo modo verè probabilis. Sed stat, aliquam, & multas opiniones, doceri, à tribus, quatuorve viris (quin à plusquam viginti, vel triginta) doctrina, & pietate præstantibus, post diligens examen (ut supponitur) nemine interim illas notante, vel in dubium vocante probabilitatem ipsa-

rum, & tamen esse revera scandalosas, & in praxi animabus perniciosas, proptereaque ab Ecclesia damnari: igitur non omnis opinio, quam tres, quatuorve viri doctrina, & pietate præstantes post diligens examen absolute docent, ut veram, vel saltem, ut certò probabilem, etià si nemo neget, aut revocet in dubium ipsius probabilitatem, est quoad nos certò, immò neque ullo modo probabilis. Ecce contradictoriam demonstrabilis assertionis omnium recentium Probabilistarum, evidenter, ut reor, demonstratam.

38. Porro discursus noster moraliter ut minimum evidens, & undique infallibilis apparet: nam propositio major in primis certa, & indubitata absolute cēseri debet, neque posse contingere timendum foret, ne de evidenti ipsius veritate aliquando dubitaretur, nisi facto ipso notorio invicta hujus argumēti efficacia Probabilistas in angusto positos hanc unam sibi reliquam fugiendi viam post moderna Pontificum Decreta turmatim arripuisse constaret. Interim verò sufficit nobis hoc argumēto nostro ad id ipsos omnino compulisse, ut absolute fateri debeant, probabilitatem, quam docent, esse tutam agendi regulam, eam esse, ut benè cohæreat, aliquam opinionem esse verè probabilem, & esse simul scandalosam, & in praxi perniciosam; quod certè, nisi factum doceret nos, nunquam possibile crederemus, ut ab aliquo Theologo affirmaretur. Præterea viam istam (si via dici potest) præcludemus facile postea.

39. Mi. verò argumenti notoria est, & constans in Ecclesia Catholica, in qua non pridem, sed ab anno 1665. ultra 140. opiniones morales damnatæ sunt, ut minimum tanquam scandalosæ, & in praxi animabus perniciosæ, quarum aliquæ à multis, & gravibus Auctoribus absque aliqua nota docebantur. Certè (ut exempli gratia aliquam referamus)

Vide infra
li. 2. cōtrov.
1. 2. 1.

mus) opinio, quæ docebat, annuæ communionis præceptum impleri posse communionem sacrilega, adeo erat communis inter Theologos, ut vix jam aliquis inveniretur, qui illam absolute veram, ne dum probabilem esse negaret. Denique consequentia recta est, nisi cui fortè negare libeat, Theologos hujus temporis errare posse, sicut potuerunt, & re ipsa erraverunt Theologi temporis præcedentis. Consequens demum contradictorium est communis assertio- nis Recentiorum.

Evidens ergo sit, & firmiter tenendum contra modernos Probabilistas, non omnem opinionem alicujus, vel plurium gravium Doctorum humanæ libertati faventem, etiam si ut improbabilis à cæteris non rejiciatur, esse regulam sufficientem ad licitè, & honestè operandum.

ARTICULUS VI.

Ad argumenta sententia contraria.

40. **A**D primum respondetur, D. Thomam in eo loco (sicut & aliàs nunquam) non modò assertionem illam non tradere, immò expressè docere oppositum. Nempe in corpore articuli, cum præmisisset, auditores Doctorum Sacra Scripturæ absque periculo amplecti posse diversas opiniones eorum, siquidem neque ad fidem, neque ad bonos mores pertineant, subjungit, *In his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat.* Vide, quàm longe sit à mente D. Thomæ benigna sententia, quæ vocant, maximè verò, quam refellimus modò universalis Recentiorum assertio; pro qua tamen adducitur S. Doctor verbis expressis in argumento.

41. Ad secundum admittimus definitionem illam opinionis proba-

bilis in recto, & sano sensu intellectam. Negamus autem auctoritatem unius viri gravis, ac docti, immò etiam plurimorum, universaliter, & ubique, esse fundamentum non leve. Paritas verò adjuncta, si procedat de aliquo casu speciali, pro quo nihil habeamus in oppositum, vera est, sed non opportuna. Si verò generaliter procedat, sicut procedit Recentiorum assertio, dicimus, paritatis assumptum non minus esse falsum, quàm assertionem ipsam; unde contra adversarios facile retorquetur. Certè, si viro illo alioqui fide digno aliquid Romæ contigisse attestante, duo alii, vel plures non minoris auctoritatis oppositum attestarentur, testimonium ipsius pro illis circumstantiis non censeretur magni momenti, neque possemus illi præbere fidem, saltè secundum regulas prudentiæ.

42. Ad tertium dicimus, documentum Philosophi acceptum in sensu legitimo, & intento ab ipso Philosopho, esse verissimum, ac prudentissimum; in sensu verò intento à Recentioribus, nec veritati, nec prudentiæ congruere. Rogo enim, cur dictis sapientum, qui nobis aliquid licere negant, similiter non sit standum, præsertim quando sunt numero plures, vel auctoritate potiores? Numquid soli sapientes sunt, & eorum dicta attendenda, qui nostræ liberrati opinionem faventem docent; qui verò pugnant pro lege Dei, neque sapientes sunt, neque audiendi? Certè sapientia hæc saperet nimium carnis sapientiam.

43. Rogo iterum, quid nobis sit faciendum, si vir alioqui sapiens, ac prudens doceat nos opinionem tenuiter probabilem? Quid, si erroneam? Neque enim puto Recentiores negabunt, viros aliàs sapientes, & sapientissimos, aliquando posse desipere. Dicent, illius dictum contemnendum omnino, neque documentum Philosophi in eo eventu locum habere. Rectè. Sed cur tantundem

D re-

reponere nobis non liceat? Nempe sapientium dictis tunc solum esse standum, quando rationi, dictisque aliorum æquè sapientium, aut fortè sapientiorum, repugnare non viderimus; quo certè nihil æquius, rationive conformius.

44. Ex his patet responsio ad testimonium, in argumenti confirmationem ex Augustino acceptum. Ad quod item possemus multa reponere ex Augustino ipso. Sed quia appellatio ista ad sapientes, atque prudentes, quæ nobis valdè placet, si legitimè interponatur, admodum frequēs est, & familiaris Probabilistis, adedut in ea tandem totam litis spem reponant, fusiùs nobis de illa infra tractandum erit, & ideo modò dicta sufficiant.

45. Ad primum respondemus similiter, constare jam, quo sensu possimus, ac debeamus, sapientes, ac prudentes consulere, & eorum dictis stare. Nec dicimus, debere nos consulere sapiētes omnes, sed juxta qualitatem, difficultatem, & reliquas actionis circumstantias, prudentiæ leges esse tenendas, & diligentiae modum in inquirenda veritate taxandum.

46. Verum quid dicent Probabilistæ de iudice in ferenda sententia, aut de Ministro Sacramentorum in ipsis conficiendis, aut conferendis? Numquid debent sapientes, ac prudentes omnes consulere in cunctis dubiis sibi occurrentibus, in quibus, magno Dei beneficio, constat jam nobis nō esse licitum usum opinionis ullius, quæ sit æquè, aut minus probabilis? Profectò prudens quisque (ut pro omnibus respondeamus) in negotiis humanis magni momenti, neque consulit omnes sapientes, neque fudit dicto cuiuslibet. Cur ergo in solo negotio salutis, licet omnes consulere non debeamus, cuiuslibet dicto fidemus? Numquid res temporales, & caducas pluris debemus facere, quàm æternas, & in illis, secus in istis, errores diligenter

cavere? Hæc enim verò non hominis Christiani, quinimmò neque hominis prudentia esset, sed turpis potius, atque beluinus alicujus Athei error.

47. Demum ad argumētum reflexum Probabilistarum respondemus, hujusmodi argumenta parvi nobis momenti esse. Sanè fallacia istius argumētationis facilè, & multipliciter posset hic demonstrari, nisi de illa postea ex professō dicendum esset. Ad ostendendam ergo inanitatem hujus, atque similium reflexionum, hæc unica retorsio modò sufficiat: omnis opinio, quam multi Auctores graves (pone viginti, vel triginta, vel plures) absolutè docent ut veram, secundum omnes Probabilistas procul dubio, & certissimè est probabilis, adedque recta operandi regula: sed opinio, quam multi Auctores graves, etiam viginti, vel triginta, vel plures, absolutè docent ut veram, potest esse tenuiter probabilis, vel prorsus improbabilis, vel etiam animabus noxia, scandalosa, & perniciosa in praxi, ut non semel de facto contigit: ergo opinio tenuiter probabilis, vel prorsus improbabilis, &c. secundum omnes Probabilistas procul dubio, & certissimè probabilis est, adedque recta operandi regula. En tibi argumentum reflexum, quod Recentiores Probabilistæ demonstrativum passim appellant. Vide precor, quàm rectam, quàmque Catholicam regulam honestatis demonstret.

48. Illam ergo vulgarem propositionem, *quid quid multi graves Auctores docent licitum esse, verè licitum est, vel est certò probabile, licitum esse*, etiam cum restrictionibus, quas Recentiores adhibent, & nuper recensuimus, non esse veram, sed verè miserandam, & quæ infinita mala, & deplorandam morum stragem in Christianum Populum invehit, omnia argumenta nostra convincunt. Frustrà ergo recurritur ad reflexiones ruinoso fundamēto sub-

ni-

nixas, quæque revera non aliud sint, quam ædificia quædam speciosa, & magnifica, inania tamen, & apparentia, super mobili arena, vel ipso in aere sumptuosè constructa. Porro falsum fucari, pingive potest, ut verum appareat: ut verum sit, fieri nunquam potest.

ARTICULUS VII.

Corollaria pro praxi.

49. **E**X hujus igitur controversiæ doctrina deduces primò, nullum esse Doctorem particularem (excipio modò SS. Ecclesiæ Patres, quos reliquis annumerari non decet, & de quibus quid sit tenendum, alibi à nobis determinandum est) quantumcumque doctum, ac pium, cujus opiniones morales generaliter assumi possint, ut regula sufficiens ad honestè operandum, itaut ipsius opinionem sequendo, hoc solo titulo, & absque alio ullo veritatis examine, honestè quis egisse censeatur.

50. Illatio patet evidenter ex dictis: quia nullus Doctor particularis est, qui aliquando errare non possit; neque enim potest mētiri, qui dixit, *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax*: immò, qui aliquando non erret, ut experientia ipsa demonstrat, *Quia non est hominis* (inquit D. Angelicus) *ut nihil à mente ejus excidat*. Contingere ergo potest, & quandoque continget, ut Doctor ille, quantumvis gravis, revera decipiatur, ut homo, & doceat opinionem non solum falsam, sed etiam improbabilem, ac perniciosam. At hujusmodi opinio secundum omnes non potest esse regula honestatis: ergo nullus est Doctor particularis, quantumcumque doctus, ac pius, cujus omnis opinio absque ulteriori veritatis examine assumi generaliter possit, ut regula sufficiens ad operandum.

51. Hinc secundò deduces, nec tutò, nec prudenter procedere, ne-

que fatis curare propriæ, aut alienæ salutis negotium, Confessarium, qui ex brevi quadam Summa casuum conscientiæ, quam unicè revolvit, & familiarem habet, omnia sibi occurrentia dubia resolvit, si quidem resolutio suæ, aut alienæ libertati faveat, à legi quæ observantia deobliget. Denique iste laxiorem adhuc, & minùs tolerandam regulam sequitur, quàm sit regula Recentiorum à nobis proximè reprobata. Immò laxiorem adhuc eo articulo, *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem*, qui est 27. ab Alexandro VII. damnatus: nam Summa illa, nisi sit modernissima, aliquam forte, aut plures continebit propositiones, non solum improbabiles, ac damnabiles, sed etiam expressè damnatas.

52. Sed en Parochus iste, seu Confessarius, opponit nobis, quod millies audivimus. Quamvis opinio aliqua meæ Summæ appareat mihi falsa, aut improbabilis, potero tamen ego ita mecum discurrere prudentissimè: Auctor hic procul dubio fuit multò me sapientior, ac prudentior: dubium hoc ex professo resolvit: utriusque partis momenta ferò, ut credendum est, maturèque libravit: ratiunculas, quæ mihi contra opinionem ejus occurrunt, ipse, ut credere debeo, vidit, atque despexit: quorsum ergo tantillum judicium meum ipsius judicio præponam cōtra præceptum Dei admonentis, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*? Hæc certè nimia foret, ac superba præsumptio. Ergo tutò, ac prudenter, immò multò prudentius, meâ despectâ, hujus Auctoris opinionem amplector:

53. Insignis hæc modestia, & larvata docilitas, quæ multos decipit non admodum invitos, nec nimis deceptionem timentes, aliud non est, si larva detrahatur, quàm ille aurium pruritus, quem prædixit Apostolus, *Coacervabunt sibi Magi-*

D 2 *sros,*

Ad Roma.
3.

D. Tho. in
Ethi. 7. c. 1.

2. ad Ti.
moth. 4.

stros, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Nempe, qui sic se gerit in conscientia formanda, Auctorem illum colit, & audit, non equidem quia vera, sed quia sibi placencia loquitur, & aurium pruritum scalpit.

54. Quid enim oro te, si vel ipse, vel alius fortè sapientior ipso, duriusculum quid doceat, & tuæ libertati contrarium? Tunc ipsius auctoritas nihili fit, sed facillimè à te contemnitur. Quare non facis tunc discursum illum tantæ humilitatis? Quia minime, inquis, teneor. Quin, licet possem facere, & ex illo concludere, Auctorem illum vera docere, liberum mihi est facere discursum oppositum, contrariamque opinionem alterius Auctoris, amplecti.

55. Sed non loquimur modò de tua ista nimia libertate, de qua mox latè, Deo favente, & exactè dicturum sumus: id unicè contendimus, & ostendimus ex tua ipsa libera confessione, te neque Auctorem hunc, neque alium aliquando audire, vel quærere, quia vera, sed quia tibi placencia loquitur. Id verò nonne est veritatem planè contemnere, & nullam tibi aliam præfigere operandi regulam, quàm tuam ipsam liberam voluntatem ab omni ratione absolutam, ab omnique veritatis respectu? Quid autem aliud est *coacervare Magistros, prurientes auribus, & auditum avertere à veritate*, quod Apostolus damnat, & prædicat?

56. Ad objectionem igitur respondendo, discursum illum illimitatè, ac generaliter usurpatum fore valde imprudentem, & qui absurdè concluderet, debere nos, aut posse suscipere, & amplecti, quemcumque errorem doceat Auctor alioqui gravis, ne scilicet tantillum iudicium nostrum præferamus iudicio ipsius contra præceptum Domini iubentis, ne prudentiæ nostræ innitatur. Ut ergo tunc prudenter possum, ac debeo, contemnere dictamen ejus Au-

ctoris, quantumcumque absolutè gravis, ac pii, innitendo prudentiæ meæ, non utique quia meæ (quod unice Dominus reprobatur), sed quia aliorum sapientium auctoritate, & solidis munitæ rationibus: ita etiam similiter possum, ac debeo contemnere opinionem cujuslibet, quando non est verè probabilis, juxta præceptum Domini iubentis per Apostolum Joannem, ut non omni spiritui credam, sed ut probem spiritus, si ex Deo sint: & iterum per Apostolum Paulum, ut omnia probem, & quod bonum est, teneam, abstineamque ab omni specie mala.

57. Deduces tertio, nullum taxari posse determinatum Auctorum numerum, quorum opinionem sequendo universaliter, & ubique, prudenter quis, & rectè operetur, nisi fortè contingat, Doctores omnes modernos, & antiquos in eandem sententiam convenire, quia tunc non jam opinio, sed Theologicum dogma, & moraliter saltem infallibile, reputari meritò debet. Ratio patet ex dictis: nam opinio moralis, ex eo quòd sit plurium, aut plurimorum gravium Doctorum, non habet necessariam conformitatem cum lege Dei, sive cum prima regula moralis honestatis, cum possit absolutè contingere, ut sit non solum falsa, sed etiam improbabilis, aut erronea, & quæ mereatur ab Ecclesia damnari, tanquam perniciofa animabus, ut experientià notorià constat. Opinio verò hujusmodi juxta omnes non est congrua operandi regula. Nullus igitur potest determinari numerus Auctorum, quorum omnis opinio generaliter, & absque alio veritatis examine, sit regula sufficiens operandi.

58. Deduces tandem quarto, neminem posse tutò procedere ad praxim alicujus opinionis, ex eo quòd videat, vel audiat, ipsam doceri à multis, & gravibus Auctoribus, nisi progrediatur ulterius ad examen rationum, atque fundamentorum,

1. Ioan. 3.

1. ad The-
sal. 5.

rum, quibus Auctores illi moventur ad eam opinionem docendam. Non loquimur de rusticis, & imperitis, qui nequeunt per se ipsos rationum momenta librare; de his enim hominibus dicetur alibi, quomodo se gerere debeant. Itaque universalis Recentiorum assertio non solum falsa est, sed etiam (quod est plane mirabile) omnino vera, quin & evidens est, idque in ipsorum etiam Recentiorum principiis, assertio universalis eorum assertioni contraria.

59. Illatio ex dictis est manifestata, non solum absolute, sed etiam in principiis Recentium Probabilistarum. Porro secundum ipsos nulla prorsus opinio negans legis obligationem, sufficit ad honeste operandum, nisi fuerit directe certo, & evidenter probabilis; quod, ut principium certum in via Probabilistarum, Terillus passim supponit, & statuit, & firmius adhuc nunc a Pro-

babilistis tenetur; neque enim aliter declinari posse arbitrantur fulmen Pontificiae sententiae, quod benignam sententiam videbatur saltem afflasce, dum ann. 1679. Innocentius XI. sententiam benignissimam, quae docebat universaliter licitum usum cuiusvis opinionis, tenuiter etiam probabilis, cum aliis 64. publico Decreto confixit. At nulla opinio, ex eo praecise quod doceatur a multis, & gravibus Auctoribus, est certo, & evidenter, immo nec vere probabilis; potest nanque contingere, uti non raro de facto contigit, ut sit, non modo falsa, sed etiam improbabilis, & damnatione digna, ut manifeste constat ex dictis. Igitur nulla opinio, eo praecise quod doceatur a multis, & gravibus Auctoribus, est regula sufficiens ad operandum; quae est assertio contraria (& evidens, etiam ad homines) assertioni communi recentium Probabilistarum.

CONTROVERSIA QUARTA.

Utrum opinio gravium Doctorum stans pro libertate contra legem, saltem quando est probabilis, licet aequae tantum, aut minus, quam opinio contraria legem propugnans, sit regula honestatis moralis? Ubi multis praemissis pro recta intelligentia, & resolutione quaestionis, refertur duplex Probabilistarum opinio, quae late postmodum impugnanda deseritur.

1. **H**aec potissima est totius nostri Operis controversia, in cuius vera resolutione haud minoris momenti negotium vertitur, quam animarum ipsa salus aeterna: ut merito proinde non segniter, sed totis prorsus ingenii viribus, totisque mentis nostrae conatibus divinae gratiae auxilio munitis, incumbere cuncti debeamus, quovis deposito contentionis affectu, in tantae veritatis accuratissimam, ac sincerissimam inquisitionem. Ut vero resolutio, quae ad omnes pertinet, omnibus, si fieri potest, facilis, ac pervia reddatur, operae pretium sit in ipso huius disputationis ingressu genuinam terminorum in hac materia magis frequentium significationem exponere, & quaedam notabilia praemittere in eundem scopum conducuntia, ut proprium tandem, atque legitimum aperiatur quaestionis sensum.

ARTICULUS I.

Pro dicendorum intelligentia aliqua praenotantur, & exponuntur.

2. **H**abemus jam ex duplici probationem existimationem, vel opinionem nostram, de alicujus actionis honesta-

state: item non quamcunque opinionem unius, vel multorum gravium Auctorum, esse regulam honestatis moralis, sive, quod idem est, sufficere ad honestè operandum. Modò ulterius inquirimus, quid sit dicendum, quando opinio gravium Auctorum, licèt sit minus tuta, est tamen absolutè probabilis; non tamen magis, sed vel æquè, vel minus, quàm opinio opposita tutior. Pro cuius controversiæ faciliori, ac clariori resolutione sequentia breviter prænotanda sunt.

3. Et in primis quid sit, & quod duplex, regula honestatis moralis; in quo consistat ipsius reſtitudo, & unde tandem sit desumenda; quid sit honestas, vel inhonestas actionis humanæ, & moralis; de qua honestatis regula procedat controversia nostra, & qua ratione regula formalis, ac proxima, de qua tandem tota lis est, cum ipsa conscientia recurrit: hæc, inquam, omnia patent ex prima controversia. Divisiones verò conscientiæ, & alia multa ad illas spectantia, quæ necessaria modò non sunt, & expeditum cursum disputationis alieno tempore præmaturata confunderent, opportuno in loco tractabimus. His ergo prætermiſſis.

4. Notandum primò est, probabile, latissimè sumptum, esse quidquid, ut verum, ab intellectu probari potest, nimirum enuntiarı per enuntiationem incertam, seu per iudicium opinativum: quo sensu omnis opinio probabilis dicenda est; nanque probabile in hac latitudine in idem recidit cum opinabili. Cæterum in præſenti probabile, & opinio probabilis, in strictiori sensu accipiuntur. Nominè ergo opinionis probabilis significatur iudicium intellectus non prorsus certum, sed verè opinativum, quo enuntiantur, objectum honestum esse, vel inhonestum, seu, quod eodem redit, esse, aut non esse lege prohibitum, idque non temerè, aut præcipitanter, sed ex aliquo digno, sufficientique fundamen-

to. Si fundamentum desumptum sit ex objecto ipſo, aut ex propriis ipsius circumſtantiis, tunc iudicium vocatur probabile ab intrinſeco: si verò unicè ex auctoritate alicujus, aut plurium gravium Auctorum, dicitur ab extrinſeco probabile: si denique ex capite utroque, probabile tunc erit ab intrinſeco, simul & ab extrinſeco. Utraque autem hæc probabilitas aliis nominibus, & ſatis congruis, appellari conſuevit *authentica*, vel *rationalis*.

5. Notandum ſecundò, conſultò dictum eſſe, *iudicium non prorsus certum, sed verè opinativum*; modò enim non loquimur de probabili in ſenſu præciſivo, seu poſitivo tantum, prout ſcilicet dicit poſitivam, & veram dignitatem approbationis, præſcindendo à iudicii incertitudine, vel certitudine (quo ſenſu, quod eſt certum, aut evidens, maximè probabile eſt) ſed probabile accipimus, prout dicit dignitatem prædictam, cum excluſione tamen abſolutæ, & perfectæ certitudinis.

6. Notandum tertio, denominationem *probabilis*, ſi rigorosè loqui velimus, primariò, & principaliter cadere ſupra objectum, & ex ipſo refundi ſecundariò, & minus principaliter in actum. Certè probabile ſimpliciter dictum nihil eſt aliud, quàm, quod probari poteſt, aut debet, seu, quod dignum eſt, ut probetur per actualem iudicium intellectus, quod eſt ipſa actualis probatio; ſicut amabile, vel viſibile, eſt quod videri, aut amari poteſt per amorem, aut viſionem actualem: quod verò ab intellectu per actualem iudicium probatur, aut probari poteſt, non eſt iudicium ipſum, ut tale, ſed objectum potiùs ipſius. Ut tale, inquam; nam ſi conſideretur, quatenus eſt objectum alterius iudicii reſlexi, per quod cognoscitur probabiliter, tunc de iudicio ipſo directo eodem modo loquendum eſt, ac de aliis objectis probabilibus.

7. Objectum ergo ſe habet ut ſu-

subjectum, supra quod cadit denominatio *probabilis*; iudicium verò est forma illius denominationis: sicut in physicis paries, exempli gratia, est subjectum dealbabile, vel dealbatum; albedo autem non est alba simpliciter, sed forma dealbans parietem. Denique opinio nostra, vel iudicium probabile appellatur, quatenus respicit objectum probabile: unde denominatio est in objecto quasi passivè, in actu verò velut activè. Actus ergo, si propriè loquendum esset, non tam probabilis absolute, quam probativus dici deberet. Uti tamen jam habet, ut sine restrictione probabilis dicatur, quod certè parum refert, dummodò clarè constet, quid per hanc vocem significemus.

8. Notandum quartò, opinionem faventem humanæ libertati, appellari benignam, quia liberat ab onere servandi legem; eam verò, quæ legis obligationem tueretur, rigidam appellari, juxta communem loquendi usum à Probabilistis investum. An jure, vel injuria, non disputo. Hoc unum certum, veram benignitatem non ex commoditate, vel indulgentia, sed ex vera, & non apparenti utilitate mensurandam esse: nihil autem reverà nobis utilius lege divina, & onere ejus, attestante Regio Propheta, *Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti*.

9. Rursus aliis nominibus opinio stans pro lege dicitur turior, quæ favet libertati, minus tuta, vocatur: ubi, etsi voces comparativum sonent, re tamen ipsa non nisi positivum significatum habent; sola enim opinio, quæ militat pro lege, tuta est, quippe quæ sola liberat ab omni peccandi periculo; opinio verò favens libertati, affert secum periculum peccandi materialiter saltem, unde simpliciter tuta esse non potest. Exempli gratia: opinio, quæ docet, acceptum propter lucrum cessans, omninò restituendum esse, sine ullo periculo peccandi accipitur: opinio verò negans in hoc casu obligatio-

nem restituendi, exponit operantem periculo violandi saltem materialiter legem.

10. Cæterum Recentiores communiter jam dicunt, hanc divisionem esse de subjecto non supponente; quia nulla est opinio verè probabilis in sensu suo, quæ minus tuta re ipsa sit; opinio nanque favens libertati, si semel sit probabilis, est tutissima, non minus, quam opposita legem propugnans (quin etiam magis, si Deo placet, ut multi Caramueli subscribentes ex Recentioribus intrepidè ajunt) quippe quæ excludit omne prorsus periculum peccandi imputabiliter, seu formaliter: non est autem possibilis major securitas, quam quæ nullum periculum secum admittit. Ubi nota modestiam, & animi moderationem, nempe, quo loco sententiam nostram sententiæ suæ contradicentem, hi Theologi benigni reponant, & memor esto, dum eorum querelas de Auctoribus nostris audieris.

11. Nunc verò, si rogentur, quid de periculo peccandi materialiter, & violandi re ipsa legem? Ajunt intrepidissimè, verum esse, quòd opinio benigna ejusmodi periculum non arceat, immò valdè frequenter (quin & frequentius, si sit minus probabilis) conjungatur re ipsa cum violatione materiali legis: sed violationem istam nihil mali esse, nihil nobis nocere, neque periculum ejus curandum in terminis suæ sententiæ. Ita ipsi: num satis piè, & acutè, judicent alii nobis prudentiores. Id cunctis verè piis, & cautis, compertum esse debet, nempe, ut omne periculum violandi materialiter legem, non transeat in periculum peccandi, etiam formaliter, immò, ut non sit formale peccatum, violatio materialis divinæ legis non modò nihili facienda non est, sed potiùs vehementer timenda, atque pro viribus semper viranda. Verum hoc aliàs.

Modò autem sufficiat breviter adnotasse, in quo sensu divisio ista, quæ

quæ à præcedenti solis vocibus differt, communiter recepta sit. Utraque verò secundum omnes est purè materialis, quippè quæ neque dividat opinionem probabilem, neque probabile formaliter acceptum, sed ipsius materiam tantum.

12. Unde facilè colliges, probabile, seu probabilius, immeritò ab aliquibus imperitis confundi cum tutiori, vel minus tuto, cum prorsus ab illo præscindat. Utique omnis opinio stans pro lege contra libertatem, est eò ipso tutior (ut supponimus cum prudentioribus Probabilistis) utpotè magis distans à peccandi periculo: at non est necessariò probabilior, sed potest esse minus probabilis, aut etiam improbabilis omninò, si nimirum sit destituta sufficientibus fundamentis, quibus movere possit ad prudentem assensum: quo casu opinio opposita erit magis, aut unice probabilis, non tamen tutior, sed potius minus tuta, utpote minus à peccato remota; cuius rei obvia sunt exempla.

13. Notandum quintò, celebrem esse, & usitatissimam divisionem opinionis probabilis in probabilem solùm speculativè, & speculativè, simul & practicè. Quæ divisio, si dividat opinionem universalius sumptam, & ut abstrahit à materia morali, antiquissima est, & à sæculis ubique recepta, juxta celebrem divisionem scientiæ, in speculativam, & practicam, sive in activam, quæ practica est, & in purè contemplativam, quæ speculativa appellatur. Si verò sermo sit de opinione tantum morali, & in sensu superiùs insinuato, primus divisionis Inventor videtur fuisse Cajetanus, quem Navarrus deinde secutus est. Sed nihil jam frequentius apud modernos Probabilistas, qui nihil ferè expediunt, nisi sub distinctione *speculativè*, vel *practicè*, & nihil non per illam expediunt.

14. Est autem apud ipsos opinio speculativè probabilis, quæ re-

spicit moralem actionem secundum se, & abstractam à suis specialibus, vel ab aliqua saltem particulari circumstantia: practicè verò probabilis est, quæ proponit objectum ut subest suis omnibus circumstantiis particularibus; agere nanque non est abstractè, sed sub omnibus circumstantiis. Hinc, cum sæpe contingat, ut objectum abstractè, & secundum se licitum, ex adventu alicujus circumstantiæ particularis fiat illicitum, vel è contra, fieri quoque potest, ut opinio, quæ erat speculativè probabilis, practicè improbabilis sit. Atque hæc est inter Recentiores communis divisionis explicatio.

15. Hanc tamen divisionem, & explicationem ipsius, jam pridem P. Vazquez acriter impugnaverat, post Cordubam, quem ipse laudat, & refert; & alii deinde post ipsum. Sanè, quæ Recentiores significare volunt, vera reipsa sunt secundum intentionem ipsorum: termini tamen, quibus utuntur, valde sunt improprii. Videatur, si libuerit, ipse Vazquez; nos enim hic consuetos eorum terminos referimus, non impugnamus. Quid verò sit absolute tenendum juxta principia nostra, constabit ex dicendis.

16. Illud autem omninò non omittendum, complures in dies emergere, & quasi terra ipsa parturiente, ebullire opiniones morales singulares, quæ principio quidem non practicè, sed speculativè dumtaxat, probabiles dicuntur, ac reputantur; paulatim verò, patronis accedentibus, practicam etiam solènt probabilitatem nancisci, & sub communi censu aliarum opinionum, quas tutas vocant, deinceps computantur. Ejusmodi opiniones, cum ex objecto suo sæpè non differant, non videntur dici probabiles practicè, vel speculativè, in sensu divisionis exposito; sed per purè speculativam, & non practicam probabilitatem, significari tantum videtur (quantum nobis con-jicere fas est) probabilitas quædam sub

Vazq. to. 1.
in 1.2. d. 62.
c. 4. & d. 65.
c. 1.

subdubia, atque adeò non satis firma, neque sufficiens ad practicè operandum.

ARTICULUS II.

Duo insuper prænotanda.

17. **P**ræterea notandum adhuc est, & distinctiùs præsupponendum, probabilitatem conscientiae (id est, propriam opinionum moralium, quæque sufficiens sit ad conscientiam ritè formandam) strictiùs hic usurpandam esse, quàm ut confundi debeat, aut possit cum alia probabilitate, quæ generaliter dari solet omnibus opinionibus non prohibitis, sive moralibus, sive non moralibus, ratione cujus edi possunt in lucem impunè, ac sine impedimento, quamvis nec solidum fundamentum habeant, nec prudentem assensum communiter mereri censeantur. Hanc probabilitatem (quæ, si placeat, vocari potest communis, seu transcendentalis probabilitas impunitatis, vulgaris, & secundùm dici), etiam dum cadit in opiniones morales, esse ex formali conceptu suo longè diversam à probabilitate conscientiae, ex eo manifestè patet, quòd nulla moralis opinio potest dici probabilis pro conscientia formanda, nisi quæ solido fundamento nitatur, & prudentem assensum mereri valeat, ut omnes unanimiter fatentur.

Terill. i. p.
de Regu.
mo. q. 6. &
26.

18. Nihilominus P. Terillus, ut P. Elizalde argumentis occurreret, latè contra ipsum contendit, nullam omninò esse probabilitatem opinionibus dari solitam, quæ sit diversa à probabilitate conscientiae, nisi ut summum de materiali, seu ratione tantùm materiæ non spectantis ad lineam moris: quia nullus, inquit, aliquam opinionem, sive de linea moris, sive de alia, censet, aut dicit aliquando probabilem, nisi, quam judicat esse innixam fundamento magni momenti, ob quod assensum verè prudentem, probabilemque mereatur.

19. Sed enim difficillimam provinciam, immò verò incredibilem, Terillus suscipit, in qua tot ferè contrarios habeat, quot habet libros orbis litterarius. Profectò, qui Censorum librorum edendorum, seu Revisorum munere funguntur, doctrinis omnibus, & opinionibus, quæ in libris sic revisis continentur, aliquam tribuunt probabilitatem, cum illas omnes de facto approbent, & sua subscriptione confirmant. Quis verò dicat, illos, aut censere, aut testificari, nullam omninò esse propositionem in libris, quos sic revident, & approbant, quæ prudentem assensum non mereatur? Dicit quidem Terillus: sed paucos credo inveniat, qui sibi credant, nisi fuerint ex illis, qui nihil non credendum Terillum posse loqui crediderint. Cum similibus autem stultum foret velle còtendere.

20. Rursus ex terminis, opinabile, probabile aliquomodo est; nam quidquid intellectus opinatur, per actualem assensum approbat: ut enim optimè Augustinus aiebat, *Quis enim id, quod credit, non probat, aut quomodo est illud, quod sequuntur, si non probatur, probabile?* At non omne opinabile, etiam in linea moris, sufficit ad honestè operandum; aliàs sufficeret quicumque error, quod erroneum foret asserere.

Aug. li. de
utilit. cred.
c. 11.

21. Ulteriùs in quæstionibus Scholasticis, seu Philosophicis, seu Theologicis, multæ opiniones sunt; quas Auctores Scholæ unius evidenter existimant demonstrari contra alterius Scholæ Auctores: & nihilominus opiniones oppositas, quas ipsi judicant evidenter falsas, & destitutas solido fundamento, non renuunt appellare probabiles; quod obvium est, ac certius, quàm ut exemplis egeat ostendi.

22. Præterea quid frequentius apud Auctores, quàm plures opiniones morales appellare probabiles speculativè, practicè verò omninò improbabiles; vel affirmare expresse,

E

scn-

Sua. to. de
Fid. d. 21. f.
4. n. 20. &
21. & to. 3.
in 3. p. d. 6.
5. 1. & d. 21.
1. 3. ver. *Ad*
decretum, &
to. 5. de cen-
su. d. 7. f. 5. n.
12. Sanchez
li. 1. Sum. c.
2. n. 13. Fa-
gun. to. 2. in
Deca. li. 7.
c. 20. n. 5.
Ovie. in 1. 2.
tr. 8. cōtrov.
1. pu. 7. §. 3.
n. 109. &
alii plures.

sententiam aliquam probabilem esse, contrariam verò in praxi tenendam? Videantur in rem istam Doctor Eximius, Sanchez, Fagundez, Oviedo, & alii plures, locis ad marginem adnotatis.

23. Tandem omnis opinio tenuiter probabilis de linea moris, aliqua gaudet probabilitate, ut ex ipsis terminis constat. At talis probabilitas non sufficit pro formanda rectè conscientia, cum oppositum sit articulus tertius ab Innocentio XI. damnatus post editum Terilli librum.

Certum igitur est, aliquam esse probabilitatem opinionibus tribui solitam, quæ non materialiter tantum, sed formaliter etiam diversa sit a probabilitate conscientiæ, adeoque conatum Terilli vanum esse, ac inefficacem.

24. Hic jam conceptus proprius moralis probabilitatis exactè videbatur exponendus. Sed, cur id non præstemus, ut rationem reddamus. Notandum demùm, exactam opinionis probabilis definitionem, aut explicationem, pendere omninò ex resolutione hujus potissimæ controversiæ, ut ex dicendis liquidum fiet. Porro utriusque sententiæ Auctores opinionem probabilem exponunt juxta sua quique principia, quæ certè valdè inter se diversa, quin & extremè opposita sunt.

Terill. de
consc. pro-
ba. q. 2. n. 41.

25. Terillus sic definit opinionem probabilem, *judicium absolutum de aliquo objecto, sed incertum, nixum motivo prudenti, cui homo irreprehensibiliter assensum præbet*; in quam definitionem verbis paulò diversis omnes re ipsa Probabilistæ eunt. Illam Terillus ipse fusissimè suadet, & explicat, per centum ferè paginas, videlicet à quinta usque, ad secundam supra centesimam, adhibitis tot distinctionibus, conditionibus, notis, regulis, exceptionibus, ac præceptis, usque valde subtilibus, & ingeniosis, ut ars ista inveniendi opinionem verè probabilem, similima mihi videatur arti inveniendi

medium, quam Dialectici in Summulis tradere solent, & quam Sophista *pontem asinorum* per irrisionem appellavere. Et nihilominus (quis nò miretur), cum veritas divinarum legum juxta Probabilistas sit inventu impossibilis moraliter, ac per se loquendo, adhuc per judicium probabile; hæc tamen probabilitas Recentiorum facillimò negotio inveniri potest, & debet, ad conscientiam rectè formandam, non per judicium merè probabile, sed omninò certum, & evidens. Mysterium hic procul dubio latet: sed revelabitur, Deo volente.

26. Istam Terilli definitionem, prout jacet, non gravantur recipere Auctores contrariæ sententiæ: sed quoad voces dumtaxat, nam res significata juxta ipsos prorsus diversa est, ut ex postea dicendis planum fiet. Nempè Terillus, & alii Recentiores per motivum prudens intelligunt rationem assentiendi, etiam communem utrique parti contradictionis, etiam parti minus probabili, & quæ operanti ipsi pro priori ad assensum non solum appareat indifferens ad veritatem, & falsitatem, verùm etiam inspectis omnibus, magis derrata, & connexa cum falsitate; cum hoc enim cohæret juxta ipsos, quòd motivum istius partis sit motivum magni momenti, habeatque qualitates, seu conditiones omnes, quæ requiruntur, ut sit ingens, & grave, potensque movere ad assensum absolutè prudentem, ac penitus irreprehensibilem.

27. At verò Auctores contrariæ sententiæ constanter negant, tale motivum in eventu proposito movere posse ad aliquem assensum, nedum ad assensum prudentem, & consequenter negant, illud esse probabile relatè ad intellectum, oppositum motivum perpendentem; nam quòd ab intellectu probari per assensum non potest, neutiquam potest esse ipsi probabile, ut, vel ex ipsis terminis constat, & Augustinus nuper do-

cebat, ut rem de se exploratam, ac notam.

28. Opinio ergo verè probabilis secundum hos Auctores est illa tantum, quam intellectus probare potest per assensum directum innitentem motivo, quod, vel sit unice verosimile, taleque existimeretur absque passione, & culpa, vel, si adsit ex opposito motivum alterum, sit, omnibus inspectis, absolute verosimilius, & quidem manifestè, atque perceptibiliter, ita ut exiguam fundet deceptionis formidinem, & quæ prudenter possit contemni juxta veram doctrinam, quam alibi trademus.

29. Hinc fit, ut ad præsentem controversiam (si congruè, atque legitime disputare velimus) nulla supponi debeat, aut possit exacta definitio opinionis probabilis. Ratio ex dictis est evidens: quia, nec supponi potest aliqua definitio communis, & ab utràque sententiâ abstrahens, cum nulla sit ejusmodi reipsa, sed unice quoad sonitum vocum: nec aliunde supponi potest alterius ex oppositis sententiis definitio determinata, aliàs illa sententia supponeretur, indeque quæstio fieret impossibilis, vel ridicula saltem, ac nugatoria. Præfens igitur controversia, ut disputari commodè possit, sub alio sensu debet institui, quem omnes admittamus, quique de se præscindat ab utraque sententia, & à particularibus utriusque partis principiis, ut jam expono.

ARTICULUS III.

Exponitur germanus quæstionis sensus.

30. **I**Taque, ut in præsentem rectè procedat disputatio nostra, & ne difficultatem tanti momenti, quæ clarè expediendam suscipimus, vocibus obvolvi contingat, abstrahendum omnino est, non solum ab utraque sententia, sed etiam ab exacta definitione opinionis probabilis proba-

bilitate conscientia, quam juxta sua quisque principia ex propria sententia deducit, ut convincit discursus proximè factus.

31. Ubi obviter observa, quàm ineptè nonnulli in hac materia parum versati, & ne quæstionis quidem sensum callentes, sic arguere soleant: *licet sequi opinionem verè probabilem: sed opinio benigna minus probabilis verè est probabilis, ut ex terminis constat: ergo:* Et dum ipsis negatur Minor, stupent, & scandalizantur, quasi scilicet alter concedere deberet sine ulteriori aliqua probatione propositionem clarè continentem sententiam, quam refellit, & nihil aliud.

32. Sensus ergo legitimus, & expeditus quæstionis est, utrum ille, qui dubitat, an actio aliqua sit mala moraliter, seu prohibita per legem Dei, quia pro utraque parte novit esse rationes, & Doctores graves, ac pios sibi invicem repugnantes: & postquam sufficientem diligentiam adhibuit ad resolvendum dubium, inveniendamque veritatem; tandem inspectis omnibus fundamentis, tam à ratione, quàm ab auctoritate, & maturè consideratis, judicat esse verosimilius, talem actionem esse prohibitam, cò quòd fundamenta illius partis superent fundamenta partis oppositæ: an, inquam, iste nihilominus possit eam actionem licitè exequi?

33. Et præscindimus nunc à modo, quo conscientiam formare debeat: an suspendendo judicium omne circa objectum ipsum directum, an potius judicando directè, ex fundamentis, licet levioribus, actionem illam licitam esse, juxta duplicem viam statim exponendam, qua incedunt Recentiores Probabilistæ, & de qua mox distinctè, & accuratè sigillatim agendum est. Præscindimus similiter à qualitate fundamentorum, & à cæteris conditionibus, quæ concurrere debent ex ea parte juxta Auctores sententiæ affirmativæ, ut actio il-

la licita sit; tum quia hoc etiam apparebit inferius; tum quia ex illis non pendet quaestionis absoluta resolutio, quandoquidem sententia negativa, quam nos sumus propugnaturi, absolute, & in omni eventu negat, actionem illam licitam esse.

34. Hic est legitimus sensus quaestionis, quam sub his terminis instituimus, ut expeditior sit disputatio, & clarius rei difficultas appareat, licet eadem sit reipsa, & ex eisdem principiis resolvenda, in terminis aequalis probabilitatis utrinque, nempe casu, quo nullus percipiatur excessus inter motiva utriusque partis; in quo casu quid sit tenendum, facillime constabit ex resolutione quaestionis in priori sensu institutae, & si quid specialis difficultatis occurrerit, (occurreret autem nihil, aut paene nihil) expendere non omitteremus.

35. Sed, ne quisquam turbetur, aut falsam judicet doctrinam traditam sane verissimam, & ab omnibus admittendam, observandum ulterius est, nihil frequentius apud Probabilistas (quin & apud modernos oppositae sententiae Auctores), quam praesentem quaestionem disputare, & argumenta utrinque proponere sub terminis majoris, atque minoris probabilitatis, vel opinionis probabilioris, seu magis, & minus probabilis. Sed parum id refert. Nam facilem potest locutio ista, & multiplicem sensum habere, quin minimè repugnet legitimo sensui quaestionis, prout à nobis est instituta.

36. Primum nanque intelligi potest de probabilitate transcendentali opinionibus dari solita, quam exposuimus artic. praeced. Secundò apud Auctores Probabilistas tuentes libertatem opinandi quoad specificationem, ut ajunt (quam latè refellemus sequenti controversia) accipi potest de opinione probabilis, sive probabiliori, per ordinem ad approbationem, & assensum possibilem intellectus praestandum parti minus proba-

bili, praescindendo tamen ab eo, quòd assensus sit prudens, aut imprudens, & regula sufficiens, vel insufficiens ad regulandam operationem honestam. Tertiò denique potest locutio illa intelligi de quadam probabilitate absoluta, idest, de opinione probabilis, quae talis sit comparative ad alios viros doctos, ac pios, illi vel assensuros, vel assentientes, quidquid de ipso operante sit; haec enim probabilitas (de qua mox latius) congruè vocari potest absoluta, quia non dependet ab approbatione istius, vel illius intellectus determinati; ad differentiam probabilitatis, quae talis est relatè ad operantem ipsum, & quae potest, & solet relativa vocari.

37. Nos igitur, ut mori morem geramus, vulgaribus his terminis utemur in primo, vel in tertio sensu usurpatis, abstrahendo, ut par est, in ipso quaestionis examine, ab eo quòd aequalis, aut minor probabilitas, sit, vel non sit sufficiens ad conscientiam rectè formandam. Denique nos ubique, ut de voce non contendamus, per opinionem probabilioris, & minus, vel aequè probabilem nihil aliud intendimus significare, quam assertionem gravium Doctorum (si quidem aliquos patronos habeat), cujus rationes, & fundamenta, vel majora sunt, vel minora, vel omnibus inspectis, aequalia fundamentis partis oppositae.

ARTICULUS IV.

Reiecta duplici opinione damnata, proponitur sententia recentium Probabilistarum juxta duplicem viam, per quam incedunt, & ipsius auctoritas summam in sinuatur.

38. **I**N hac igitur celebri controversia, cujus sensus legitimus, ac realis perspicue, nisi fallor, manet expositus, duae fuerunt olim sententiae in contraria extrema abeuntes, & à veritatis scopo absurdè pariter aberrantes. Altera scilicet plus justo be-

ni-

nigna (quam benignissimam appellabimus) generaliter asserere licitum esse amplecti, & ad praxim deducere quolibet opinionem, tenuiter etiam probabilem, dummodò verè probabilis esset, juxta recentis utique Probabilismi sensum. Altera verò plùs justo severa (quam rigidissimam, aut severissimam appellare meritò possumus) per oppositum rigoris extremum contendebat, nunquam licere sequi opinionem aliquam minus tutam, quantumcumque probabilem, & consequenter ad honestè operandum postulabat judicium de actionis honestate, minimè opinativum, sed absolutè certum, & evidens.

39. Priorem opinionem tenuerunt aliqui Neoterici Probabilistæ, & quidem admodum consequenter ad principia moderni Probabilismi, ut ipsi existimabant, & nos etiam existimamus. Posteriores verò docebant nonnulli, vel apertè Jansenistæ, vel certè à Jansenismo haud nimium abhorrentes. Utraque autem jam in magnum animarum beneficium palam proscripta est, & severè damnata ab Ecclesia Catholica, prior scilicet ab Innocentio XI. ann. 1679. die 2. Martii his verbis præconcepit, *Generatim, dum probabilitate, si ve intrinseca, si ve extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*, qui est articulus tertius ex 63. tunc damnatis: posterior verò ab Alexandro VIII. ann. 1690. die 7. Decembris sub his verbis expressa, *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*, qui tertius itè est inter alios 31. quos Pontifex iste confixit.

40. Nihilominus tamen ad veritatem adeo necessariam, quam inter hæc extrema constitutam esse, jam novimus, non unica, & insectilis via, quod summoperè optandum esset, sed duabus, iisque diversis, immò verò è regione positis, & extreme inter se contrariis, Catholici Doctores contendunt. Alii nimirum do-

cent, licitum adhuc esse sequi opinionem quamlibet minus tutam, verè tamen probabilem (in sentu jam expolito, & exponendo), etiam si post adhibitam diligentiam appareat operanti, inspectis omnibus fundamentis, æquè tantum probabilis, aut etiam minus, quam opinio tutior opposita. Alii autem illicitum semper id esse, adeoque opinionem tutiorem in eventu proposito semper esse tenendam, non minus constanter affirmant.

41. Primam sententiam communiter propugnant Theologi moderni hujus sæculi, qui ab ipsa probabilitate communi, etiam falsis opinionibus, cui tantopere plaudunt, ac deferunt, Probabilistæ meritò nuncupantur. Non tamen omnes unicà incedunt vià in propugnanda sua sententia, sed in duas valde diversas longissimè inter se discedunt. Nempe, quidam ipsorum docent nunquam licere amplecti aliquam opinionem, in intellectu ipsius operantis subjectivè, & formaliter non existentem, si ve quam ipse operans veram non reputet per actuale assensum: attamen censent posse intellectum judicare absolutè veram partem, etiam minus probabilem, & quæ pro priori ad assensum appareat ipsi innixa fundamentis levioribus. Unde fit tadem secundum hos Auctores, ut usus opinionis minus tutæ, antecederetque minus probabilis, licitus absolutè sit; nunquam tamen quis licitè operetur ex opinione aliqua minus tuta, quæ sibi minus probabilis sit tunc, cum actualiter operatur, quia nemo opinionem, cui assentitur, putare potest minus probabilem in sensu composito assensus.

42. Cæteri verò Probabilistæ, cum nequeant, vel inviti non videre, sententiam suam hoc modo propugnatam reddi nimis incertam, multumque viribus infirmari, quippe, quæ valde debili fundamento innitatur, illo videlicet principio Philo-

sophico de indifferentia intellectus nostri ad opinandum partem minus probabilem, quod antiquiores omnes, & Philosophi, & Theologi, immò & graviores quique, etiam ex Recentioribus, vel negant, vel in dubium vertunt: cum hæc, inquam, non possint non videre, ne in has angustias redigi compellantur, ajunt, non esse opus ad usum opinionis minus probabilis, & minus tutæ, ut subjective existat in intellectu ipsius operantis, sed sat esse volunt, si objective tantum existat.

43. Hoc est, ut possim licite exequi actionem aliquam, sufficit, inquiunt, mihi, si videam, viros aliquos pios, ac doctos opinari absolute, licet ex fundamentis mihi levioribus, eam actionem licitam esse, quanvis ego directe opinionem ipsorum non probem, aut existimem veram, sed vel contrarium judicem, vel saltem omne judicium suspendam circa objectum ipsum directum, seu directe consideratum: nam eò ipso prudenter possum assurgere ad judicium reflexum, & practicum conscientie dictamen, quò firmissimè credam, objectum illud honestum esse, nullumque in ejus prosecutione contingere posse peccatum, ita videlicet formando conscientiam: *Qui operatur ex opinione, & dictamine verè prudenti, prudenter, & honestè operatur: sed ego, dum amplector objectum istud, operor ex dictamine verè prudenti, ex opinione scilicet gravium, ac prudentum virorum: ergo prudenter operor, & honestè.*

Hæc est altera via, qua gradiuntur Probabilistæ Recentiores, qui Reflexistæ solent appellari, eò quòd reflexionibus nimis confidunt, & ad illas passim appellant, nec aliter in suis principiis, quàm per similia, principia reflexa, & judicia eisdem innixa, rectam conscientiam formari posse, ultrò fateantur, ac profiteantur.

44. Jam verò auctoritatem hujus sententiæ sub terminis commu-

munibus, & abstrahendo nunc à diversis ipsius explicationibus, seu modis, quibus propugnatur, ut summatim hic indicemus, Terillus de conscientia proba. q. 22. per totam eruditissimè, ac prolixissimè ejus patronos referens, & accumulans, ultra centum, & quinquaginta catalogum eorum contexit, quos ut indubitatos adducit; nominatim verò inter ipsos meritis laudibus commendatum S. Franciscum Salesium. Addit autem ibidem (sed ad majorem solum, ut videtur, ostentationem, & auctoritatis strepitum) antiquos omnes, aut ferè omnes, ab anno 1300. usque ad 1500. quorum verba late producit, & quoad rem ipsam saltem sibi favere dicit.

45. Hinc, cum filum deficeret, diversis conjecturis, & exemplis (quæ tamen ipse certissima appellat) sententiam suam ad Ecclesiæ initium, immò & ad mundi ipsius originem continuatâ serie perducit. Neque mirum id cuiquam videri debet, cum non defuerit nobilis Probabilista, qui Cœlo quoque illam inferere non dubitaverit, seridè, & operosè contendens, ipsos Beatos Angelos ex opinione solum probabili, etiam æquè, vel minus, quàm oppositâ, aliquando fuisse operatos. Rem verò risu dignam, si ejusmodi res foret, quæ risum ferret!

46. Præterea idem Terillus aliqua testimonia ex sacra pagina pro sententia sua producit, quibus deinde q. 26. & rursus 1. p. de Regu. mor. q. 8. plurima adjungit ex Jure Canonico, quæ ex multiplici praxi, & factis ipsis Summorum Pontificum insuper roborare contendit. Quæst. verò 27. nonnullos SS. Ecclesiæ Patres, idest, Augustinum, Hieronymum, & Bernardum, sibi quoque favere affirmat. Est autem cæteris mirabilius, quod D. Angelicum clarissimè, ut videbimus, si quando aliàs, in hac controversia locutum, non solum audeat utcumque exponere, sed & pro se referre non dubitet.

Caramuel
in suo Apo-
logemate.

ter. Denique docti quidam Recentiores V. P. Ludovicum à Ponte, Probabilistarum sententiam in propriis terminis tradidisse gloriantur, in manuscriptis ad 1. 2. quæ in Bibliotheca Vallis-Oletana nostri Ambrosiani Collegii asservantur.

47. Hoc est in summa auctoritatis pondus, quod pro sententia sua producant, & confidenter nimis passim deprædicant verbis quàm magnificentissimis Probabilistæ moderniores. Quantum verò re ipsa sit, videbit Lector haud sine admiratione, ubi in secunda parte fidei trutinæ ponderabitur; ibi enim, & hujus, & contrariæ sententiæ auctoritas latè, & exactè per sua capita à nobis, ut promisimus, examinanda est, & juxta veritatis, atque justitiæ leges jus suum unicuique tribuendum, nullo relicto Probabilitatis justæ appellationis effugio. Interim verò præmonere sufficiat (quod suo loco facile ostendemus), nullibi falsitates, vulgaritatesque palpabiliores, ac minus excusabiles admisceri, quàm circa auctoritatem Probabilismi ex numero suorum patronorum; cum tamen nullum majus (aliud dicere potui) præsidium habeat, nec quidquam aliud frequentius, ac gloriōsius à suis sectatoribus decantetur.

ARTICULUS V.

Deferitur affirmativa Probabilistarum sententia, & insinuat leviter, tum auctoritas, cum potissimum fundamentum negativæ, & veræ sententiæ.

48. **S**ententia negans universaliter licitum usum cujusvis opinionis minus, aut æquè tantum probabilis in sensu quæstionis exposito, nō solum nobis vera videtur, & omnimodis amplectenda, sed nunquàm satis mirari possumus (testor æternam Dei veritatem), ac magis in dies miramur, oppositam sententiā affirmativam tot, tamque insigni-

bus, ac piis Doctōribus, unquàm persuaderi potuisse.

49. Porro sententia nostra multis in primis admodum opportunis, & non obscuris, aut generalibus, ex Scripturis Sacris testimoniis efficacissimè comprobatur. Deinde ex sacro Jure Canonico (tum etiam ex Civili) multa producantur Decreta, quibus non solum eam fulciri, sed & decidi expressè videatur. Præterea plurimis Summorum Pontificum insinuationibus, & approbationibus, iisque nimium expressis, ac manifestis (quas in medium producere promptum sit, & opportuno loco producantur): multarum Synodorum Provincialium Decretis, Illustrissimorum Prælatorum Edictis, & encyclicis epistolis crebrò datis ad Parochos suarum Diocesium, sacrarum item Religionum sanctionibus Apostolicæ Sedis auctoritate confirmatis, nobilium insuper Universitatum publicis, & authenticis statutis, aliisque pluribus auctoritatis momenti, validissimè communitur. Accedit his SS. Doctōrum, & Ecclesiæ Patrum auctoritas, pluribus nobis testimoniis non dubiis, sed illustribus consignata.

50. Tādē ex Scholasticis Doctōribus omnes ad unum, quā tacitè, quā expressè ad annum 1578. in quo Bartholomæus à Medina primus contrariam docuisse videtur, (si tamen docuit in sensu Recentiorum) nostræ sententiæ suffragati sunt; nullus namque invenitur, qui ante id tempus sententiam Probabilistarum, vel docuerit, vel insinuaverit (non hic moror Auctorem parvi cujusdam libri idiomatis vulgaris, qui eodem fere tempore Medinæ sententiam traderat), idque fatentur palam graviores quique Probabilistæ, & factō ipso notorium est. Ne quis verò fallatur Terilli verbis, noverit, ipsum, dum affirmavit, antiquos omnes sibi favere, non loqui in sensu nostræ quæstionis, sed in alio longe diverso, nimirum absolutè propugnante licitum

tum usum opinionis probabilis; pro quo nos etiam omnes referre posset, atque deberet. Artem verò, qua fortè ita confusè locutus est, alibi jam deteximus, & detegemus iterum suo loco, ut omnis deceptionis in re notissima occasio præcidatur.

51. Qui verò sententiam Benignam à Medina primò traditam, & ab aliis post ipsum Recentioribus in sensu fortè alieno avidissimè arreptam, & propugnatam, non solum expressè negaverint, sed acriter infectati sint, doctissimis editis libris, quibus plerumque eam ex professo refellunt, ultra centum jam numerantur ex totius Europæ florentissimis Accademiis celebres Magistri, ac Doctores, in quibus sunt quamplures Antistites piissimi, atque sapientissimi, præter quamplures alios S. R. E. Eminentissimos Cardinales; è quibus omnes prorsus modò superstites nostræ sententiæ ex corde suffragari, & à moderno Probabilismo nimis alienos esse, testatur eruditissimus Cardinalis de Aguirre in sua nova Conciliorum Synopsi (typis vulgata Romæ an. 1695. in ipsa facie Curia Romanæ) nu. 24. Quibus denique omnibus plures, & plures alii in dies certatim accedunt: pæne quotquot syncerè, seriòque quæstionem evolvunt, neque rem tanti ponderis, à qua salus pendet æterna, levibus, ac superficialibus, imperiti vulgi rumoribus temerè committere audent.

Horum omnium, quæ factò notoria sunt, ne fidem gratis postulare videamur, fusè opportuno suo tempore, & loco, certà veritatem ostendimus. Interim verò auctoritatem maximam, qua sententia nostra munitur, & cui contrariæ sententiæ auctoritas, ne comparari quidem meritiò potest, summatim hîc perstrinxisse sufficiat, ut multi nimium vulgariter decepti, & alios multos faciliè decipientes, cautiore in credendo deinceps fiant.

52. Argumenta verò à ratione,

quibus sententia nostra communiter suadetur, plurima sunt, atque validissima, immò eorum non paucam manifestè demonstrativa, ut suis locis monstrandum est. Illud autem potissimum inter omnia, quæ ex fundamentis præactis ad primam nostri Operis controversiam, statim intuitu se offert, & jam ibidem est adumbratum. Nimirum, nemo licitè, & honestè operatur, nisi qui diligenter, seriò, & ex corde intendit conformare operationem suam cum regula prima honestatis, idest, cum voluntate, seu lege Dei: at quisquis operatur ex opinione aliqua minus tuta, & simul minus sibi, vel æquè duntaxat probabili, non intendit seriò, & ex corde operationem suam conformare cum regula prima honestatis: ergo nec licitè, nec honestè operatur.

53. Hoc argumentum negotium planè conficit, quippè quod veritatem sententiæ nostræ evidenter demonstrat, ut videbimus. Caterum, ut patenter ob oculos id constituamus, nullusque maneat tergiversandi locus, oportet ante omnia geminum fundamentum, cui innititur sententia contraria, & à quo penitus dependens est, juxta duas vias diversas, in quas Probabilistæ divisi sunt, radicitus prius convellere; id enim si efficaciter præstiterimus, statim vis propositæ demonstrationis expedita, & clarissima apparebit, nullusque nobis contradicere poterit.

54. Prior igitur via, seu modus propugnandi sententiam illam, totaliter dependet, ut vidimus, ab illo philosophico principio de indifferentia proxima intellectus ad opinandum partem contradictionis in actu primo sibi æquè tantum, aut etiam minus probabilem, ex libero voluntatis imperio. Posterior verò ab altero, quod ut principium etiam, idque firmissimum, Probabilistæ proferunt post Terillum ipsius inventorem, videlicet, quod lex, contra quam datur opinio aliqua verè
pro-

probabilis in sensu ipsorum Probabilistarum (nimirum etiam æquè, vel minus, quàm opposita affirmans legis obligationem) satis promulgata non sit, adeoque nullam habeat vim obligandi. Utrunque verò nos suo ordine disputabimus, & postquam conclusiones oppositas, ut certas, & communes, solidissimè statuerimus, argumentum propositum, ut penitus convincens, sine obice ullo urgebimus, & instaurabimus.

55. Sed, antequàm progrediamur ulterius, placet animadvertere, Recentiores Probabilistas sententiam quidem suam sub jucundo, ac placido nomine *sententia benigne*, nostram sententiam sub ingrato vocabulo *sententia rigida*, passim circumferre. Porro viri sapientes, ac cordati nomina non magnopere curabunt, quippe qui probè sciant, sæpè non rei naturam, & veritatem ipsam, sed sensum, & affectum imponentis exprimere. Cæterum, quia vulgares, & imperitos homines jucunda nomina valdè delectant, & in rerum quandoque fugiendarum amorem noxium

imprudentes alliciunt, animadverrant volumus, totum nostrum dissidium cum Recentioribus de re alia non esse, quàm de natura benignitatis, quam suæ ipsi sententiæ arrogant, nobis scilicet contenditibus, benignam illam esse, sed verò non spiritui, sed sensui; illis autem contra tuentibus, esse verè benignam, & spiritui quoque percommodam.

Cum hac ergo animadversione sententiam Probabilistarum benignam quandoque appellare nos quoque in posterum non renuemus, frequentius tamen proprio, ac genuino suo vocabulo *Probabilismi*, seu *sententia moderna*: nostram verò (quandoquidem pari, aut potiori jure, nobis licebit) moderatam, antiquam, ac veram appellabimus; neque enim aliam ipsi quærimus, vel optamus, quàm veritatis benignitatem, quæ vera est, & magna benignitas iis, qui diligunt Deum, & sanctam eius legem, attestante Regio Propheta, *Universæ via Domini misericordia, & veritas requirentibus testamentum ejus, & testimonia ejus.*

Psal. 12.

CONTROVERSIA QUINTA.

An, & quatenus Opinari sit nobis liberum, aut necessarium.

1. **P** Rincipium, cui innituntur Probabilistæ, quos directos vocare possumus, illi videlicet, qui priorem viam, seu modum propugnandi specialiter sententiam benignam sequuntur, est, ut præmisimus, libertas nostra, sive indifferentia intellectus ad opinandum quamlibet contradictionis partem, quoties adsunt utrinque fundamenta, aut motiva, quorum quælibet seorsim ab aliis absolute sufficerent ad opinandum. Principium istud in hac controversia solidè, & efficaciter confutandum à nobis est. Verum, ut in examine quæstionis hujus, quæ post natum modernum Probabilismum gravis, ac celebris effecta est, clariùs, atque distinctiùs procedamus, propriam opinionis naturam exponere priùs oportet.

ARTICULUS I.

Quid sit Opinio, & quatenus formidinem adjunctam habeat?

M ULtà subtiliter circa opinionem, & proprietates ejus, disputant Scholastici, quæ si placeat, videri poterunt apud nostros Conim-

bricenses. Sed quia partim spectant ad institutionem Dialecticam, partim ad modum loquendi tantum, ut observant iidem Conimbricenses, nos

Conimbricenses in 1.
Poster. c. 26.

ex illis, quæ magis sunt probata, frequentiusque recepta apud Philosophos, & Theologos morales, eam tantummodò feligemus, quæ ad institutum nostrum deserviant.

§. I.

Definitio Opinionis ex Philosopho.

2. **I**gitur Aristoteles 1. Poster. c. 26. ut utriusque ostendat naturam, scientiam cōparat ad opinionem; de qua cū premisisset, *opinionem esse circa id, quod verum quidem est, aut falsum, aliter autem se se habere potest*, subiungit immediatè, *Hæc autem est vacantis medio, & non necessaria propositionis existimatio*: id est intellectus, assensus, iudiciumve immediatum circa objectum contingens, sive quod possit aliter se habere. Per quam definitionem Philosophus non exponit, ut patet, opinionem in tota latitudine sua, cū plurimæ inveniuntur, quæ non sunt immediata iudicia, sed potiùs per discursum, sive per medium aliquod ab intellectu comparantur.

3. Immo, quia ejusmodi opiniones mediatè, sicuti frequentiores, ita & notiores omnibus sunt, ad illas specialiter nō attendit Philosophus, ut Conimbricenses notarunt; sed eas tantum sigillatim expressit, quæ non sunt adeo vulgares, ac notæ, quales sunt opiniones immediatæ; neque enim ita obvium, aut scitu facile est, intellectum ex terminis, & immediatè alicui veritati posse assentiri per assensum non evidentem, sed purè opinativum, atque probabilem. Re vera tamen sæpè ita contingit; nam hæc propositiones, *mater diligit filium, æger desiderat sanitatem*, & aliæ similes, ex propriis terminis, & secluso quocumque medio, probabiles absolute sunt, proindeque intellectus optimè potest illis immediatè assentiri per assensum opinativum.

Sed verò quamvis Aristoteles opinionem mediatam speciatim non explicuerit, ex doctrina ipsa,

quam tradit, facile ipsius natura dignoscitur. Immo, secluso addito *vacantis medio*, tota explicatio tradita ex æquo convenit opinioni mediatæ, nimirum esse existimationem, iudiciumve intellectus, circa objectum contingens, ac defectibile.

4. Hinc ad mentem Philosophi opinionem, ut sic, rectè definit P. Terillus *iudicium absolutum de re proposita nixum motivo fallibili*. Dicitur *absolutum iudicium*, id est, continens absolutam, atque determinatam (etsi imperfectam) intellectus sententiam, ratione cuius opinio differt non solum à simplicibus apprehensionibus, verum etiam à dubio, & suspitione. Porro dubium contingit, cū intellectus suspensus hæret, & nihil absolute enuntiat de aliqua parte contradictionis, sive quia nullum habet fundamentum pro una potiùs, quàm pro alia, ex. g. siderum imparitate, potiùs quàm paritate; & hoc vocatur dubium negativum: vel quia motiva sunt utrinque æqualia, ex quorum mutuâ collisione, ac conflictu intellectus confunditur, ut non audeat (immo verò nec possit, de quo statim) in alterutram partem per absolutam sententiam ferri, ideoque omnem suspendit assensum; & hoc dicitur dubium positivum, quod propriè, & unicè dubium est; ut docet S. Thomas infra adducendus, quid quid contrà dicat Terillus; nam dubium negativum mera potiùs nescientia, vel ignorantia dici meretur. Profectò nemo, qui propriè loquatur, si rogetur, an sidera sint paria? vel an Turca nunc ambulet, an sedeatur? respondebit, se dubitare, sed potiùs, se ignorare, vel nescire. Verum de hoc inferiùs sermo redibit.

5. Deinde opinio differt à suspitione; hæc enim, vel non est absolutum iudicium de altera parte contradictionis, sed dispositio quædam, & actus imperfectus intellectus quodammodo inclinantis ex levi aliqua conjectura, aut indicio, in unam partem determinatam, non

Terill. 1. p. de Regu. mo. q. 34. assert. 1.

S. Tho. q. 14. de verit. artic. 1. corp.

ta-

Philos. 1. Poster. c. 26.

tamen absolute assentientis : vel si forte est assensus determinatus, adeo est tenuis, ac debilis, ut intellectus ratione illius, non nisi valde imperfecte, ac mobiliter, adeoque vix adhareat objecto. Nihilominus tamen suspicio in hac sententia (quam tuentur nonnulli) cum proprie, & in rigore non mera apprehensio, sed absolutum potius iudicium sit, erit species quædam opinionis valde imperfectæ, proindeque sub data definitione illimitatè accepta comprehendetur.

6. Præterea per *Ly nixum motivo fallibili*, explicatur conceptus specialis, & proprius opinionis, ratione cuius differt ab scientia, nec non à fide supernaturali, quæ utraque est assensus simpliciter firmus, ac certus, utpote innixus motivo infallibili, prior scilicet principiis evidentibus, posterior verò testimonio divino. E contra verò opinio ob rationem contrariam est assensus incertus, atque formidolosus. Unde Aristoteles post relata verba sic subdit: *Atque hoc consentaneum est etiam iis, quæ apparent: tam enim opinatio, quam talis natura, incertum est sanè: idest, tam actus, quam objectum ipsius, sunt quid incertum, atque fallibile.*

Aristo. ubi
nuper.

7. Sed dices: intellectus non solum opinatur circa objectum contingens, ac defectibile, sed etiam circa objectum omnino necessarium: sæpè nanque concludimus post longam, & ancipitem disputationem per discursum non evidentem, sed purè opinativum, ac probabilem, passionem aliquam metaphysicam, seu prædicatum aliquod rei intrinsecum, ut mille exemplis posset ostendi. Ergo conceptus proprius opinionis, ut talis, non est respicere objectum fallibile, adeoque doctrina Philosophi, & nostra pariter definitio fallit.

Respondeo tamen, objectum necessarium, quandocumque cognoscitur actu non evidenti, sed opina-

tivo, ac probabili, non cognosci immediate in se ipso, neque per medium necessarium, seu necessariæ connexionis; sed per medium quod non habet infallibilem connexionem cum ipso objecto necessario, adeoque semper opinio illa nititur objecto fallibili. Idcirco in nostra definitione consultò diximus, actum opinativum semper inniti motivo fallibili, non verò, quod objectum per opinionem enunciatur debeat esse ubique fallibile, propter argumentum propositum. Atque in hoc sensu accipienda est, & nostra definitio, & tradita doctrina Philosophi.

§. II.

Ulgaris definitio opinionis & quæ sit propria ipsius formido?

8. **A**B hac nostra definitione parum, aut nihil abit vulgaris definitio opinionis, videlicet, *assensus intellectus, seu iudicium determinatum de altera parte contradictionis cum formidine partis oppositæ*: quæ definitio sumitur ex D. Thoma agente, *De ratione opinionis est, quod accipiat unum cum formidine alterius oppositi: unde non habet firmam inhesionem.* Huiusmodi verò formido, si ve firmitatis defectus, ex eo provenit, tanquam ex radice, quod opinio nitatur motivo non omnino infallibili, sed fallibili potius, & quod simpliciter deficere possit. Unde propterea definitio prior, congruentior apparet, ac præferenda, quod penetret intimius opinionis naturam, quippe quæ propriam ejus formidinem, & incertitudinem explicet per originem propriam, & radicem ipsius.

D. Tho. 1.
2. q. 57. a. 3.
corp.

9. Est autem opinionis formido duplex: altera nempe exercita, essentialis, vel radicalis: quæ in ipsa intrinseca imperfectione iudicii opinativi consistit, hoc est, in negatione firmitatis, ac certitudinis ipsi opinioni intrinsecè repugnantis: altera,

verò actualis, formalis, ac signata, quæ consistit in actu, quo intellectus formidat, & actualiter timet, ne forte aberret à veritate, & in oppositum errorem impingat. Prior formido essentialis est opinioni, ab ipsaque propterea metaphysicè inseparabilis: posterior verò accidentalis est, & actui opinativo superaddita; licet possit quandoque, juxta plures, ipsi realiter identificari. In eo autem eventu, adhuc non erit de conceptu opinionis formaliter, & logicè loquendo, sed identicè tantum, & materialiter.

Aristo.
Eth. 7. c. 3.

Bern. li. 7.
de confide-
rat. non pa-
rū ab int.

10. Ab hac igitur actuali formidine potest quandoque opinio separari, & multoties re ipsa separatur; nam, ut docet Philosophus, multi sunt, qui opinionibus suis firmius, ac tenacius adhærent, quàm alii adhæreant veris scientiis; de quibus loquitur etiam Bernardus, *Multi suam opinionem intellectum* (idest clarissimam rei notitiam) *puta verunt, & erraverunt*. Id, quod clarissimè apparet in hæreticis, & in aliis hominibus errantibus pertinacissimè: error autem, ut patet, non nisi falsa quædam opinio est; & tamen nullam tunc formidinem admixtam habet.

11. Cæterum ea firmitas, & immobilitas, non provenit ab ipso opinativo actu, qui ex intrinseco suo conceptu incertus semper est, & radicaliter formidolosus; sed provenit ex defectu, & vitio voluntatis, quæ ex vehementi aliqua passione, vel inordinata affectione, turbat, atque præcipitat rationis iudicium, nec finit intellectum attendere ad motiva partis oppositæ, sed ipsum potius impellit, ut, omni timore contempto, proposito objecto assentiatur adeò tenaciter, ac immobiliter, ut omnem impediat formidinem, quæ ex tali assensu resultare deberet, considerata objecti naturâ. De ejusmodi opinionibus intelligendus est idem Bernardus, dum ait, *Opinio si habet assertionem* (idest, assensum sine formidine) *temeraria est*.

Bernard.
ibidem.

12. Idem Augustinus, dum docet, *Opinari nunquam esse sine vitio*; quibus verbis Sinichius, & alii Tutionistæ parum excusabiliter decepti sunt, ut Augustino affingerent doctrinam nimis evidenter absurdam, quasi nimirum ipse generaliter omnem opinionem damnalet, & à prudentiæ finibus removeret; quod absolute falsum, & absurdum, & contra eundem Augustinum est, qui tum alibi sæpè, tum illo eodem loco paulò inferius conceptis verbis docet oppositum. Porro Augustinum memorata verba generalia, ac indefinita in sensu, quem notavimus, protulisse, apparet evidenter ex contextu sermonis, quo ad capitis initium præmiserat, de quibus opinionibus loqueretur: *Tria sunt* (inquit) *alia hominum genera profecto improbanda, ac detestanda. Primum est opinativum, idest* (attende) *eorum, qui se arbitrantur scire, quod nesciunt*.

Aug. de
utilit. cred.
c. 11.

13. Hic verò observandum est, assensum propriè, ac simpliciter talem non solum importare affirmationem, sed etiam firmitatem omnem formidinem excludentem; assensus nanque, sive sententia, est enuntiatio objecti penitus certa, ac firma, quæque non ex incertis, aut probabilibus conjecturis, sed ex motivo potius oriatur penitus certo, vel evidenti, ut S. Thomas docet; qui propterea meritò dixit, quod non solum qui dubitat, sed neque, qui opinatur, habet assensum. Et in eodem sensu locutus est Bernardus, dum dixit, *Loquor non ex conjectura, sed ex sententia*. Nihilominus satis communiter opinio solet assensus appellari, quia hic non ita strictè, sed largiùs usurpatur pro quolibet iudicio, seu certo, seu formidoloso: qua locutione jam usu recepta nos quoque hactenus usi sumus, & deinceps etiam utemur.

S. Tho. q.
14. de ve-
rit. a. 1. corp.

Bernard.
epist. 11.

14. Hanc propriam opinionis formidinem exponunt aliqui per particulam *forte*; ita ut opinio actualis habeat istum tendendi modum,

ma-

mater diligit filium: sed forte fallor, aut forte non est ita. Verum hæc explicatio nimis inepta est; quia intellectus opinans, enuntiat absolute, atque determinate, unam partem contradictionis: qui verò aliquid absolute enuntiat, non potest simul dicere, *forte non est hoc, sed oppositum*; perinde nanque foret, ac dicere, *forte est, forte non est*, quod non est affirmare determinate unum extremum contradictionis, & alterum negare, saltem virtualiter; sed, vel utrumque simul affirmare (quod implicat), vel potius dubitare de utroque, & suspendere omnem determinatum utriusque partis assensum.

15. Formido igitur intellectuales formalis, ac signata, est actus, quo intellectus reflectens se supra opinionem suam, & supra motivum ipsius, cognoscit esse utrumque fallibile: atque adeò sic tendit, *Mater diligit filium; sed non repugnat aliter esse, si ve non repugnat me falli*: qui actus optime sibi coherent; prior enim affirmat actum, posterior verò non negat eundem, sed ejus tantum necessitatem, seu (quod eodem redit) solum affirmat possibilitatem oppositi, saltem motivi naturam inspectam: hi verò actus minimè secum pugnant, ut de se manifestum est. Sic exponunt ubique opinionis naturam Aristoteles, & D. Thomas. Sic etiam ferè P. Terillus, ubi supra relatus; cæterum sui prorsus oblitus, qui videlicet alibi oppositum docuerat his verbis, *Sane, qui operatur cum formidine, dicit hoc modo: ego quidem hic, & nunc operor honestè, sed fortassis tamen fallor, & violo legem Dei.* Sed Terillus hoc loco deceptus est, ut constat ex dictis.

ARTICULUS II.

Sensus questionis examinanda, quibusdam presuppositis, exponitur.

16. **H**is positis, certum est apud omnes, opinari, quoad

exercitium, liberum nobis esse simpliciter. Et quidem alioqui nunquam opinaremur; nam sola veritas evidenter proposita intellectum necessitat ad assensum: ergo quoties objectum non proponitur evidenter, intellectus manet indifferens, adeoque à voluntate determinari potest, ac debet.

17. Certum præterea est, quoties rationes, seu motiva assentiendi, superant notabiliter rationes, aut motiva dissentendi, vel vice versâ, posse intellectum liberè à voluntate determinari ad assensum opinativum, vel ad dissensum partis præponderantis; quod nemo opinor sub his terminis neget.

18. Ubi nota, Terillum non justè reprehendere Julium Mercorum, eò quòd dixerit, intellectum assentiri non posse etiam parti probabiliori, dum pars opposita probabilis est, quod, inquit, est evidenter falsum, & contra omnes omnino Auctores. Sed profectò Terillus deceptus est: nam, quod docet Mercorus, docent reipsa paulò diversis vocibus, Auctores plurimi, atque gravissimi, etiam ex ipsis Probabilistis, ut planum fiet ex quæstionis decursu.

19. Porro Mercorus unice affirmat, & solidè probat, intellectum non posse uni parti assentiri, nisi fundamenta assentiendi superent notabiliter, atque perceptibiliter fundamenta partis oppositæ; quia, si non datur ex una parte excessus perceptibilis, moraliter loquendo datur æqualitas: ait autem, hunc excessum intelligi non posse, si pars minus probabilis appareat intellectui absolute probabilis, quia si ab altera parte notabiliter excederetur, probabilis apparere non posset. At quoties datur moralis æqualitas inter utramque partem contradictionis, intellectus non potest alterutri assentiri, sed necessario debet dubius hære: ergo intellectus assentiri non potest parti, etiam probabiliori, dum pars opposita

Terill. de
conf. pro-
ba. q. 7.

Merco. in
Basi. Theo-
mora. p. 2.
a. 7.

Terill. de
conf. pro-
ba. q. 13. n.
9.

sita manet probabilis. Hic est discursus, & doctrina Mercori, quam tenent quoad rem ipsam omnes, aut ferè omnes qui negant, intellectum posse assentiri parti æque, aut minùs probabili. Quod verò addit Mercorius, dum intellectus uni parti assentitur, non posse alteram esse probabilem in sensu composito illius, est etiam assertum commune apud eosdem omnes Auctores, & verissimum quidem, atque consequentissimum, si rectè intelligatur, & explicetur, ut nos in decursu monstrabimus.

20. Verùm ecce Terillus arguit contra Mercorum, sequi ex sententia sua, omnem intellectus assensum esse absolutè certum, & nulli obnoxium deceptionis periculo, aut saltem deceptionis timori. Sed unde hoc sequitur, vel apparenter? An nequit intellectus formidare de veritate sui iudicii, nisi quando motiva partis oppositæ sunt æqualia, vel ferè æqualia, motivis, quibus nititur assensus? Nemo profectò dixerit. Quare ergo Terillus doctissimi Mercori sententiam adeò solidam, ac communem, novam appellat, & contra omnes? Hæc pro Mercoro, aut potius pro veritate.

21. Præterea convenit inter Auctores, opinari, non modò quoad exercitium, sed etiam quoad speciem assensus, vel dissensus, seu quoad specificationem, ut ajunt, esse aliquo modo nobis liberum (nempè mediata, ac remotè saltem), ut plurimum, & per se loquendo.

22. Ubi nota: libertas opinandi quoad exercitium (quam vocant libertatem contradictionis) est libertas ad opinionem, vel ad opinionis carentiam: libertas verò quoad specificationem (quæ dicitur libertas contrarietatis) est libertas ad actus positivos inter se oppositos, & specie diversos, nimirum ad assensum, & dissensum.

23. Est igitur extra controversiam, quòd non solùm possimus ob-

jecto probabiliter proposito prohibitu assentiri, vel suspendere assensum circa ipsum, sed etiam, quòd sit liberum nobis eidem assentiri, vel etiam dissentiri, saltem mediata, & quasi per circuitum; quia voluntas pro sua libertate potest intellectum divertere, sive retrahere ab attentione motivorum unius partis, verbi gratia, quæ inclinant ad assensum, & illum applicare ad attentius considerandum motiva opposita, quæ ad dissensum inclinant, vel ad querendas novas rationes pro illa parte, quam ipsa voluerit, atque ita tandem poterit intellectum inflectere ad assentiendum, vel dissentiendum.

24. Præsens igitur controversia est, utrum actu propositis pro utraque parte contradictionis motivis, quorum qualibet secundum se, & seorsim ab aliis, sufficiant ad movendum actum opinativum, detur in intellectu indifferentia, non solùm mediata, ac remota, sed etiam proxima, & immediata, ad opinandum, quamlibet contradictionis partem, idest, ad assentiendum, vel dissentiendum pro solo libitu voluntatis; an potius sit omninò necessitatus, vel ad non opinandum aliquam partem, ut si motiva sint utrinque æqualia; vel, si inæqualia sint, ad opinandum solùm eam partem, pro qua motiva urgentiora apparent? Et non loquimur modò de apparentia comitanti, vel sussequenti, vel ipsam opinionem, vel liberum voluntatis imperium (de qua apparentia dicitur postea), sed solùm de apparentia antecedenti, quia in hoc sensu dumtaxat ad nostrum institutum quæstio deservit.

25. Apponamus exemplum majoris claritatis gratiâ. Dubium est, an Ecclesia, dum Cap. *Dolentes* de celebrat. Missar. præcipit Officium Divinum recitare *studiosè pariter, ac devotè*, non tantum obliget ad attentionem, atque devotionem externam, sed etiam ad internam simul. Et postquam dubitans omnia perpendit, in-

ve-

venit fundamenta pro parte affirmativa esse multò graviora, & urgentiora (ut reipsa communiter existimantur), vel æqualia, & non minus intellectum urgentia, quàm fundamenta partis oppositæ: poterit ne homo iste, rebus sic permanentibus, pro suo libitu judicare absolute, prædictam Ecclesiasticam legem non obligare ad attentionem internam?

26. Video, Auctores communiter eventum, in quo utrinque motiva sint æqualia, separare ab eventu, in quo ex altera parte detur excessus, & utrunque seorsim disputare majoris distinctionis, & claritatis gratiâ, ut existimo. Sed video pariter, separationem istam, non solum necessariam non esse, verùm etiam talem, quæ saltem inutilis mihi videatur, nec ad aliud deserviat, quàm ad multiplicandas frustra quæstiones, in quarum posteriori eadem inculcentur, ac repetantur, quæ in priori jam manent dicta.

Porrò in secundo eventu, licet diverso à primo, eadem est formaliter quæstio, & quæ ex eisdem principiis resolvatur, cum minimâ, vel nullâ differentiâ. Nos igitur utrunque sub unica quæstione comprehendimus sine ulla, ut confidimus, confusione.

Illud dumtaxat iterùm adnotandum, nos hic probabile, aut probabilius in eodem sensu usurpare, quem distinctè supra exposuimus. Igitur partem æquè probabilem, vel probabiliorē oppositâ, illam nos appellamus, quæ fundamentis nititur, vel æqualibus, vel quæ potiora intellectui sint fundamentis partis contrariæ.

ARTICULUS III.

Duplex sententia opposita, & auctoritas utriusque.

27. **P**osse quem in prædicto eventu ex libera electione voluntatis opinari utramlibet partem, &

consequenter posse assentiri parti, quæ sibi appareat æquè aut minus probabilis, quàm opposita, docent Neoterici Probabilitæ (non tamen omnes, ut statim videbimus) & quidem adeò intrepidè, ac fidenter, ut quasi nullus esset, aut pænè nullus, qui sibi hac in re contradiceret, sententiam suam certam passim appellent, communem, atque receptissimam inter Theologos, & Philosophos. Hinc fit, ut ex antiquis nullum contra se referant: ex recentibus autem unum solum, aut alterum, veluti novam quamdam opinionem, valdeque singularem obtrudentem, contra communem Doctorum calculum, pænè cum despectu commemorent.

28. Has, & similes alias locutiones Probabilistis nimis frequentes, facile prætermitteremus, nisi propter præsentis materiæ conditionem valde præjudicaret veritati tam necessariæ, & cujus ignorantia, adeò Christianis moribus deploranda mala producit. Censeo quidem (nec falli timeo), idque diuturnè didici observatione, vix alia ex parte potius numerum adeò ingentem sectatorum benignæ sententiæ accessisse, quàm ex gloriosis his grandiloquiis, quibus illius auctoritatem Recentiores ubique extollunt, & quæ vix audita, vel lecta avidissimè à pluribus arripiuntur, spargunturque in vulgus confidentissimè absque ulteriori ullo veritatis examine. Denique raros admodum invenies, qui propriam libertatem non ament, & qui placentia sibi loquentibus repugnare aliquando velint, aut eorum dicta discutere. Equidem *nunquifaciliter credit, quod appetit*, ut supra agebat D. Angelicus, quo nihil veriùs, aut prudentius dictum.

29. Idcirco non contendendi animo (quo impensè Deum gloriosum precor, ne me unquam abduci sinat), sed ex sincero tantùm veritatis amore, quàm unicè invenire, atque docere opto, utque nocentia ista præ-

D. Tho. 2.
2. q. 6. a. 3.
corp.

præjudicia removeam, in hoc uno Doctorum sententiæ meæ modestiam, aut patientiam non æmulator. Nullam ergo ex magnificis commendationibus auctoritatis sententiæ benignæ, absque severo examine facile præteribo, sed omnes, quantum poterò, accuratè discutiam, & quid veritatis contineant, perspicuè, ac solidè demonstrare curabo. Ut autem in quæstione præsentis observationis nostræ veritatem certo experimento comperias, ecce pro sententiâ contraria Auctores, tum antiquos, tum recentes, fideliter relatos tibi subiicimus, ad marginem reiectis more nostro exactis citationibus, seu locorum allegationibus, ut Lectoris tedium minuiamus.

30. Ergo intellectum nunquam omninò posse proximè, ac immediatè præbere assensum determinatum alicui parti contradictionis, nisi illi tantummodò, quæ in actu primo, & pro priori ad ipsum assensum, & ad imperium liberum voluntatis, apparet ipsi verosimilior, & gravioribus nixa fundamentis, docet in primis (ut statim videbimus) Aristoteles, quem antiqui Philosophi, & celebres ipsius interpretes in hoc sensu secuti sunt, ut Averroes ejusdem Commentator, Simplicius, Philoponus, & Themistius. Id ipsum docet satis perspicuè variis in locis Magister Angelicus, cujus mentem inferius accurate explorabimus, & pro negativa sententiâ manifestam esse ostendemus.

31. Consentit haud obscure Subtilis Doctor, dum ex professo disputans de potestate libera voluntatis ad imperandos actus intellectus, nullam aliam admittit in ordine ad oppositos, ac diversos specie actus, nisi indirectam tantum, & immediatam, quatenus liberè voluntas potest avertere intellectum ab uno objecto, & ad aliud diversum applicare: *Respondet* (inquit), & dico, quod oportet, actum intellectus esse in potestate voluntatis, ita quod possit intellectum

avertere ab uno intelligibili, ad aliud intelligibile convertendo. Hæc subtilis Scotus, qui sanè diminutè, & ineptè rem definiisset in ordine ad scopum sibi præfixum, si voluntas haberet liberam potestatem ad imprimendum directè, & immediatè actus oppositos intellectus. Sed quia talem potentiam penitus repugnantem existimavit, neque hic, neque alibi aliquando ullam illius mentionem fecit, sed oppositum tanquam rem exploratam tacitè supposuisse censendus est.

32. Consentiunt insuper reliqui antiqui Theologi, Henricus de Gandavo, Richard. Holchor, (qui latè id probat, adducto testimonio Philosophi, & Commentatoris ipsius ex loco nuper allegato), Major, Conrad. Adrian. Corduba, & universim reliqui antiquiores id, vel expressè docent, vel ubique supponunt, si excipias Cajetanum, cujus auctoritas, alioqui magna, parvi in quæstione ista faciendâ est, cum opinionem teneat longè singularissimam, & absurdam ab omnibus existimatam, posse videlicet voluntatem pro solo suo libitu inflectere intellectum ad opinandum, quidquid voluerit, stellas, verbi gratia, esse pares, aut impares (hoc ipse exemplo utitur), absque ratione ulla, vel fundamento ex parte objecti præstito; quod non modò evidenter falsum, sed incredibile dictum est. Adeò nullus Homerus est, qui non aliquando dormitet. Hanc ipsam Cajetani opinionem P. Turrianus tribuit OKamo. At ego nihil tale, sed oppositum potiùs, apud OKamum invenire potui.

33. Jam verò ex modernioribus eandem sententiam docuerunt V.C. Bellarminus, P. Molina, V. P. Ludovicus à Ponte, P. Dandinus, Candidus Philalethus, seu P. Andreas Blancus, P. Scildere, Homen affirmans, contrariam opinionem rationis lumini repugnare, Faber, Rubens, Mercorus, Fagnanus, & uno verbo cæteri omnes, qui negât usum

li-

Aristot. 3. de Ani. vel (ut alii volunt) 2. tex. 153. Commenta. Simplic. Philop. & Themist. in eum locum.

D. Tho. locis infra alleg.

Scot. in 2. par. 2. dist. 42. n. 5.

Henr. Quodl. 14. q. 8. Richar. in 2. dist. 38. a. 2. Holchor. in 1. q. 1. Mai. in 4. q. 2. Prologi. Conrad. de contract. tr. 7. q. 100. conclus. 1. Cordu. in Quæstionar. li. 2. q. 3.

Cajeta. 1. 2. q. 65. in commenta. ad art. 4.

Turria. d. 29. de fi. dub. 1. 9. Occasione. OKam. in 2. dist. 25. a. 2. Bellarm. li. 3. de gra. & lib. arbi. Moli. to. 5. de just. & ju. tr. 4. d. 15. 16. & 17. P. Puente in m. s. in 1. 2. q. 19. a. 5. & 6. dub. 4. n. 1. Dandinus. in tert. de Anima Comentar. 44. Candid. q. 2. Scild. de conf. tr. 2. c. 2. s. r. 4. Homen. de conf. c. 2. n. 39.

Controv.
p. 2. d. 5.
n. 51.

Toler. c. 20.
Summ. de
sepe. pecca.
morta.

licitum opinionis minùs probabilis contra tutiorem, & probabiliorem, quorum numerum, & auctoritatem expendemus in loco, & summatim supra jam dedimus.

34. Insuper in eandem sententiam adducit Candidus Cardinalem Tolerum. Sed Candidi discursus parùm est efficax. Quare, idèò præcipuè Cardinalis doctissimus nobis favere censendus est, quatenus, neque ibi, neque alibi sententiam Recentiorum unquam insinuat; sed potius clarè insinuat oppositam, cum sæpiùs, vel supponat, vel significet, ex conflictu variarum opinionum, aut rationum utrinque militantium, intellectum manere necessariò suspensum, & dubium in utramque partem; quod sanè non contingeret, si vera foret Recentiorum sententia, posset enim pro libitu voluntatis alterutram partem eligere, & dubium absolutè resolvere. Illius igitur falsitatem tacitè supposuisse (immò satis apertè) necessariò putandus est.

35. Id, quod de multis aliis ob eandem rationem censi debet. Maximè verò mihi certum apparet de nostris Conimbricensibus, qui, cum multis in locis exactè more suo, & eruditè differant de indifferentia nostri intellectus ad iudicandum, & opinandum, nusquam ipsi concedunt potentiam proximam, ac directam, ad assentiendum parti aequè, aut minùs probabili; sed totam subjectionem ipsius ad voluntatem ubique exponunt unicè per indifferentiam ad opinandum, vel non opinandum, idest, non quoad diversos specie actus, sed unicè quoad exercitium.

36. Præterea, ex his Auctoribus, qui à Recentioribus Probabilistis pro sua sententia benigna referri communiter solent, expressè nobis in præsentem consentiunt P. Vazquez, Lessius, Laiman, Arriaga, Cardinalis Sfortia, uterque Antonius Perez, Bresserus, & Ægidius Coninch,

quibus subscribunt Recentiores quamplures ex Societate nostra. Pro eadem sententia affert Recentior quidam Doctorem Montanos, & Cornejum; qui tamen illam re ipsa non docent, sed oppositam potius.

37. Tandem sententiam nostram tradit apertè Docteur Eximius, ut sit mirabile, P. Esparzam non parùm laborare, ut ipsum liberet ab inconsequentia, dum per expositionem violentam, & alienam, ipsius verba cogere nititur in sensum proprium suæ sententiæ; cum tamen, juxta veram, & nostram clarè loquatur, & consequenter.

Porro Magnus Suarius conclusionem istam statuit, *Quando intellectus non habet evidentiam de aliquo objecto, potest moveri à voluntate ad speciem actus, idest, ad assentiendum, vel dissentiendum. Est etiam D. Thomas.* Deinde, ut clarum esset, se loqui de motione non directâ, neque immediata, sed mediata, dumtaxat, ac indirecta, supponit id, quod est per se notum: nimirum, voluntatem nūquam posse intellectum inclinare, aut movere, ut assentiat objecto, nisi quod ipsi verum appareat. Addit autem, objectum sæpè ita apparere verum, ut intellectum non penitus convincat, eò quod simul adsint rationes aliquæ pro opposito extremo: *Et tunc* (inquit) *mihi probabile est, non posse moveri (à voluntate), nisi in illud, quod verosimilius, & probabilius appareat, quamvis ipsa voluntatis affectio plurimum conferre possit, ut ipsum objectum probabilius, & verosimilius appareat.* Hæc, & non plura de re ista P. Suarez, qui non solum apertè sententiā nostram docet, sed lucem etiā præfert ad solvendū inferiùs argumenta contraria.

Ecce tibi utriusque sententiæ auctoritas, quam adeò exactè, ac prolixè distinximus, ut citò disceres vocibus non moveri, maximè in præsentem materia. Ad rationes jam accedamus.

G AR-

vic. in r. 2.
d. 8. q. 6. a. 4.
a. nu. 9. p.
Anto. Perez d. 4. de
iust. & ju. c.
5. Perez Benedict.
in Lau. Sal-
mant. certa-
mi. 10. du. 2.
c. 2. nu. 38.
Bress. de
conf. li. 3.
c. 2. n. 22.
Coninch.
d. 34. de ma-
trim. du. 10.
nu. 82.

Sua. 10. in
1. 2. ff. 2. d.
10. f. 1. n. 5.
Espar. Ap-
pend. par.
2. a. 105. &
115.

ARTICULUS IV.

Sequatur negativa, & vera sententia auctoritate, & ratione Philosophi.

38. **N**imirum, Aristoteles loco supra allegato, ut ostendat phantasiā, sive imaginationem, non esse idem, ac opinionem, hanc in primis rationem reddit, licet nāque, cum libet, fingere quicquid volumus: at opinari in nobis non est; necesse est enim verum, aut falsum dicere.

Sensus autem, & vis huius rationis, & argumenti, est, quod per phantasiā, aut imaginationem nihil reverā dicimus, aut enuntiamus, sed modo quodam simplici, ac materiali diversa objecta apprehendimus, & coniungimus: quare licet, si volumus, imaginari bobem volantem, montem aureum, vel gemmeū, turrim astris altiorem, nos ipsos mortuos, & his similia. Per opinionem verò aliquid enuntiamus, ac dicimus; quod fieri non potest, nisi iuxta merita objecti, & prout ratio ipsa persuaserit: hoc est, si objectum appareat verum, necesse est, ut verum dicamus, id est, ut assentiamus ei tanquam vero; si autem falsum appareat: necessum est, ut falsum dicamus, hoc est, ut dissentiamus, & illud tanquam falsum respuamus (ex suppositione videlicet, quod actu opinari velimus). Igitur, quoties adfunt graviora fundamenta pro parte affirmativa, verbi gratia, ita ut objectum ipsum appareat verum potius, quam falsum, vel æqualia, ut non potius falsum, quam verum, non est liberum nobis assentiri, vel dissentiri (nimirum proximè, ac immediatè), aliàs liberum esset verum, vel falsum dicere, prout libuerit, quod disertè negat Philosophus.

39. Dices ex P. Esparza, intentionem Philosophi in eo loco solum esse docere, quod verissimum est, &

experientiā notum, nimirum opinari haud ita nobis liberum esse, ac imaginari; quia non semper, cum volumus, habemus sufficientes rationes ad assentiendum, vel dissentiendum. Cæterum, quando adfunt rationes sufficientes utrinque, quod nobis non sit liberum assentiri, vel dissentiri, nec Philosophus docuit, nec ex ejus verbis colligitur; sicut ex iis, quæ affirmat li. 2. tex. 60. nempe, *Intelligere quidem est in ipso* (intelligente), *cum voluerit: sentire autem non est in ipso; necesse enim est adesse sensibile*, nemo sanus arguerit, vel nostrum intelligere nulla necessitate restrictum esse, vel nullam nos habere libertatem circa sensationes externas.

40. At contrā est primò: quia à interpretatio ista ultrò conficta est ad eludendam argumenti difficultatem contra omnes Philosophos antiquos, & interpretes Aristotelis, quorum nullus eundem sic exposuit. Idè P. Dandinus, acuratissimus Philosophi interpretes, meritò illam præoccupat, & simul impugnat, ac despicit.

Dandi. ubi supra.

41. Contrā secundò: quia, sicut nobis liberum non est opinari quodcumque objectum ex defectu motivi sufficientis, sic nec liberum est quodcumque objectum imaginari, quia, sæpè non habemus speciem: ergo ineptè ex hoc capite desumpsisset Philosophus discrimen utriusque facultatis, proprium, & specificum, ut intendebat.

42. At verò juxta nostram, & communem intelligentiam optimè, ac congruenter rem exposuit, videlicet ex proprio, & naturali modo, quo prædictæ potentie operantur, ac tendunt in proprium suum objectum præsuppositum: quia scilicet phantasia, cum nihil propriè affirmet, aut neget, potest objecta, quorum species habeat, prout libuerit sibi, componere, sive vera sint, sive falsa, seu repugnantia, seu coherentia. Contrā verò Intellectus, dum opinatur, aliquid

Espar. ibidem.

quid dicit, hoc est, enuntiat, affirmat, aut negat, quod facere non potest, nisi juxta merita objecti, & prout persuaserint enuntiandi motiva: ergo, etiam dum adsunt pro utraque parte rationes, non est intellectus indifferens ad opinandum quodcumque velit, id est, ad assentiendum, vel dissentiendum; sed, si opinandum sit, debet omnino attendere ad rationes propositas utrinque, & conformare judicium suum cum ipsarum rationum exigentiâ. Igitur, dum Philosophus negat in nobis libertatem ad opinandum, negare omnino censendus est potentiam assentiendi, vel dissentiendi, prout nobis libeat, etiâ dum adsunt utrinque rationes, ut plerumque adesse contingit.

Bellar. ubi supra.

Echi. 7. c. 2.

43. Contrâ tertio: quia, ut rectè argumentatur V.C. Bellarminus, intellectus juxta Philosophum quandoque necessariò dubitat ob conflictum rationum mutuò se invicem collidentium, ut manifestè constat ex eodem Philosopho docente, syllogismum captiosum, seu sophisticum, necessariò aliquando inducere dubitationem, cum ab una parte videatur incredibile, quod concluditur, & ab altera nequeat argumentum contemni, donec appareat ejus solutio.

Philos. 2. Met. c. 1.

D. Tho. ibi.

44. Præterea, tum ibidem, cum etiam alibi, intellectum, dum dubitat ob concursum rationum hinc inde militantium, ligato comparat Aristoteles, qui nequeat ulterius procedere, donec vinculum dissolvatur: vinculum verò dubitationis unice solvi affirmat utrobique, per veritatis inventionem: *Dubitationis enim solutio (inquit) inventio est*, scilicet veritatis: *cum invenitur, quid sit verum circa id, quod dubitatur*, ut exponit D. Angelicus. Atqui, si vera foret Recentiorum sententia, intellectus non posset ita ligari, sed ex libero semper voluntatis imperio posset vinculum impediri, aut dissolvi, per judicium determinatum de utralibet parte quæstionis, nulla ulteriori

adhibita veritatis inquisitione. Evidens ergo est, Philosophum docuisse sententiam nostram, & oppositam prorsus reprobasse, tum in his locis, & aliis consimilibus, tum in loco allegato, quem Esparza sinistrè exponit.

45. Contrâ denique quartò, & urgeo efficacissimè doctrinam, & rationem Philosophi, quâ nostram conclusionem iterum à priori suadeo. Nulla potentia nostra, adhuc ex libero voluntatis imperio, operari aliquando potest extra objectum suum proprium, & specificativum, ut ajunt; quod est principium omnibus certum, aliòqui posset oculus videre sonum, & auris audire colorem, quo nihil dici posset stultius. Sed objectum formale, ac proprium intellectus in ordine ad assensum, est verum per apprehensionem præviam sibi propositum, & absolute apparendum, ut tale, pro priori ad ipsum assensum (& idem est in ordine ad dissensum, de falso): igitur nunquam intellectus potest, adhuc ex libero voluntatis imperio, tendere per assensum in objectum, quod sibi pro priori absolute hic, & nunc non representetur ut verum. Hæc certæ sunt.

46. Modò sic argumentor: Atqui, dum intellectus invenit pro parte contraria rationes æquæ, aut magis urgentes, nequit objectum ipsi apparere absolute verum: ergo nequit illi assentiri, adhuc ex libero voluntatis imperio. Cætera per se patent: Minor ostenditur. Objectum apparere intellectui absolute verum in ordine ad assensum præstandum, est prædicatum representari ut conveniens absolute subjecto, seu (quod in idem recidit) est subjectum enuntiationis apparere intellectui connexum absolute cum prædicato, ut est ex ipsis terminis manifestum, & vel tyronibus in Dialectica notum. At in eventu posito nequit subjectum enuntiationis apparere intellectui connexum absolute cum prædicato,

cum nullum majus, sed potius minus, vel ad summum æquale fundamentum repræsentetur ipsi pro connexionem, quam pro connexionis carentiâ: ergo objectum non potest absolute apparere intellectui verum: ergo non potest eidem assentiri, adhuc ex libero voluntatis imperio.

Hoc argumentum nostrum sub his terminis institutum demonstrativum est, ac convincens, si rectis oculis inspicatur, quippe quod ex principiis apud omnes indubitatis sententiam nostram legitime concludat. Id ut clarius appareat, videamus, quid ad illud reponi possit ex communi doctrina Recentiorum.

ARTICULUS V.

*Refellitur solutio Recentiorum,
& urgetur ulterius ratio
proposita.*

47. **D**icent fortè ex Terillo: ut intellectui appareat objectum verum, & absolute ab ipso enuntiabile per assensum opinativum, sufficere motivum probabile, quavis ex parte opposita adsit aliud probabile, aut probabilius; per hoc enim non fit, ut motivum probabile secundum se non sit verosimile, seu connexum ex se probabiliter cum veritate, aliàs minimè urgeret, nec aliquo modo stimularet intellectum ad sui assensum, quod est contra compertam experientiam. Ergo quando intellectus assentitur objecto ob motivum probabile, etiam dum adest aliud æquè, aut magis probabile in oppositum, semper assentitur objecto ut absolute vero probabiliter, atque adeo minimè extrahitur à suo proprio, & formali objecto. Instat deinde argumentum nostrum, perdoctus quidam, & acutus Recentior in voluntate eligente bonum, alio æquali, aut majori bono contempto, necnon in intellectu temerè judicante. Sed, quod ad instantias spectat, constabit mox.

48. Nunc verò contrà est primò: quia responsio non tangit (tantum abest ut solvat) nostri argumenti difficultatem; sed petit apertè principium. Porro argumentum nostrum contendit, ac demonstrat, motivum minus, aut æquè tantum grave, in conspectu gravioris, aut æquè gravis, nec probabile esse relatè ad intellectum utrumque perpendentem, neque esse verosimile, aut connexum cum veritate, neque movere absolute posse intellectum ad sui assensum, adeoque, neque verum, neque esse absolute enuntiabile; quia in illis circumstantiis non proponit subiectum ut connexum cum prædicato, cum nihil plus appareat pro connexionem, quam pro inconnexione, aut etiam minus pro connexionem. Reponunt verò nobis his omnibus contraria absque aliqua probatione, quam reverà non afferunt, neque afferre aliquando poterunt. Ergo non solvunt argumentum, sed absurde principium petunt.

49. Contrà secundò, & instaatur nostrum argumentum: dum intellectus est in actu primo proximo ad opinandum quæstionis partem affirmativam, non attendit præcisè ad motivum affirmationis, sed motivum oppositum actu quoque considerat; aliòqui non eligeret iudicium prælativum, neque foret indifferens quoad speciem, atque adeò importunè desiliremus ab hypothese, quam assumpsimus pro præsentis disputatione. Atqui intellectui actu consideranti utriusque partis motiva impossibile omninò est, ut pars affirmativa, si sit æquè, aut minus probabilis, appareat absolute vera: ergo non potest illam opinari ex aliquo voluntatis imperio.

50. Minor, quæ sola probationem desiderat, probatur facilè ex assumpto principio: partem affirmativam apparere absolute veram, est subiectum enuntiationis apparere intellectui, omnibus hinc inde perpen-
præ-

prædicato, ut nemo Logicus negare potest. At intellectui actu ponderanti utriusque partis motiva, impossibile omnino est, ut subiectum enuntiationis appareat absolute cum tali prædicato connexum; repugnat namque ex terminis ipsis, subiectum apparere absolute connexum cum prædicato, quando intellectui simul non minus, sed vel æquè, vel magis apparet omnino inconnexum propter motiva partis contrariæ. Ergo impossibile prorsus est, ut intellectui actu consideranti utriusque partis motiva, pars affirmativa quæstionis appareat absolute vera. Ergo non potest illam absolute opinari.

§ 1. Confirmatur, & declaratur: vel subiectum enuntiationis apparet intellectui, primò absolute solum, connexum cum prædicato quæstionis institutæ; vel secundò absolute inconnexum tantum; vel tertio connexum, & inconnexum simul; vel demum quartò nec connexum, nec inconnexum, sed tam à connexionem, quàm inconnexione præcindens intentionaliter, & ex vi apparentiæ? primum, atque secundum falsum est in casu æqualitatis motivorum, & aliunde est apertè contra adversarios; sic enim intellectus indifferens non esset immediatè ad assentiendum, vel dissentendum, nisi velint, ut sit proximè potens dissentiri vero, & assentiri falso formaliter ut tali, quod nemo hætenus expressè dixit (quamvis id Recentiores virtualiter asserere, & nullo modo negare non posse, statim manifestè ostendimus): in casu autem inæqualitatis, verum id est; sed tunc est manifestum, intellectum unicè posse, vel assentiri, vel dissentiri, quod Recentiores negant, & nos contendimus.

§ 2. Tertium est evidenter falsum; quia nunquam duo contradictoria possunt apparere intellectui, ut actu, & simul enuntiabilia, cum sit contra principium ipso naturæ lumine notum. Et quidem aliqui

posset actu intellectus affirmare, & negare simul idem omnino objectum, quod nemo dixerit. Denique, si quantum dicatur, intellectus non potest immediatè, nec assentiri, nec dissentiri alicui parti contradictionis, adhuc ex libero voluntatis imperio, sed dubitare necessariò debet, ut est evidens apud omnes, si unum Cajetanum exceperis. Ergo in quacumque hypothesis cogitabili intellectus, ut motus à voluntate, unicè potest, vel assentiri tantum, si objectum ipsi verum appareat, hoc est, subiectum enuntiationis absolute connexum cum prædicato; vel dissentiri solum si appareat falsum, idest, subiectum absolute inconnexum; vel tandem dubitare, & hæere, si nec appareat verum, nec falsum, idest, subiectum neque connexum, neque inconnexum cum prædicato: quæ est in terminis nostra sententia. Et hæc est vis rationis Philosophi, quæ meritò appellatur demonstrativa à Candido, & sine dubio talis habebitur, si rectè termini penetrantur.

§ 3. Sed adnotanda hic est aperta Recentiorum, vel contradictio, vel hallucinatio, quam mirum est homines acutissimos non advertisse, cum statim appareat. Nimirum, juxta ipsos, intellectus, dum ex motivis minus, aut æquè tantum probabilibus, assentitur alicui objecto, poterat pro illo priori ad ipsum actuale assensum, proximè, & immediatè eidem dissentiri, si vellent ex libero voluntatis imperio: igitur pro illo priori objectum apparebat intellectui, ut absolute falsum, idest, subiectum, ut non connexum absolute cum prædicato; neque enim aliter intellectus alicui objecto dissentiri potest, nisi velint, ut exeat à suo objecto proprio, ac formali: ergo præbuit intellectus assensum objecto, quod pro illo priori proponebatur, ut absolute falsum: Cumque idem argumentum de dissensu facere liceat, sequitur evidenter intellectum habuisse pro eodem signo, potentiam proximam, & im-

& immediatam ad dissentiendum, vero, & assentiendum falso, per prae-
vias apprehensiones sibi apparenti-
bus. Unde tandem concluditur, idem
omnino objectum apparuisse intelle-
ctui verum simul, & falsum, idest,
subjectum enuntiationis absolute cō-
nexum, & simul inconnexum cōm,
eodem omnino praedicato; quod ta-
men contradictio est non minus evi-
dens intellectui, quam sit evidens ip-
si principium universalissimum, &
ipso lumine rationis notum, *impossi-
bile est idem simul esse, & non esse.*

Fateor ejusmodi contradictio-
nem Recentiores evadere non po-
tuisse, supposita opinione, quam de-
fendunt; quia opinio illa nihil aliud
est, quam haec ipsissima contradictio,
si termini clarè explicentur, ut ratio
expensa manifestè demonstrat. Ipsi
verò prudentes sunt, ut videant, &
non ament errorem.

ARTICULUS VI.

*Præcluduntur aliae evasiones, quas
Recentiores ex Terillo desumunt:
ubi quid de motivis similibus, vel
dissimilibus?*

54. **V**erumtamen Terillus, &
alii Recentiores ipsum se-
quentes, adeò non vident opinionis
suae manifestam contradictionem, ut
potius reclamant, nos hic insigniter
paralogizari, & perperam confunde-
re verum reale cum apparenti, quod
est intellectus objectum in ordine ad
enuntiationem.

Utrique (inquiunt) verum à par-
te rei immediatè opponitur falso;
quia si verum est Sortem ludere, ne-
quit non esse falsum, Sortem non lu-
dere, cum contingere nequeat, utrum-
que simul contradictorium verè exi-
stere à parte rei, sed potius existen-
tia alterutrius expellat essentialiter,
ac per se ipsam, existentiam alterius.
At veritas unius extremi in apparen-
tia, & obscurè cognita, minimè ex-
cludit alterius veritatem, sed opti-

mè cum illa cohaeret; quia adesse,
possunt utrinque motiva, & rationes
inter se oppositæ, quarum quælibet
proponat extremum suum tanquam
probabiliter verum: quo fit, ut intel-
lectus utrumlibet opinari possit, quin
extrahatur à proprio suo objecto, vi-
delicet à vero, utique intentionali, &
apparenti per apprehensionem prae-
viam. Ita sæpè ex Terillo nonnulli
Recentiores ipsius asseclæ.

55. Sed hærent semper in eo-
dem loco, & argumenti nostri vim,
aut non sentiunt, aut, quod non cre-
dimus, sentire dissimulant. Scimus
utique (quis enim hoc ignoret?) ve-
rum, quod est objectum enuntiabile
ab intellectu, esse verum represen-
tatum, & apparens in apprehensione,
ipsam enuntiationem præcedenti:
neque hoc verum confundimus cum
reali. Dicimus tamen hic, & ubique,
efficaciterque probamus, verum,
etiam apparens, opponi essentialiter
falso, sive ejusdem extremi falsitati,
in terminis præsentis quæstionis: un-
de fit consequenter, ut opponatur
etiam essentialiter veritati alterius
extremi, cum idem prorsus sit, unum
extremum contradictionis apparere
intellectui verum, idest, verè ab ipso
enuntiabile, ac oppositum apparere
falsum.

56. Porro, si hoc principium, *impossibile est idem simul esse, & non* Aristo. 4.
Met. c. 6.
esse (quod secundum Philosophum
est principiorum omnium primum,
atque notissimum) adeò sit evidens,
ac per se notum, ut nullus intellectus
de veritate ipsius dubitare aliquando
possit, sicut non potest aliquando
contingere, ut duo extrema contra-
dictoria existant simul à parte rei,
exempli gratia, ludus, & ipsius ca-
rentia; ita neque potest contingere,
ut in uno, & eodem intellectu ali-
quando simul existant, ut vera, sive
proximè enuntiabilia, itaut proximè
possit utrumlibet eorum affirmare.

57. Profectò, si in eodem instan-
ti, in quo absolute verum apparet,
Sortem ludere à parte rei, posset ei-
dem

Aristo. ubi
nuper.

dem intellectui apparere absolute
verum, Sortem non ludere a parte
rei, jam utrumque contradictorium,
nimirum Sortem ludere, & non lu-
dere, appareret ut simul verum, in-
deque memoratum principium ap-
pareret illi intellectui, non solum in-
certum, aut dubium, sed etiam sim-
pliciter falsum; quod tamen merito
repugnare supponitur, & esse abso-
lute impossibile docet, ubi nuper,
Philosophus, negans Heraclitum,
aut alium quempiam, quamvis ore
profferret, id fuisse mente aliquando
opinatum, nec opinari posse, si ter-
minos intelligat. Prorsus ergo repu-
gnat, utrumque simul contradicto-
rium, pro eodem instanti apparere,
intellectui verum: igitur, dum alter-
utrum verum apparet, nequit non
alterum falsum apparere: igitur nun-
quam fieri potest, ut intellectus sit
proxime indifferens ad assentien-
dum utriliber eorum, seu (quod eod-
em redit) ad assentiendum, vel dis-
sentiendum uni, & eidem objecto
materiali.

58. Neque referre potest ad
amovendam prædictam repugnan-
tiam diversitas rationum, seu moti-
vorum, ad quam Recentiores recur-
runt; quia repugnantia illa consistit
adæquate in intrinseca, ac immédia-
ta extremorum oppositione, quæ
oritur ex ipsa contradictionis lege,
imbibita in dicto principio, *impossi-
bile est idem simul esse, & non esse*, cu-
jus veritas omni intellectui est evi-
dens, ut diximus, ac per se nota.
Quare nulla diversitas motivorum
vincere potest oppositionem illam,
quia ex nulla motivorum diversita-
te, nec ex alio ullo accidenti fieri po-
test, ut intellectus dubitet de veritate
illius principii, adeoque, nec ut ju-
diceret, aut apprehenderet utrumque ex-
tremum contradictionis, ut verum,
vel ut proxime enuntiabile per utrius-
vis affirmationem, seu (quod in idē
redit) unum, & idem per negatio-
nem, & affirmationem.

59. Et verò nemo hactenus deli-

ravit, aut in ullius mentem ascendit,
quod si intellectus simul assentiret, &
dissentiret eidem materiali objecto,
id faceret ex uno, & eodem motivo.
Quis enim unquam ita desipuit, ut
non videat motivum assentiendi non
posse movere ad dissensum? Et ta-
men omnes communiter Philoso-
phi existimant absolute impossi-
bilem simultatem assensus, & dissen-
sus ejusdem intellectus circa idem
objectum.

60. Perinde itaque est recursus
ad rationum, seu motivorum diver-
sitate, quoad concludendam in in-
tellectu indifferentiam proximam,
& immediatam assentiendi, vel dis-
sentiendi circa idem omnino obje-
ctum, ac si recurreretur ad diversita-
tem causarum, quod attinet ad indu-
cendam contradictionem à parte rei;
quasi videlicet una causa induceret
re ipsa ludum Sortis, alia verò diver-
sa posset inducere pro eodem instan-
ti formalem ludi Sortis carentiam.
Utrique, ut hæc extrema immediatè,
& per se opponuntur quoad phy-
sicam coexistentiam, sic etiam quoad
intentionalem; nam existere simul
in intellectu, ut vera, five ut proxi-
me enuntiabilia, est intellectum ap-
prehendere illa, ut sibi physicè co-
existentia, quod, ut jam diximus,
fieri nunquam potest.

61. Neque item refert, appa-
rentiam objecti, de qua loquimur,
esse obscuram, & in ordine tantum
ad producendum assensum, vel dis-
sensum, opinativos, & obscuros,
non verò certos, & evidentes; neque
enim ideò minùs sibi repugnant.
Ratio autem ex dictis evidens est:
quia intellectus, dum opinatur alte-
ram partem contradictionis, abso-
lute enuntiat, & judicat, quamvis
obscurè, & formidolosè, illam esse
re ipsa veram, ut pater ex Philoso-
pho ubi supra, & ex ipsa opinionis
definitione. *Utrique opinio* (inquit
ipse Philosophus) *non inquisitio, sed*
enuntiatio jam est. At implicat
omnino, intellectum, dum judicat
ab-

Aristo. 6.
Ethi. c. 9.

absolutè aliquid esse verum, habere simul indifferentiam, aut proximam potentiam ad judicandum, etiam opinativè, id ipsum esse falsum, aut oppositum esse verum, alioquin opinari, & judicare absolutè posset contra memoratum principium, *impossibile est, idem simul esse, & non esse*, de cujus veritate, nec dubitare potest. Ergo non minùs implicat, utrumque extremum contradictionis apparere intellectui verum, aut (quod eodem redit) alterutrum eorum verum simul, & falsum per apparentiam solùm obscuram, & in ordine ad producendum assensum, vel dissensum opinativos, quàm per claram, & notam generare assensum, aut dissensum evidentes. Sanè Dialectica nunquam distinxit inter propositiones contradictorias opinativas, aut evidentes, neque majorem docet in his, aut magis notam esse oppositionem, quàm in illis.

62. Hæc usque adeò sunt per se ipsa evidentia, ac nota, ut nemo, vel mediocriter Philosophus, & qui terminos verè penetraverit, de veritate eorum dubitare aliquando possit. Invenientur fortasse nonnulli homines, puri Summistæ, qui minùs cautè insinuent, vel affirmant etiam expressè, eundem intellectum posse assentiri simul probabiliter utrique parti contradictionis, alteri per intrinseca principia (ut ajunt), alteri verò solùm per extrinseca: cæterùm, quod de PP. Vazquez, & Sanchez, viris in Schola Theologica doctissimis, ac eruditissimis, id ab aliquibus vulgatum sit, nulla ratione ferendum est.

63. Equidem P. Vazquez solùm affirmat, intellectum, dum probabiliter alicui opinioni assentitur, posse simul oppositam judicare probabilem, non quidem per intrinseca, & propria, sed per extrinseca principia tantùm, idest, propter judicium, & auctoritatem aliorum, qui opinionem illam tuentur. Hoc verò nihil habet cum illa absurda

Summistarum doctrina, sed potiùs juxta ipsius Vazquez principia satis consequenter est dictum, quantum ad id, quod ponit, quid quid sit de absoluta doctrinæ veritate. Porro in Vazquez principiis intellectus, dum judicat, aliquam opinionem esse probabilem ob auctoritatem aliorum, non ideo judicat esse veram, sed solùm esse innixam rationibus non contemnendis, quæ viros alios probos, ac doctos potuerint ad assensum pertrahere; quod optimè componitur cum eo, quòd sic judicans, partem oppositam opinetur, atque adeò præfatam aliorum opinionem judicet absolutè falsam, absque ulla contradictione, prout ibidem exponit ipse Vazquez, qui alioqui intellectum nunquam posse utrique parti contradictionis assentiri, vel probabiliter, neque per diversa principia, expressè affirmat ibi, & supponit, tanquam omninò evidens, ac per se notum.

64. Id ipsum docet, & nihil aliud ex eisdem principiis P. Sanchez, nisi quod P. Vazquez arguit inconsequentia (sicut eundem arguunt Granados, & Bresserus) in eo, quòd admittere renuerit, posse quem duas opiniones contrarias existimare simul probabiles, etiam ex principiis intrinsecis; quod quidem meâ quoque sententiâ inconsequenter Vazquez negavit. Supponit insuper, sicut & Vazquez ipse, tanquam prorsus indubitabile, nunquam posse intellectum habere simul duos assensus, etiam probabiles, de utraque parte contradictionis, adhuc per diversa principia. Falsò ergo tribuitur duobus istis magnis Doctoribus doctrina tam absurda, cujus notissimam falsitatem uterque docet, & supponit, ut certam.

65. Quare mirandum est, P. Esparza, virum aliqui inter Recentiores admodum eruditum, & ingeniosum, nimis operosè contendere, quando motiva utriusque partis ete-

Sanct. li. 1.
Sum. c. 9. n.
12. & 15.
Granad. 1. 2.
contro. 2.
tr. 12. d. 4.
f. 2. nu. 18.
Bresser. de
conf. li. 3.
c. 6. n. 69.

Espar. Ap-
pend. p. 2.
ab art. 123.

rogenea sunt, seu dissimilia, nisi ex altera parte detur excessus manifestus, & evidens, utrumque extremum contradictionis posse apparere simul eidem intellectui verum, & enuntiabile, ita ut possit ex libero voluntatis imperio utrilibet eorum assentiri, vel dissentiri.

66. Distinctio hæc motivorum homogeneorum, vel eterogeneorum, à nullo, quem sciam, ante P. Esparza considerata, quam tamen ipse magnopere commendat, lateque proponit, & urget, & quam ex ipso postmodum mutuatus videtur Terillus, vera est, sed (in intellectu) omnino materialis, prorsusque inutilis ad quæstionem præsentem. Quare, ne tempus frustra teramus, nos illi referendæ, ac refellendæ non diutius immorari necessum est, cum ex doctrina proximè tradita ipsius importunitas, & inutilitas, statim evidenter appareat.

67. Sanè, quantum spectat ad argumentum nostrum solvendum, nullius illam esse momenti, ex dictis manifestè colligitur. Quid enim precor refert entitativa motivorum diversitas, aut mutuus eorum excessus, ad superandam oppositionem immediatam, & evidentem? An fieri potest ex quacumque ratione, aut motivorum dissimilitudine, ut intellectus dubitet de veritate illius principii, *impossibile est, idem simul esse, & non esse*? Si verò dubitare non potest, quomodo poterit judicare, aut apprehendere, ut simul vera, vel simul proximè affirmabilia, duo extrema contradictionis, cum sic apprehendere nihil aliud sit, quàm apprehendere illa, ut sibi à parte rei coexistentia?

68. Rationum ergo, seu motivorum entitativa dissimilitudo, & mutuus eorum excessus faciet ad summum, ut intellectus non possit ita facilè declinare in alterutram partem contradictionis, neque de veritate objecti propositi absolutam ferre sententiam; quia non ità facilè,

ac promptè, poterit æstimare absolutam præponderantiam, & excessum unius supra aliud: unde ex conflictu rationum dissimilium, ac sese invicem elidentium, sæpè quidem, continget, lucem veritatis confundi, & intellectum cogi dubitare, & hærerè. Caterùm nunquam fiet, ut aliquando tandem declinet in alterum extremum determinatè per absolutum ejus assensum, nisi apprehenderit illud, ut verum absolute, pro priori ad ipsum assensum.

69. At ex nullo conflictu, seu diversitate rationum, nec ex ullo alio accidenti, contingere aliquando potest, utrumque extremum contradictionis apprehendi ab intellectu, ut simul verum, & proximè per assensum enuntiabile: ergo nec contingere potest, ut sit proximè indifferens ad assentiendum, vel dissentiendum utrilibet eorum ex libero voluntatis imperio. Est ergo penitus importuna, & inutilis, distinctio motivorum homogeneorum, vel eterogeneorum, nec magis facit ad rem præsentem, quàm facere possit in physicis entitativa agentium diversitas, aut pugna eorum congressus, quod attinet ad inducendam contradictionem à parte rei.

ARTICULUS VII.

Distinctio itidem de apparentia antecedenti, vel consequenti, haud minus importunè producit ad nostrum argumentum solvendum.

70. **N**ihil, quod ex doctrina Recentiorum, vel apparenter, reponi possit ad argumentum nostrum, prætermitemus, ut manifestius fiat, quàm sit illud invictum, ac penitus indissolubile. Porro quanti momenti sententia nostra sit ad decisionem controversiæ potissimæ, constabit ex inferiùs dicendis.

Terillus pro quæstionis præsentis difficultate resolvenda, novam, atque subtilem distinctionem

H in-

Terill. de
consc. pro-
ba. q. 8. n. 3.

invexit, ejus utilitatem magnoperè commendat, & quam Recentiores ex ipso libenter amplexati sunt. Notat ergo, apparentiam veritatis, aliā esse, quæ intellectus judicium, aut liberum voluntatis imperium antecedit, ac prævenit; aliam verò, & longè diversam, quæ sequitur, aut comitatur judicium ipsum, aut imperium: nimirum apparentia antecedens multò est obscurior, atque remissior, consequens verò, aut comitans, multò clarior, atque vividior. Cujus notabilis differentia multas, & varias causas eruditè recenset, & expendit, quas tamen hic inferere non est operæ pretium; cum differentiam istam, & causas ejus, ultrò etiam nos admittamus, quamvis non omnia, quæ Terillus profequitur, nobis absolute probentur.

71. Ex dicta verò differentia fit, ut rationes, quæ antecedenter ad actualem assensum, apparent intellectui æquè, aut minùs probabiles, quàm oppositæ, dum intellectus eis assentitur, jam per ipsum assensum comitanter, aut consequenter, appareant ipsi probabiliores; nam eò ipso quòd intellectus ex affectu, & imperio voluntatis illas approbat, & amplectitur, ac absolute præfert oppositis per judicium determinatum, subindunt novam vim, & energiam representandi veritatem objecti, cujus apparentia proinde evadit absolute major, quàm apparentia partis oppositæ.

72. Hinc fit (inquit Terillus), ut intellectus, absolute loquendo, nunquam actu assentiat, nisi parti probabiliori, si sermo sit, ut debet, non solum de apparentia, quæ præcedit assensum, verum etiam de illa, quæ eundem comitatur, aut sequitur, & consequenter fit, ut nunquam duo extrema contradictionis appareant simul vera intellectui, qui propterea nunquam extrahitur à suo proprio, ac formali objecto, scilicet à vero apparenti. Unde tandem concluditur, cuncta argumenta nostra ex

hac doctrina facile evanescere; omnia nanque procedunt ex hallucinatione, & æquivocatione manifesta, qua utraque apparentia malè confunditur, cum valde distingui oporteret. Ita Terillus ibi, & alibi sæpè, & ex ipso communiter Recentiores.

73. Sed enim verò doctrinam istam, & distinctionem utriusque apparentiæ, quam, vel radiiores homines, experienciâ ipsâ deprehendunt, nostræ sententiæ Auctores optimè callent, & illam sæpè opportunè ingerunt, quamvis in hac quæstione, tam ipsi, quàm Auctores contrarii, usque ad Terillum, nunquam illam attenderint. Et quidem meritò, quia nihil importunius excogitari potest, quod attinet ad expediendam difficultatem, quam verfamur. Ideò in hoc sensu, & quantum ad hunc finem, novam dixi Terilli distinctionem, quæ tamen absolute vetus est, & omnibus nota.

74. Ejus verò inutilitas, & importunitas ad rem præsentem, satis reor apparet, vel ex ipso quæstionis sensu, sub quo ab omnibus instituitur. Nimirum, præsens controversia est, utrum, dum intellectus inquirens aliquam veritatem, invenit pro utraque parte rationes, vel æquales, vel inæquales, quas ipse tales esse cognoscit, vel signatè, vel exercitè saltem, possit à voluntate liberè flecti, ut opinetur quamlibet contradictionis partem? Sive ipsam actualem enuntiationem comitetur, aut subsequatur major, atque vividior apparentia ejusdem veritatis objectivæ, sive minimè subsequatur; hoc enim ad quæstionis resolutionem affirmativam, vel negativam, prorsus impertinenter, ac de materiali se habet, haud secus, quàm se habeat impertinenter, quod ad tale judicium intellectus sequatur amor efficax, vel inefficax, aut alius potius voluntatis affectus.

75. Porro cunctorum Philosophorum, sive antiquorum, sive recentium, constans, ac certa sententia

tia

tia est, intellectum creatum (sicut, & quamlibet aliam potentiam) tendere actu non posse, adhuc ex libero voluntatis imperio, nisi in objectum proprium, aliquomodo præsuppositum ad ipsam actualem tendentiam: objectum autem proprium intellectus in ordine ad assensum, est verum propositum per præviam apprehensionem; falsum autem in ordine ad dissensum. Quare, quod modò quærimus, est, an pars quæstionis affirmativa verbigratia, pro qua intellectus invenit, inspectis omnibus, fundamenta minora, vel æqualia fundamentis partis oppositæ, possit ipsi apparere vera absolutè, ex vi apprehensionis antecedentis, ex qua apparentia tandem moveri possit, accedente voluntatis imperio, ad eam partem absolutè enuntiamdam? Non ne quæstionem istam, & nullam aliam modò versamus? Non ne hic est apud omnes sensus ipsius?

Atqui apparentia comitans, aut subsequens assensum, nihil facit, ut patet, ad hoc ut illa pars pro priori ad assensum appareat intellectui vera, vel falsa. Est igitur abs re, & maxime importuna ad rem præsentem, nova ista, ac subtilis Recentiorum distinctio de apparentia, quæ præit, & quæ actualem assensum sequitur; neque per illam solvitur argumentum nostrum, quin neque tangitur difficultas ipsius, sed manifestè principium petitur, sicut per solutiones præcedentes, quas jam confutatas relinquimus.

76. Enim verò argumentum nostrum cõtendit, & ostendit evidenter (utique ex principiis notissimis, vel adversariis ipsis faventibus) intellectum non posse determinatè, & actu assentiri illi parti contradictionis, quæ pro priori ad ipsum assensum, apparet illi, aut æque, aut minus verosimilis, quàm opposita: quia intellectum sic assentiri est actu dicere, & enuntiare, objectum esse re ipsa verum: hoc verò denuntiare non potest, nisi objectum pro priori ad as-

sensum appareat ipsi verum absolutè per apprehensionem antecedentem; sicut voluntas amare non potest nisi objectum, quod pro priori appareat bonum per cognitionem præviam. At, dum objectum minùs, aut æquè tantum verosimile apparet, non potest intellectui apparere absolutè verum, cum, vel minùs, vel nihil plus appareat pro connexionem, quàm pro inconnexione subjecti enuntiationis cum prædicato: & quidem aliàs unum, & idem appareret verum, & falsum, vel (quod in idem redit) utrumque extremum contradictionis verum absolutè appareret, quod est contra principium primum, ac per se notum, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*. Igitur nunquam fieri potest, ut intellectus actu assentiatur objecto, quod apparet pro priori ad assensum, æquè tantum, aut minùs verosimile, ex quovis libero voluntatis imperio.

77. Ad hæc Probabilistæ Recentiores ex nova distinctione, & observatione Terilli, quid respondent? Nempè, intellectum optimè posse ex libero imperio voluntatis actu assentiri objecto, & extremo contradictionis, quod pro priori ad ipsum assensum apparet illi, aut æquè, aut minùs verosimile, quàm oppositum. Quare precor? Respondent: quia per assensum ipsum actualem, sive consequenter ad illud, objectum, quod vel æquè, vel minùs verosimile apparebat antecedenter, jam appareret verosimilius, & absolutè verum; nam alia est apparentia objecti, quæ assensum actualem præcedit, alia verò, & longè diversa, quæ assensum ipsum comitatur, aut sequitur. Hæc Recentiores ad argumentum nostrum, & nihil ultra.

78. Sed quis non videat, istam non solutionem, sed manifestam esse petitionem principii? Quid enim nos contendimus, ac demonstramus, nisi implicare omnino, objectum apparere, aut enuntiar-

per actuale assensum verum, nisi apparuerit verum pro priori? Reponunt autem, posse, quia per ipsum assensum apparet verum. Bellè! Et eum amabo vos non possit intellectus enuntiare id, quod unice falsum ipsi pro priori apparebat? Nescio planè quid dicent. Sed neque video. Quid dicere possint. Ergo revera nostrum argumentum non solvunt; immò nec quidquam ad ipsum respondent, sed circulum faciunt vitiosum, & absurdè principium petunt.

ARTICULUS VIII.

Suadetur insuper nostra sententia ad hominem contra Terillum, semel, & iterum, hac in re aperte sibi contradicentem.

79. **N**Empè ipse prædicta q. 8. de consc. probab. n. 24. expressè affirmat, & ex professo ponit, ac probat, præfatam intellectus indifferentiam ad opinandum quâlibet contradictionis partem, etiam quando intellectus pro priori ad assensum, vel dissensum, comparat motiva inter se, atque signatè, & expressè credit, illa esse prorsus æqualia: quod ipsum pluries repetit, etiam quando sunt inæqualia, nempe q. 9. n. 4. 17. & 26. ubi assertionem suam multis probare intendit.

80. Maximè verò urget in huius assertionis probationem argumentum infra solvendum, petitum ex fide divina, cuius assensum dicit liberum esse, etiam quoad specificationem: & tamen *mysteria fidei* (verba Terilli sunt ubi nuper n. 4.) *ut sufficienter proponantur, debent esse evidenter credibilia super omnem doctrinam contrariam, ut unanimiter omnes Theologi, quasi certum dogma tradunt*: unde sequitur, intellectum signatè posse, aut debere cognoscere, mysteria nostræ fidei evidenter excedere contrarios errores, in ordine ad merendum assensum; id, quod ipse Terillus expressè quoque affirmat

n. 10. *motiva* (inquit) *sufficientis credibilitatis pro assensu fidei Catholica, relatè ad motiva faventia heresi, non solum exercitè, sed etiam signatè evidenter cognoscuntur esse potiora.*

81. Rursus in opere posteriori, quod inscribit *De Regula morum* 1. & 2. par. q. 30. n. 3. & q. 52. n. 2. omninò sui immemor, ut videtur, contradictoriam cõclusionem statuit his formalibus verbis, *Intellectus nulli contradictionis parti assentiri potest, quândi signatè existimat, rationes utrique parti faventes esse æquales*: quam conclusionem universalem, & nulla restrictione donatam, efficaci ratione probat; & deinde concludit sic, *Hac ratio à fortiori convincit, quod nemo possit assentiri objecto, ac motivis, quæ absolute credit esse minus probabilia oppositis.* Et ut mireris magis, remittit tandem se ad prædictas qq. de Consc. ubi in terminis, & datâ operâ, contrariam doctrinam tradiderat. Terillo quoad hanc ultimam assertionem expressè consentit Esparza, sine Terilli tamen contradictione, quæ adeò est evidens, & expressa, ut incredibilis videri possit.

Espar. par. 2. a. 113.

Unam attamen potest excusationem habere hæc contradictio; nimirum, quòd legitimè, & inevitabiliter consequatur ex ipsâ, quam propugnat cum Recentioribus, intellectus indifferentiâ ad opinandum æquè, vel minùs probabilia. Enim verò, quòd utraque contradictoria Terilli assertio ex hac ipsius, & Recentiorum sententia, legitimè sequatur, ac penitus inevitabiliter, suaderi potest facillè, & efficaciter, vel ex doctrina ipsa Terilli, qua utranque suam assertionem suadet.

82. Suadetur igitur prima assertio: quia non semel, aut rarò, immò verò plerumque intellectus signatè credit, motiva unius partis, vel æquari, vel superari à motivis partis oppositæ: & saltem quando excessus, aut æqualitas sunt evidentes, non potest ita non judicare. Atqui, si semel

mel intellectus potest proximè, & immediatè opinari quamlibet partem contradictionis ex libera motione voluntatis, nihil est, cur semper non possit, quoties adfunt utrinque motiva sufficientia, ut Recentiores ipsi supponere videntur, qui universaliter, ac sine restrictione, conclusionem suam statuunt. Ergo, si semel dicitur intellectus habere indifferentiam ad opinandum, quam Recentiores in presenti defendunt, aliquando, immò sæpè, poterit immediatè assentiri, vel dissentiri, etiam parti, cujus motiva signatè existimat superari, aut saltem æquari à motivis alterius partis. Et quidem alioqui opinari rarò erit liberum, quoad speciem, cujus tamen oppositum Recentiores, ipsorumque argumenta significant.

83. Probatur itidem efficaciter assertio eadem P. Terilli: nam, ut ipse arguit optimè locis supra allegatis, quod existens in se non impedit assensum, nequiquam illum impedire potest, eò quod cognoscatur sicuti est, & signatè affirmetur ab intellectu; quid enim refert ita cognosci, quod attinet ad assensum præstandum? Atqui, si vera est Recentiorum sententia, rationes, vel æquales, vel graviores existentes re ipsa in intellectu pro parte negativa exempli gratia, non impediunt assensum partis affirmativæ: ergo nec poterunt illum impedire, etiam si ab intellectu signatè cognoscatur ut tales.

84. Ratio autem in promptu est: nam intellectus in data hypothesi per apprehensiones prævias ad assensum, vel ad dissensum, saltem exercitè, ac experimentaliter, non potest non cognoscere, & conferre inter se, rationes utriusque partis, quatenus necessariò videt, aut sentit, se magis inclinari, & urgeri ab his rationibus, quàm ab aliis: ergo, si nihilominus adhuc objectum potest propter rationes partis affirmativæ apparere intellectui per apprehen-

sionem, proximè enuntiabile, poterit etiam sic apparere, etsi intellectus expressè judicet, rationes illas non magis urgere, aut fortè minùs, quàm rationes contrarias; quemadmodum, quia objectum per apprehensionem non evidentem proponi potest ut proximè opinabile, potest etiam ita proponi, quamvis non evidentia, sive obscuritas apprehensionis, signatè cognoscatur ab intellectu. Ergo quisquis affirmat absolute proximam intellectus indifferentiam ad assentiendum parti, cujus motiva sunt æqualia, aut minora, quàm motiva partis contrariæ, nequit negare ex hac suppositione eandem intellectus indifferentiam, etiam quando motiva signatè cognoscuntur ut talia. Vera igitur est prior Terilli assertio, & quæ ex suppositione sententiæ Recentiorum, nulla ratione possit negari.

85. Jam posterior assertio in quâlibet sententiâ non minus vera, & evidens est: nam, vel ex ipsis terminis, videtur implicare contradictionem, quod intellectus actu per determinatum judicium reputer absolute veras, & præferat oppositis, rationes illas, quas per aliud judicium in eodem instanti existimat esse prorsus æquales, aut etiam inferiores, atque adeò nullatenus præferendas: quænam enim patentior contradictio? Ecquis precor clarissimè non videat, judicium, quo intellectus judicat absolute, rationes verbi gratia, partis affirmativæ, esse non magis, sive etiam minùs verosimiles, quàm oppositas, & alterum, quo in eodem instanti absolute item judicet, rationes illas esse præ oppositis veras, esse judicia prorsus secum pugnancia, & virtualiter saltem manifestè contradictoria?

86. Evidens ergo est in qualibet sententia posterior hæc assertio Terilli. Cumque prior aliunde sit etiam evidens ex ejusdem Terilli confessione, licet nobis legitimè concludere, rectè ipsum Terillum ratiocinari,

nari, dum ex sententia sua, & Recentiorum, utranque infert contradictionis partem; malè verò, dum Antecedens, ex quo falsum legitime concluditur, defendere persistit, ut verum.

ARTICULUS IX.

*Aliis etiam rationibus suadetur
adhuc nostra sententia.*

87. **A**rgumentum, quod hactenus expensum est, & ab impugnationibus, aut solutionibus Terilli, & Recentiorum facile vindicatum, si satis penetratur, planè, ac plenè, sententiæ nostræ veritatem demonstrat. Cæterum, quia non omnes uno modo concipiunt, & ut ingenia hominum varia sunt, argumentum, quod uni demonstrativum est, alteri vix apparet probabile, placet ulterius sententiam nostram aliis rationibus communire, quæ ex prædictis principiis facile conficiantur.

§. I.

*Prima ratio ex principio ab
omnibus recepto.*

88. **S**ic igitur argumentor primò. Intellectus secundum omnes (uno tantum excepto Cajetano) nequit ex libero voluntatis imperio judicare determinatè, stellas verbi gratia esse pares, aut impares. At non ob aliam causam, nisi quia nihil invenit pro priori ad assensum, vel dissensum, potiùs pro paritate, quàm pro imparitate stellarum. Igitur nunquam opinari potest, nisi partem contradictionis, pro qua aliquod majus fundamentum appareat.

Sed negant Recentiores Minorem: non enim, inquiunt, ideò non potest, quia nihil potiùs invenit pro paritate, quàm pro imparitate; sed quia nihil omninò, & absolutè invenit pro alterutra parte.

89. At contra est primò ad homines: si intellectus actu assentiatur paritati stellarum verbi gratia, jam per ipsum assensum, sive consequenter ad ipsum, pars illa, cui assentitur, juxta vestram doctrinam, & distinctionem datam de duplici objecti apparentia antecedenti, vel subsequenti, absolutè vincet oppositam, & apparebit ipsi absolutè vera præ altera.

Si Recentiores dixerint, apparentiam sequentem, aut comitantem, esse omninò importunam, ut intellectus actu assentiatur, si nulla pro priori ad assensum reluceat veritatis apparentia: verum profectò dicent absolutè; sed planè inconsequenter se gerent. Equidem, si apparentia absoluta comitans, aut sequens assensum, sera est, & prorsus inutilis, ut intellectus actu assentiatur, cur non erit inutilis major illa apparentia, quæ consequeretur assensum partis æquæ, aut minus probabilis?

90. Contrà secundò: finge tibi insignem Astronomum, qui ex principiis scientiæ suæ, & observatione diuturna, seriò affirmer, se comperisse, stellas esse de facto pares. Adsit iridem alius in oppositum auctoritatis prorsus æqualis, qui stellas esse re ipsa impares, non minùs costanter affirmer. Quis dicat, intellectum in hac hypothese posse, opinari ex libero voluntatis imperio imparitatem, vel paritatem? Dicer quidem Terillus, & Recentiores, si nolint consequentiam deferere. Sed enim verò consequentia hæc nimis apertè prodit Antecedentis falsitatem; nam profectò de asserto Consequentis totum mundum habebunt sibi contrarium; est enim contra innatam hominum apprehensionem, & contra compertissimam experientiam. Porro unusquisque facile in se experietur non minùs impossibilem assensum, vel dissensum determinatum, post duplex memoratum testimonium Astrologorum, quàm ante

te

te ipsum experiebatur.

91. Præterea falsitas Consequentis de facili convinci potest. Ideo intellectus, secundum omnes adversus Cajetanum, non potest, adhuc ex libero voluntatis imperio, judicare determinatè, stellas esse pares exempli gratia, quia videt, illas naturâ suâ esse prorsus indifferentes, æquèque conjungibiles ex se cum paritate, vel imparitate. Atqui post duplex præfatum testimonium, æquè apparent indifferentes, æquèque conjungibiles cum utralibet, nam quantum ex vi unius testimonii ad paritatem determinantur, tantumdem ex vi oppositi determinantur ad imparitatem, cum non magis unum, quam alterum contingere possit ut fallat. Ergo non minùs impotens permanet intellectus ad assentiendum paritati stellarum, post duplex testimonium prædictum, quam ante illud inveniebatur.

92. Quòd si quis fortè dixerit, neutrum testimonium Astronomi, adhuc seorsim, & secundum se, facere fidem aliquam, ut assensum mereri possit: nihil id nostra refert; nam ad vim argumenti nostri sufficeret hypothesis impossibilis. Præterquam quòd, quid prohibet, idem argumentum institui in eventu, quo duo testes paris prorsus auctoritatis, opposita de visu testentur, aut ex revelatione sibi facta, vel sub alia simili hypothesis haud difficili cogitatu?

§. I I.

Secunda ratio ab ipsa intellectu natura.

93. **A**rgumentor secundò: intellectus, utpote rationalis potentia, non potest aliquam sententiam ferre, neque habere judicium aliquod, de quo rogatus nequeat rationem reddere, alioqui planè ageret contra rationem, adeoque contra propriam naturam, quod est prorsus implicariorum. Atqui intel-

lectus judicans, partem æquè, vel minùs antecedenter sibi verisimilem, esse absolute veram, nullam reddere posset de judicio suo rationem: ergo. Probo Minorem: intellectus in ea hypothesisi, si rogetur, cur judicet determinatè, partem affirmativam verbi gratia, esse veram prænegativa? respondere non potest, quia pars affirmativa prænegativa, pro priori ad judicium verosimilis mihi apparebat; hoc enim est contra hypothesis ipsam. Aliunde verò respondere non potest; quia pars affirmativa pro priori mihi apparebat æquè tantum, aut minùs verosimilis; id nanque planè foret perinde, ac si quis diceret, censeo, hoc objectum esse revera album, potius quam nigrum, quia æquè simile mihi, aut similis apparet nigro, quam albo, quod esset stultissimum, & irrationale delirium. At non est cogitabilis alia ratio, quam reddat. Nullam ergo intellectus in hypothesis facta reddere posset de judicio suo; quod est contra naturam potentie rationalis.

94. Diceret quis: poterit respondere, se ita judicasse, quia obedire debeat voluntati imperanti tale judicium. Sed in primis inquiri, cur non debeat, aut possit obedire similiter voluntati imperanti judicium determinatum de paritate fiderum, exempli gratia? Nescio, quid possit dici; nisi fortè admittatur cum Cajetano judicium istud contra omnes Philosophos, & contra compertissimam experientiam.

95. Deinde contrà est primò: quia imperium voluntatis non est ratio, quam de judicio suo intellectus reddere possit; nam ejusmodi imperium nec est objectum proprium, nec motivum talis judicii. At intellectus unicè pro ratione reddere potest objectum proprium, & motivum, cui innititur ad præbendum assensum determinatum.

96. Contrà secundò: quia, & si voluntas possit re ipsa facere intellectum delirum, ipsum scilicet excan-

cando, & faciendo, ut objectum appareat ipsi verum, cum re ipsa verum non sit; nullo tamen imperio potest ipsum adigere, ut scienter fallatur, vel, ut non invitatus deliret. Atqui, si opinaretur partem æquæ, vel minùs verosimilem, falleretur scienter, ultròque deliraret; quod nanque fingi potest magis spontaneum delirium, quàm iudicium huiusmodi, *etsi videam, objectum non esse potius verum, quàm falsum, seu esse magis simile falso, quàm vero, iudico tamen esse absolute verum*. Ergo voluntas nequit imperare intellectui assensum partis sibi æquæ, aut minùs probabilis. Frustrà, ergo recurritur ad liberum voluntatis imperium, ut de suo iudicio intellectus rationem reddat. Unde tandem concluditur, iudicium illud concipiendum ab intellectu absque ullo motivo, seu ratione; quod est prorsus implicatorium.

§. I I I.

Tertia ratio ab ipsa experientia.

97. **T** Andem, ut alia mittam, suadetur efficaciter à posteriori nostra sententia ex Cardinali Pallavicino loco superius allegato. *Art. 3. n. 37.* Nemo unquam in se expertus est huiusmodi actum, *hoc est verosimilius: credo tamen, oppositum esse verum*. Sanè, si quis in publica disputatione, post relatas duas sententias immediatè, ac extremè oppositas, & expensa earundem fundamenta, ita demùm concluderet, *ego quidem, inspectis omnibus, censco, sententiam affirmativam gravioribus inniti, & verosimilioribus fundamentis, ratione quorum mihi verosimilius est ipsam præ negativam, veram esse*. Nihilominus tamen sententiam negativam existimo absolute veram: rem novam diceret, & mirabilem: immò verò planè ridiculam. Certè nullus huc usque ita locutus est, & si quis loqueretur, non solùm cum admiratione,

sed, & cum risu ab omnibus exciperetur, nec ita iudicare intellectualliter, sed potiùs fingere crederetur. Ergo quia ex ipso naturæ lumine, cunctis mortalibus insita est repugnantia talis iudicii.

98. Respondent ex Terillo Recentiores, repugnare absolute talem affirmationem; nam qui sic loqueretur, assentiretur jam sententiæ negativæ: nemo verò affirmare potest, sententiam, cui jam præstitit assensum, esse minùs probabilem, quàm oppositam: quia, licèt apparentia veritatis minor fuerit pro ea parte, antecedenter ad assensum, consequenter tamen ad ipsum major est absolute juxta dicta Art. 7. Quare, si sermo sit de apparentia dumtaxat antecedenti, haud repugnare dicunt, ut quis ita loquatur; quia facilè contingere potest, & frequenter etiam, continget, ut assensum quis præbeat parti contradictionis, quæ pro priori ad ipsum assensum minùs probabilis apparebat.

99. Verumtamen apparentiam omnem, quæ non præcedit ipsum assensum, de materiali omnino se habere ad possibilitatem ipsius, satis constat ex dictis eo in loco; quia non aliter potest ullo modo conducere, ad præferendam unam partem alteri, nec movere intellectum ad assentiendum, ut patet in objecto voluntatis, & alterius cujlibet potentia.

100. Fateor, assensum ipsum semel præstitum, nec non affectum liberum voluntatis multùm sæpè conducere, ut motivum præcedens appareat postea majus, non quia affectus ipse, aut assensus, per se, & formaliter inferre possint majorem veritatis apparentiam; sed causaliter tantùm, & illativè; quia ex illa inclinatione, & approbatione, tam intellectus, quàm voluntatis, utraque rationalis potentia afficitur erga illud objectum, ex qua affectione fieri solet, ut intellectus attentionem avertat ab extremo, quod repudiavit, & ut multò studiosius applicet se

se ad considerandum attentius illud extremum, cui assensum præbuit, novum aliquid detegendo in ipso, vel id ipsum vividius cognoscendo: ex quo denique fiet, ut intellectus pro reliquis instantibus objecto illi multò firmitus adhæreat, multòque magis abhorreat ab opposito. Id quidem verum est, sed omninò importunum, & quod nihil prorsus conducatur in ordine ad præstandum primum assensum.

101. Quare, dum Recentiores nobis opponunt, seu dum reponunt ad nostrum argumentum, objectum, quod antecederet, & pro priori ad actuale assensum, apparebat minus probabile, per ipsum assensum actuale, sive consequenter ad ipsum, probabilius jam apparere, gratis omninò principium petunt, & terminos repugnantes connectunt. Hoc enim nos contendimus, & evincimus, repugnare videlicet assensum omnem tendentem circa objectum quodcumque, quod pro priori, & antecederet æquè, aut minus probabile apparebat.

102. Caterùm, prætermissa doctrina ista, adhibita Recentiorum solutio non satisfacit nostro argumento. Certè loquendo adhuc de apparentia ipsum assensum antecedenti, nemo unquam expertus est, nec publicè dicere audebit, se, omnibus inspectis, ac maturè consideratis, ut veram elegisse partem illam, pro qua minora reperit fundamenta, & quæ proinde minus verosimilis sibi apparet.

103. Supponamus alioqui, hominem illum publicè disputantem, celebrem aliquam controversiam (ut in Repetitionibus, aut Prælectionibus fieri solet) suspendere, uti potest, omnem intellectus assensum, donec utrinque expensis rationibus, sic tandem coram omnibus pronuntiat: usque modò intellectus meus nullā sententiam protulit de questione proposta: consideratis autē, ut vidistis, utriusque partis momentis, invenio, partem af-

firmativam gravioribus inniti, solidioribusque rationibus, vi quarum mihi apparet absolute verosimilior: in gratiam tamen Magistri mei partem oppositam veram censeo. Nemo unquam, ut reor, ita locutus est, neque citra pudorem talem sententiam proferre audebit. At unde precor pudor, si vera est Recentiorum sententia? Porro, si assensus ille foret possibilis, & prudens esse posset juxta ipsos, immò quandoque, omnibus consideratis, opposito quoque prudentior. Ideo ergo sic loqui nimis puderet hominem illum, quia videret à nemine fidem esse sibi adhibendam, sed mentiri potius, & fingere ab omnibus esse credendum. Est igitur omninò impossibilis præfatus intellectus assensus.

His rationibus puto, vera, & communis Philosophorum sententia satis ostensa, & stabilita, & (haud temere dixero) propriè, ac simpliciter demonstrata manet. Superest, ut solvamus argumenta, quæ Recentiores Probabilistæ contra illam subtiliter excogitarunt, & magno molimine urgent.

ARTICULUS X.

Solvitur primum argumentum contrarium ex multiplici testimonio Angelici Doctoris desumptum: ubi mens ejus accuratè expenditur, & pro nobis esse monstratur.

104. **O**pponunt nobis Recentiores primò in favorem suæ sententiæ multiplex D. Thomæ testimonium.

§. I.

Testimonia potissima ex D. Thomæ, quæ nobis adversari videantur.

IN primis S. Doctor agens de objectis opinabilibus, & de modo, quo se intellectus habet ad illa, sic loquitur: Sunt quedam apprehensa, quæ

S. Tho. 1. 2. q. 17. a. 6. corp.

non adeò convincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire; vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam: & in talibus assensus ipse, vel dissensus est in potestate nostra, & sub imperio cadit. Ubi Angelicus Doctor clarè videtur tribuere intellectui utranque indifferentiam ad opinandum, nempe, & quoad exercitium, & quoad speciem.

S. Tho. q.
14 de verit.
a. 1. corp.

105. Sed clariùs adhuc (inquit Terillus) loquitur S. Thomas, dum ait *Intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit assentire uni parti determinatè, & expressè propter aliquid, quod sufficiens est ad movendam voluntatem, non ad movendum intellectum; utpotè quod videtur bonum, & conveniens uni parti assentire. Quid expressius?*

S. Tho. 2. 2.
q. 2. a. 9. ad
2.

106. Præterea idem D. Angelicus, disputans de merito fidei, cum præmississet, objectum evidenter demonstratum necessitare ad assensum sui, subjungit continenter: *Et ideo assensus scientiæ non est meritorius; sed consideratio rei sciri subiacet libero arbitrio. Est enim in potestate hominis considerare, vel non considerare; & ideo consideratio scientiæ potest esse meritoria, si referatur ad finem charitatis, id est, ad honorem Dei, vel utilitatem proximi. Sed in fide utrunque subiacet libero arbitrio, & ideo quantum ad utrumque actus fidei potest esse meritorius.* Hactenus D. Thomas, cujus verba, ait Esparza, adeò perspicua sunt, ut qui illa voluerit interpretari, non is sincerè Angelicum Doctorè revereatur, sed genuflexus colaphizet. Mitto leviora alia, quæ ex D. Thoma depromi possent.

Espar. par.
2 a. 118.

¶ T. C. 1. I. I.

Elucidatur mens D. Thomæ.

107. **E**Am nimirum haud esse ambiguum, sed pro sententia nostra nimis apertam, liquidò

constat primò, quia in Commentario ad Textum de Anima supra à nobis relatum, & expensum, approbat Aristotelis sententiam, ac in eodem sensu locutus cæteris interpretibus consentit.

108. Secundò, quia, ubi querit, *Utrum voluntas moveatur ab intellectu?* cum tertio loco sibi objecisset, *Idem respectu ejusdem non est movens, & motum: sed voluntas movet intellectum; intelligimus enim quando volumus: ergo intellectus non movet voluntatem:* respondet: *Ad tertium dicendum, quod voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actus*

Sed quantum ad determinationem actus, quæ est ex parte objecti, intellectus movet voluntatem. Ecce Angelicus Doctor, cum objecisset sibi motionem voluntatis circa intellectum, tanquam impossibilem morioni, quam exercet juxta omnes ipse intellectus circa voluntatem, respondet, has motiones non esse impossibiles, quia *intellectus movet voluntatem quantum ad determinationem actus, hoc est, quoad ipsius speciem; voluntas verò movet intellectum quantum ad exercitium actus.* Manifestè ergo sentit, voluntatem non posse intellectum movere quoad speciem, ut rectè notat, & arguit ubi supra Cardinalis Pallavicinus; cur enim hanc motionem, quæ magis de se apparet impossibilis, non explicaret M. Angelicus, ubi ex professo exponendum fucipit, quonam pacto potentia illa invicem se se moveant, & qua ratione ipsarum motiones possint inter se coherere?

Pallavic.
adduct. supra
a. 3. nu.
37.

109. Profectò hoc argumentum, etsi negativum videatur, multò firmiorem pro sententia nostra mentem S. Doctoris mihi ostendit, quàm si conceptis verbis negasset motionem voluntatis in intellectum, quam adstruit contraria sententia; nam quòd illam non exprimat, nec meminert, ubi tam urgens aderat causa exprimendi, argumentum est planè certum, quòd D. Angelicus adeo

pu-

puravit certam, & exploratam repugnantiam talis motionis, ut nec in eius mentem de ipsa venerit dubitare, nec dubitandum cuiquam censuerit. Nec mirum, cum opinio memoratam motionem adstruens, ignota sit antiquis Doctoribus, & cum moderno Probabilismo nata, ut de principiis reliquis, quibus innitur, per Operis decursum notabimus, & luculenter quoque ostendemus.

110. Dices; voluntas secundum omnes movere quoad speciem potest intellectum, saltem mediatè, neque motionem istam censendus est D. Thomas negasse, ex eo quod signatè non expresse: ergo malè concludimus, ipsum negare motionem immediatam, ex eo quod signatè non exprimat. Opportunè!

Sed facilè respondetur, discrimen manifestum esse: quippe motio mediata immediatè, & per se, non differt à motione quoad exercitium, sed per accidens tantum, & mediatè; quia eatenus voluntas indirectè, & mediatè quoad speciem movere potest, quatenus potest immediatè, & per se, determinare quoad exercitium assensum intellectus opinativum, aut liberè ipsum suspendere; hinc enim indirectè consequitur, ut intellectus tandem convertatur ad assentiendum parti contrariæ: hanc igitur motionem exprimere non debuit S. Thomas. At verò motio illa immediata quoad speciem assensus, & dissensus, esset per se diversa à motione quoad exercitium, neque in ista contineretur. Non ergo potuit omittere illam, nisi repugnare censeret.

S. Tho. 1. 2.
q. 13. a. 6.
ad 3.

111. Tertiò, mens D. Thomæ colligitur quasi à fortiori ex eo, quod apertè supponat, voluntatem non posse eligere alterum ex duobus bonis æqualibus, nisi applicet intellectum ad inveniendam rationem aliquam, vi cuius absolutè præmineat alteri. Et, quod mirandum est, id ipsum docet Cajetanus ibidem expo-

nens, & amplectens, ut veram, S. Doctoris suppositionem. Qua tamen consequentia, viderit ipse; æquis enim concedat intellectui veram indifferentiam ad opinandum inter æqualia, immò abique aliquo fundamento, quam Cajetanus ipsi concedit, si neget voluntati similem potestatem ad eligendum?

112. Quartò, D. Angelicus ubi nobis objectus à Terillo, omnem de mente sua dubitandi occasionem, præcidisse planè constabit, si legantur attentè, quæ antè producta verba præmiserat. *Quandoque enim* (inquit) *non inclinatur magis (intellectus) ad unum, quàm ad aliud, vel propter defectum morientium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utranque partem, & ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque verò intellectus inclinatur magis ad unum, quàm ad alterum: sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet ipsum in unam partem totaliter: unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita, & hæc est dispositio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Hæc D. Angelicus quæ certè Commentario non egent.

S. Tho. 1. 2.
q. 14. de verit.
a. 1. corp.

113. Quintò demum (ut alia prætereamus) sententiam nostram D. Angelicus indubitatè tradit in Commentario ad textum Philosophi superiùs allegatum ex 3. Met. c. 1. ubi cum eodem Philosopho affirmat, intellectum ob conflictum rationum utrinque militantium, dubitare de utraque contradictionis parte: utique necessariò; quia intellectum sic dubitantem comparat etiam homini vinculo corporali ligato, qui progredi ulterius non potest, donec vinculum dissolvatur: ad solutionem autem vinculi intellectualis quid sit necessarium, exponens: *Et ideo* (inquit) *sicut ille qui*

vult solvere vinculum corporale, oportet, quod prius inspiciat vinculum, & modum ligationis, ita ille, qui vult solvere dubitationem, oportet, quod prius speculetur omnes difficultates, & earum causas. Ergo non potest solvere precise per liberum voluntatis imperium, sed necessarium omnino est quærere, & invenire novas rationes, quibus pars altera alteri præmineat, ut possit intellectus per determinatum assensum in partem præminentem declinare. Docet igitur clarè D. Thomas nostram, atque communem, & reprobatur Recentiorum sententiam.

Hæc, si sincerè considerentur, satis manifestè, ut existimo, mentem S. Doctoris nobis ostendunt. His verò capitonibus, qui obfirmato iudicio, quidquid sibi opponatur auctoritatis, interpretari fixa sententia est, frustra testimonia multiplices, etiam luce ipsa clariora. Sed nos ostendere veritatem promissimus, non verò inflexibilia iudicia flectere.

§. III.

Ad testimonia opposita.

114. **E**X his ergo adeò claris D. Angelici testimoniis facile colligere sit verum sensum eorum, quæ nobis adversari videntur; re tamen ipsa, si rectè intelligantur, mentem S. Doctoris magis illustrent, & pro nobis stare manifestant.

Ad primum itaque dicendum, est, non loqui D. Thomam de assentiendi, vel dissentendi potestate directa, & immediata in ordine ad utrumque extremum, & eadem omnino permanente apparentia objecti; sic enim sibi apertè contradiceret; sed de potestate immediata respectu unius actus, & mediata respectu alterius: quia, dum objectum per motiva assentiendi non est evidenter propositum, facile potest liberè voluntas avertere intellectum ab illis, &

ipsum ad opposita convertendo, invenire rationes, quibus dissentiat: quo tandem sit ut eidem objecto possit absolute, & simpliciter, assentire, vel dissentire ex libero voluntatis imperio. Quod verò addidit S. Doctor, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere, ideo dixit, quia aliquando continget, ut novas intellectus rationes facile invenire non possit, quo casu solum poterit suspendere dissensum, vel assensum. Unde expositio data, validè confirmatur; quia in hypothese assumpta à D. Thoma, si intellectus haberet illam potentiam, quam falsò illi Recetiores attribuunt, semper præbere posset assensum, vel dissensum, & non quandoque tantum illum suspendere. Non ergo habet potentiam illam ex mente D. Angelici.

115. Sed dices ex Terillo, libertatem mediatam ad dissentiendum, dari etiam respectu objecti clarè, & evidenter propositi: & tamen D. Thomas non docet, assensum evidentem esse liberum quoad speciem; immò expressè docet oppositum: ergo, dum talem libertatem statuit circa assensum opinativum, intelligi non debet de libertate tantum mediata, sed etiam de immediata, ac directa.

Respondéo, libertatem illà esse valde remotam, & quā non nisi rarè contingat exerceri; tum quia voluntas nequit suspendere immediatè assensum evidentem; tum quia, licet suspendat indirectè, divertendo intellectum ad alia objecta, non ita facile aboleretur species objecti semel evidenter cogniti: quare non nisi rerum mutatione, non modica, & temporis mora interjectis, tandem aliquando continget, ut intellectus possit falsum putare, quod semel censuit evidenter verum. Hanc ergò libertatē, usque adeò remotam, ac infrequentem, non debuit D. Thomas considerare. At verò circa objecta opinabilia libertas assentiendi, vel dissentendi, quamvis non immediata, facile solet, frequenterque exerceri: qua-

Terill. r.p.
de Regu.
mo. q. 36. n.
10.

quare non debuit illam S. Doctor omittere, dum expressus sermo incidebat de potestate nostri intellectus ad assentiendum, vel dissentiendum in ordine ad huiusmodi objecta; sicuti non omisit in eodem articulo recensere libertatem quoad exercitium, etiam circa demonstrabilia, quæ non prorsus infrequens est, quamvis non immediata sit, sed indirecta, ac mediata tantum.

116. Replicabis: nos suprà arguebamus, intellectum non posse immediate moveri quoad speciem, à voluntate, quia ejusmodi motionem signatè D. Thomas non expressit. Cum autem urgeremur, quia neque motionem mediatam, quoad speciem expressit S. Doctor, quin tamen inde liceat arguere illam intendisse negare: reponebamus, motionem istam virtute contineri in motionem quoad exercitium, à qua immediate, ac per se non differt, ideoque non debuisse à D. Thoma considerari. Cur ergò modò S. Doctorem, dum potentiam statuit intellectus ad assentiendum, vel dissentiendum, exponimus de potentia mediata, saltem respectu alterius extremi? Hæc profectò non satis coherere sibi videntur.

Resp. nihil esse implicationis, nec in D. Thomæ doctrina, neque in nostris expositionibus. Porro in priori loco rectè concludimus, Angelicum Doct. negasse universalitèr motionem immediatam quoad speciem, quia nec expressit illam in se ipsa, nec item in aliquo alio, in quo contineatur virtualiter, cum tamen, si daretur, non debuisset illam omittere, dum ageret de repugnantia aut coherencia mutua motionis intellectus, & voluntatis. Ex eo verò, quòd motionem mediatam signatè non expresserit, non est censendus illam negasse, quia motio ista virtualiter continetur in motionem, quoad exercitium, quam conceptis verbis expressit.

Jam verò in hoc posteriori lo-

co potentiam intellectus ad assentiendum, vel dissentiendum, quam D. Thomas asserit, rectè exponimus de potentia mediata, & indirecta, saltem ex parte alterius extremi; tum quia non aliter verba S. Doctoris, verum sensum habere possunt; tum quia intellectus habet reverà prædictam potentiam mediatam, quam non infrequenter exercet: unde quamvis potuerit S. Doctor illam omittere, utpotè præcontentam in potestate quoad exercitium, verè tamen potuit, & voluit illam etiam in se significare: & quidem opportunè, ut distinctiùs innueret, quid intellectus absolute possit circa objecta non evidentia. In his verò quid implicantia? Planè nihil, si rectis oculis aspiciantur.

117. Secundum D. Thomæ testimonium clariùs adhuc apparet intelligendum esse de motione immediata solum quoad exercitium, ad quod nullum objectum non propositum evidenter sufficit intellectum, determinare, & ideo ad auferendā indifferentiam, ac suspensionem, tum objecti, tum intellectus, requiritur imperium voluntatis liberè decernentis ex aliquo motivo sibi proprio, ut intellectus uni parti assentiatur. Caterùm, quòd non possit ipsum determinare ex mète D. Thomæ, nisi in partem præponderantè, & quæ ex se magis intellectum inclinet, constat apertè ex verbis ipsius, quæ in eodem loco præmiserat, & transcripsimus §. præcedenti.

118. Ad tertium denique testimonium dicimus, ipsum continere doctrinam optimam quidem, atque verissimam, sed nulla ex parte nostræ contrariam. Enim verò in quocumque assensu, sive evidenti, sive opinativo, duo possunt considerari, nempe attentio intellectus, sive applicatio actualis ad considerandas rationes, quibus moveri possit ad assentiendum, & præterea ipsa actualis determinatio, sive actuale exercitium assentiendi. Ait ergò D. Thomas,

mas, primum, hoc est, actualem intellectus applicationem, sub libertatem cadere, etiam quando evidenter proponitur objectum, quia libere potest voluntas (ut plurimum, ac per se loquendo) intellectum divertere, vel applicare ad dictam considerationem; quæ proinde, si fiat ex aliquo honesto motivo, honesta & ipsa erit, ac meritoria: ipsum verò exercitium assentiendi nullo modo esse liberum ex prædicta suppositione, quia objectum sic propositum intellectum necessitat ad assensum.

119. Cæterum quando objectum non evidenter, sed obscure proponitur, ut in objecto fidei contingit, tunc aut, etiam ipsum assentiendi exercitium liberum esse, atque meritorium, quia adhuc ex suppositione considerationis actualis, intellectus manet indifferens ad assentiendum, vel non assentiendum, adeoque potest libere à voluntate determinari ad ipsum actualem assensum contra propriam inclinationem, & conatum ipsius intellectus semper ex se tendentis, atque conantis ad quaerendam notitiam evidentem objecti, per quam ipsius appetitus satiatur.

120. Et hæc est intellectus captivitas in obsequium fidei Divinæ, quæ nobis commendat Apostolus: quod nimirum voluntas pie affecta erga Deum, & adjuta gratiâ divinâ, obliget intellectum, & quodammodo cogat, ut nihil ultra quærat, sed solo Dei testimonio contentus sit, & eidem actu assentiatur propter divinam auctoritatem, non firmiter utcumque, verum multò firmitus, ac certius, quàm si evidenter ipsum cognosceret. Hæc est propria libertas assensus fidei, videlicet quoad exercitium, ex qua sequitur alia indirecte, ac mediate libertas quoad speciem, juxta superius dicta, & juxta inferius etiam dicenda in solutione tertii argumenti.

In hac verò doctrina D. Thomæ quid precor invenitur nostræ contrarium, ob quod nobis necessum

sit, vel D. Angelicum palam negare, vel ipsum *non sincere revereri, sed genuflexos colaphizare*? Utinam Recentiores Probabilistæ sic D. Thomam ubique revererantur, non de genu dumtaxat, sed de mente! Profectò non auderent in controversia nostra præcipua, totiusque moralis Theologiæ gravissima, ac momentosissima, vel aperte deferere summum, atque communem Theologiæ Scholæ Magistrum (quod aliqui ipsorum non timent), vel mentem ejus nimium perspicuam inani quadam interpretatione deludere, (quod alii non verentur), meâ quidem sententiâ, multò magis irreverenter.

ARTICULUS XI.

Solvitur argumentum secundum ex epistola de Obedientiæ virtute Sanctissimi Parentis N. Ignatii.

121. **S**ecundò opponunt adversarii nobis auctoritatem maximam quidem omnibus, sed nobis specialiter venerandam SS. N. Parentis, in divina illa epistola de obedientiæ virtute ad filios suos Patres Lusitanos nostri Collegii Conimbricensis, quod Regiâ tunc munificentia erectum maximâ jam virtutum, & scientiarum laude florebat. In hac autem epistola S. Pater agens de perfectissimo, atque supremo obedientiæ gradu, cum præmisisset nu. 9. debere subditum non voluntatem tantum, sed etiam intellectum, Deo immolare, conformando iudicium suum cum sui Superioris iudicio: ut hoc esse possibile demonstret, rationem philosophicam subjungit, nempe, quod *Intellectus multis in rebus, in quibus videlicet cognita veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potius, quàm in illam partem inclinari.* Quid clarius dici potuit?

122. Quod si fortè respondeas, assertionem S. Parentis intelligentiam esse, non de indifferentia immediata-

diata ad assentiendum huic, vel illi parti, sed de mediata tantum, ac indirecta, quatenus intellectus potest, & debet moveri à voluntate ad quærendas novas rationes, ut se conformet Superioris iudicio: contra insurgit ingeniosus Recentior (qui sic in Philosophia se respondisse dicit, ubi sententiam nostram docuerat, quam solemniter hic retractat): contra, inquam, insurgit; nam hæc solutio est planè contra mentem, & legitimum sensum S. Patris. Sanè intellectum posse modo dicto inclinari in hanc partem minus probabilem, potiùs quàm in partem oppositam, non est posse inclinari voluntatis imperio, aut pondere, quod S. P. N. affirmat, sed inclinari posse prævalentiâ: ipsoque pondere motivorum noviter aliunde advenientium. Ita ille, qui idcirco magni facit hoc argumentum, sicut & alii plures, præsertim verò P. Esparza.

Espar. par.
22. 120.

123. Resp. tamen absque omni formidine, aut respicientiâ timore, mentem N. S. Parentis esse quàm alienissimam ab ea, quam refellimus Recentiorum sententia. Enim verò, si sensus productorum verborum nõ foret adeò naturalis, ac planus, nec Pater ipse Sanctus tot, & tam clara nobis argumenta præberet, quibus sententia ipsius clarissima nobis reddatur, adhuc intelligentiâ Recentiorum acquiescendum nobis non esset, sed totis potiùs viribus conntendendum, ut qualibet interpretatione non penitus inverisimili, quamvis ad speciem duriori, verba S. Parentis in nostram, & communem sententiam traheremus.

124. Quidni verò? An ne nos æquum reputemus, aut decens, quod S. N. Parens, abjectâ communissimâ antiquorum Philosophorum, & Doctorum omnium sententiâ, doctrinam verè auream, verè coelestem, per quàm summam prudentiâ, & obedientiâ perfectionem ingerit, & in qua nihil dubium, nihil non solidissimum reperias, adstructam, ac

innixam esse voluerit opinioni non tantum singulari, verum, quam vix tunc aliquis, aut ne vix quidem aliquis docuerat? Præclaram fanè laudem quæreremus eximio nostro perfectionis Magistro.

125. Utique voluntatem eligere, aut imperare intellectui nostro assensum partis minus probabilis, ut minimum est infimus prudentiæ gradus, id fatente Terillo per hæc verba, *Imperare, consulere, atque amplecti medium minus probabiliter illativum finis intenti* (nimirum assequendæ veritatis) *est infimus gradus prudentiæ, cum quidquid infra illum est, manifestam contineat temeritatem, & imprudentiam.* Et tamen nos non pudeat, vel cogitare, S. Parentem N. celestem Religiosæ perfectionis Doctorem, hanc nos viam docuisse, dum ad summum nos duceret prudentiæ apicem, supremamque obedientiæ perfectionem?

Terill. q.
10. de cõf.
n. 18.

126. Mens ergo Beatissimi N. Parentis nihil differt à vera, & communi sententia, ac ne leviter quidem sententiam Recentiorum insinuat. Porro in sententia nostra verum est absolute, in rebus incertis, ac dubiis posse intellectum voluntatis pondere in hanc, vel illam partem inclinari: non quidem quia assentiri proximè possit parti, quæ minus sibi, aut æquè verosimilis appareat, sed quia voluntas potest pro sua libertate, & dominio, quod in intellectum exercet, ipsum convertere, & applicare ad quærendas novas rationes, quibus pars eadem, quæ antecederet minus ei verosimilis apparebat, appareat absolute verosimilior, adeoque simpliciter vera, & enuntiabilis ab ipso intellectu. Hunc, & non alium sensum verba S. Patris habere, argumentis perspicuis monstrari potest, quæ leviter delibare sufficiat, ut nullus maneat, vel dubitandi locus.

127. Primò: quia S. Parens supponit, & expressè etiam affirmat, quod est certissimum apud omnes, videlicet *intellectus assensum ipsa na-*

tu-

rura ferri in id, quod sibi veri speciem præbet: pars autem, quæ intellectui ut minùs verosimilis proponitur, in conspectu partis oppositæ, & verosimilioris, non præbet absolutè veri speciem, sed magis præbet speciem falsi, vel, si sit æquè tantum verosimilis, non magis veri speciem, quàm falsi præbet. Non ergo potest proximè, & immediatè intellectus in illam ferri.

128. Secundò: motivum, & finem, ex quo S. Parens movetur ad doctrinam illam tradendam, & ex quo filios suos movere etiam intendit, ut in rebus incertis iudicium suum cõformet cum sui Superioris iudicio, exprimit ipse nu. 11. discretissimè per hæc verba, *Jam vero, si finis, & causa obedientia spectetur, quemadmodum voluntas, ita & iudicium, in eo, quod nobis convenit, decipi potest. Ergo, sicuti, ne voluntas erret, cum Superioris voluntate coniungitur; sic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda est. Ad assequendum autem hunc finem quis dicat esse utilem, doctrinam de intellectus indifferentia ad assentiendum proximè parti minùs probabili, aut ejusmodi assensum esse opportunum medium, quod nimirum ex se potius infert finem oppositum?*

129. Sanè, qui objectum aliquod æquè, vel minùs sibi verosimile priori ad ejus assensum, ultrò, ac scilicet eligit, & opinatur, non potest non videre, & rogatus etiam fatebitur, verosimilius esse, aut saltem æquè sibi verosimile, se per assensum ejus objecti re ipsa falsum iri, & finem veritatis non obtenturum; quod ex ipsa acceptione terminorum evidens debet esse apud omnes. Deviam igitur viam docuisset S. Pater, & medium consulisset ineptissimum ad finem erroris vitandi, quem sibi, & nobis ibi præfigit, si sensum Recentiorum præferret ejus assertio, & non potius antiquam, & veram sententiam teneret.

130. Denique, si Romam petenti hujusmodi consilium quis præbeat: *quoties in bivio te constitutum invenias, perplexumque de via tenenda, ut non aberres à recta via, illam arripito, quam inspectis omnibus, verosimilius appareat tibi non esse rectam viam, sed obliquam, & quæ à Roma potius avertat. Peto te, quid censes de ejusmodi consilio? An consiliarium illum prudentem judicares, an stolidum potius, atque delirum? Et volunt Recentiores, ut credamus, S. N. Parentem Dei spiritu plenum, & summum prudentiæ Magistrum, simillimum consilium, immò penitus idem, nobis præbere, ut in rebus incertis non fallamur, nec aberremus à via salutis? Profectò nimis carò Recentioribus cõstat recedere à sententia communi, ut nunquam deferant Theologiam benignam.*

131. Tertiò demum: viam, & modum, quo voluntatis pondere possumus, ac debemus inclinare intellectum nostrum, ut sequatur iudicium Superioris, illi se conformando per actuale assensum, quod S. Pater suadet illo nu. 9. *Ut non solum idem velit, sed etiam, ut idem sentiat, quod Superior, ejusque iudicio subiciat suum, quoad potest devota voluntas intelligentiam inflectere: modum, inquam, & viam, quam tenere debemus, ut finem hunc propositum assequamur, sapienter, ac distinctè ipse nobis ostendit à nu. 16. tria suggerens media opportunissima, & efficacissima, quibus possumus facillè iudicium nostrum flectere, & Superioris iudicio subicere.*

123. Primum, *ut in persona Superioris non intueamur hominem obnoxium erroribus, atque miseriis: sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui, nec decipi potest, nec nos vult ipse decipere. Secundum, ut, quod Superior mandat, ac sentit, defendere semper apud animos nostros studiosè nitamur, variis ad hoc questis rationibus: sic enim habet autographum*

Hispanum. Tertium denique, Ut nobiscum statuamus, quidquid Superior precipit, ipsius Dei preceptum esse, & voluntatem. Uide precor, quam sit alienum à mente S. N. Parentis docere, vel consulere subjectionem iudicii per immediatum, ac proximum assensum partis aequè, aut minus probabilis. An non potius rationes ipse offert, & quærendas nobis suadet, quibus pars illa, quam amplecti debemus, non jam magis probabilis, sed valde certa nobis appareat, saltem ut plurimum, ac per se loquendo?

133. Et verò mirum foret, si Magnus noster obedientiæ Magister viam obediendi doceret adedò à veritate aberrantem, ut per minus verosimilia veritatem ipsam inquirere, aut potius declinare iuberet. An non liceret nobis cum Bernardo exclamare, *O odiosa perversitas! Obedientiæ virtus, quæ semper militat veritati, adversus veritatem accingitur?* Sed verò de obedientia, & de doctrina, quam circa illam tradit S. P. N. Ignatius, uberius est à nobis in secunda parte dicendum, ubi ex hoc etiam capite facillè demonstrabimus, quantum deficiat benigna Theologia à veræ Theologiæ principiis. Nunc ad præsens propositum dicta sufficiant.

ARTICULUS XII.

Solvitur argumentum tertium ex libertate assensus divinæ fidei.

134. **H**inc Terillus, Esparza, & alii Recentiores ex ipsis fortissimum, ut autumant, contrasententiam nostram argumentum depromunt, quod ita Terillus efformat.

§. I.

Argumentum proponitur ex Terillo.

Assensus fidei supernaturalis liber est, juxta omnes, alioquin non foret meritorius, quod Catholicè nequit dici. At non solum est liber libertate contradictionis, sive quoad exercitium, quia potest intellectus non assentiri mysteriis revelatis; sed etiam libertate contrarietatis, seu quoad speciem, & quia intellectus potest dissentire fidei mysteriis, & contrariis erroribus assentire. Ergo assensus opinativus poterit esse liber quoad speciem, adedòque poterit intellectus ex libero voluntatis imperio parti minus probabili assentiri. Consequentia infallibilis videtur; tum, quia nulla motiva hæresum, vel errorum fidei oppositorum, tantæ apparentiæ sunt relatè ad motiva credendi, quantæ est motivum minus probabile relatè ad probabilius sibi oppositum; tum, quia alioquin (inquit Terillus) nemo peccare posset hæresis peccato formali; quia nemo peccat peccato hæresis, quin immò neque agit imprudenter, ob assensum erroneum, quandiu mysteria fidei non proponuntur cum majori verosimilitudine. Porro, *Qui credit citò, levis corde est*, ut dixit Ecclesiasticus cap. 19.

135. Minor ergo, quæ sola probationem desiderat, probatur primò ex D. Angelico 2. 2. q. 1. a. 4. corp. agente; *Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntariè declinans in unam partem, magis quam in aliam. Et si quidem hoc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio. Si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides.* Id ipsum docet q. 2. a. 1. ad 3. *Intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem, sed per voluntatem, & ideo assensus*

K hic

Bern. epif.
v. propius
ad h. quàm
ad med.

Terill. de
conf. pro-
ba. q. 9. al-
sert. 1. à n.
4.

Terill. de
dem n. 11.

Eccle. 19.

D. Tho.

hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod à voluntate determinatur ad unum. Ad unum verò determinari, est determinari ad speciem, & reipsa, & in phrasi D. Thomæ. Cujus sententiam de libertate fidei, etiam quoad specificationem, non solum docet P. Suarez, sed etiam adeò certam existimat (inquit Terillus), ut ne unum quidem Auctorem, nec ullam pro parte contraria asserat dubitandi rationem. Immo esse reipsa communem Theologorum sententiam, & sibi omninò certam, affirmat P. Aloisius Turrianus apud Esparzam id ipsum affirmantem.

P. Sua. d. 6.
de fid. l. 6.
n. 3.

Terill. ibi.
n. 4.

Turria. d.
29. de fid.
du. 1.

Espar. par.
2. a. 118.

136. Probatur iterum eadem. Minor: quia propositis sufficienter mysteriis fidei coram pluribus auditoribus, possunt aliqui credere, alii verò assensum suspendere, alii autem suis erroribus pertinaciter adherere, ut Apostolo Athenis prædicante, de facto contigisse narratur Acto. c. 17. Cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, et pertinaciter dissentientes: Quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum, ecce suspendentes assensum: Quidam verò viri adherentes ei crediderunt, ecce veritati assentientes. Poterant ergo isti dissentire, sicut & alii, vel assensum suspendere, & vice versa, adeòque, tam assensus, quam dissensus, liber erat in omnibus quoad exercitium, & quoad speciem.

137. Confirmatur primò: qui propter argumenta in contrarium opposita actu oppugnatur, atque tentatur de fide alicujus mysterii, et si majori cum difficultate, potest adhuc liberè credere, alioqui non peccabit, si non credat. At major illa difficultas credendi non oritur aliunde, quam ex possibilitate contrarii dissensus: ergo quia potest homo sic tentatus liberè dissentire, si velit: ergo assensus in eo casu liber est, etiam quoad speciem.

138. Confirmatur secundò: dum

intellectus in præfata hypothese assentitur mysterio revelato, sic assentitur, ut absolute possit, si velit, assensum suspendere, alioquin assensus liber non esset, neque quoad exercitium: ergo & potest, si velit, dissentire, sive assentiri errori contrario. Probatur consequentia: quia magis est violentum intellectui suspendere omne judicium, quam assentiri parti minùs probabili; in hoc enim non, nisi unicam; in illo verò, duplicem violentiam patitur. At intellectus magis abhorret, adeòque minùs obedit voluntati circa id, quod est sibi magis violentum: ergo, si potest in hypothese facta voluntas intellectum cogere ad suspendendum omnem assensum, multò faciliùs poterit ipsum flectere, ut assentiatui cuilibet contradictionis parti, adeòque liber erit assensus utroque genere libertatis. Ita Terillus totidem panè verbis,

§. II.

Propositi argumenti inefficacia multipliciter demonstratur.

139. Sane argumentum istud, quod apud Recentiores magni habetur, quodque Esparza convincens, Terillus autem vocat efficacissimum, non modò non est efficax, aut convincens, sed potiùs adeò inefficax, & importunum ad propositum Recentiorum, ut sit non parva admiratione dignum, quod ab hominibus ingeniosis, ac doctis, contra sententiam nostram opponatur; immò quod in eorum mentem ascenderit.

Et primùm quidem Terillus, & Esparza, qui sunt præcipui illius Auctores, nescio qua consequentia possint illud nobis objicere. Porro uterque, ut notavimus superius, conceptis verbis docet, potentiam intellectus (utique proximam) ad assentiendum, vel dissentiendum, coherere non posse cum judicio, quo quis signatè credit æqualitatem motivorum; & à fortiori potentiam dif-

Art. 3. à nu.
80.

disfentiendi cum iudicio, quo credit, motiva assensus præponderare; quod esse evidens absolute, & re ipsa, ex eodem Terillo nos ibidem ostendimus. Aliunde uterque tenet cum communi sententia, mysteria fidei nostræ sufficienter proposita, esse, evidenter credibilia supra omnes oppositos errores, quod proinde non potest intellectus non iudicare pro priori ad assensum fidei, idque Terillus ipse diserte affirmat, ut vidimus in eodem loco. Qua ergo consequentia nobis opponunt, posse intellectum proximè, & immediatè mysteriis fidei sufficienter propositis assentiri, vel dissentire?

140. Deinde, si non aliter salvari potest, aut explicari, libertas nostra necessaria ad meritum fidei, quàm, ut nostri adversarii exponunt; profectò, qui in eodem instanti non tentatur actu de fide, & cui errores contrarii actu non proponuntur, ut verosimiles, atque probabiles, sive ut absolute credibiles (utique proximè, ac immediatè), elicere non poterit fidei assensum salutarem, ac meritorem; quod certè nemo prudens, immò nemo Catholicus fateri audeat.

141. Præterea, non unius, vel alterius, sed plurium, graviumque Theologorum còstans sententia est, & mihi verissima, mysteria Religionis Christianæ non solum evidenter credibilia, sed etiam esse evidenter vera, non quidem in se ipsis, & evidentiâ, ut ajunt, intrinsecâ, sed extrinsecâ, & in attestante, quatenus argumentis luculentissimis, & nimis evidentibus, ostenditur, Deum esse ipsius Auctorem, ex quo evidenter etiam concluditur mysteriorum ipsorum veritas. Neque difficile explicatu est (quidquid aliqui refragentur), qua ratione evidentiâ hæc veram, & absolutam libertatem, adeoque fidei meritum non perimat. Sed his nunc immorandi locus non est.

142. Nam, quidquid de hoc sit, communis est Theologorum senten-

tia, omnem assensum fidei divinæ necessariò supponere assensum alium (seu naturalis sit, seu supernaturalis, quod nihil facit ad rem præsentem), quo mysterium credendum intellectus verum existimet. Et ratio est facilis, ac manifesta: quia pro priori ad omnem assensum fidei infusæ, ac supernaturalis, requiritur indispensabiliter, ut intellectus actu cognoscat, & quidem certò, ac sine formidine, existentiam divinæ revelationis. Porro hæc propositio, *assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus*, est 21. ab Innocentio XI. damnata, an. 1679. Id, quod per se ulterò patet, ut nulla sit probatione opus; quomodo nanque possum certò, ac sine formidine credere Deo loquenti, si nesciam, aut si dubitem, utrum Deus locutus sit? Hac verò certa cognitione supposita, adjuncto alio evidenti principio, quod nullus intellectus ignorat, *quidquid loquitur Deus, verum est*, intellectus omninò manet determinatus, etiam quoad exercitium, ex communi sententia Philosophorum, vel saltem quoad speciem (quod nobis sufficit) ad iudicandum, mysterium esse verum, & consequenter proximè, ac immediatè omninò impotens ad dissentiendum.

143. Videri de hoc potest inter alios P. Oviedo, qui traditam doctrinam merito jure statuit, tanquam certam, atque communem: ex qua per illationem legitimam deducit, assensum fidei supernaturalis nunquam posse esse liberum quoad speciem, proximè scilicet, ac immediatè, sed indirectè, & mediatè tantum, nisi fortasse in aliquo raro eventu intellectus dicatur posse suspendere memoratum assensum præviū, vel aliquam ex præmissis ejusdem; qui eventus utrum sit absolute possibilis, meritò subdubitat ipse. Certè discursus proximè factus absolutam eventus repugnantiam videtur ma-

Ovie. contr. 5. de fid. pu. 4. n. 58.

nifestè convincere. Vide ergo, quàm validum argumentum desumant cōtra nos Recentiores ex libertate fidei divinæ! Vide, quàm efficaciter nobis opponant auctoritatem D. Angelici, & Theologorum omnium certum, ac commune suffragium!

§. III. Argumenti solutio.

144. **A**D argumentum igitur resp. concessa Majori, negando Minorem in sēsu quæstionis præsentis, si nimirum procedat, uti debet, de potentia intellectus proxima, & immediata, ad dissentiendum fidei mysteriis. Ad primam probationem ductam ex testimoniis D. Angelici respondemus, mentem Doctoris Sancti esse nimis perspicuam, tum ex proximè dictis, tum ex dictis superius. Utrunque igitur testimonium accipi debet de potentia intellectus mediata, & indirecta, quam absolutè exercere potest ex libera electione voluntatis ipsum pro suo libitu applicantis ad considerationem motivorum unius partis, potius quàm alterius.

145. Sanè, quod hæc, & alia similia D. Thomæ verba, quatenus exprimunt, aut insinuant, libertatem assensus fidei, sive intellectus indifferentiam ad assentiendum, vel dissentiendum, intelligi non possint de indifferentia proxima, ac immediata in ordine ad utrumque extremum, vel ex eo fit evidens (omissis argumentis proximè factis), quòd intellectus proximè potens dissentire fidei mysteriis, seu (quòd eodem redit) oppositis erroribus assentiri, nulla ratione potest assentiri mysteriis revelatis firmiter, ac sine formidine: quomodo nanque poterit intellectus non formidare, neque timere deceptionis periculum, quando assensum præstat objecto, cujus oppositum in eodem instanti apparet ipsi, omnibus inspectis, adeò probabile, aut ve-

rosimile, ut possit illud proximè opinari, verumque absolutè censere? Cogitet prudens quisque apud se, an id appareat sibi possibile?

146. Unde deduces (quod est valde notandum), hæc, & alia hujus generis D. Angelici testimonia, communeque, ut aiebant, suffragium Theologorum ipsi S. Doctori de fidei libertate consentientium, non modò nō prodesse Recentioribus, verum etiam multum obesse, quippe quæ in ipsorum sententiam admodum efficaciter retorqueantur.

Ratio autem ex dictis in promptu est: nam si D. Angelicus, & reliqui Doctores cum ipso, quoties insinuant, vel affirmant expressè, assensum fidei nostræ liberum esse, etiam quoad specificationem, accipiendi non sint de indifferentia proxima, & directa ad assentiendum fidei mysteriis, sed de indirecta tantum, ac remota: ergo ubicumque affirmant, aut docent similem intellectus indifferentiam ad opinandum unum, vel alterum, alicujus contradictionis extremum, intelligi non debent de indifferentia proxima, & immediata comparative ad utrumque extremum, sed de immediata respectu unius, & mediata respectu alterius. Cur enim utrobique non accipiantur in eodem sensu, cum sit idem loquendi modus, & eadem utrobique ratio, ut Recentiores ipsi contendunt?

Atqui, dum S. Thomas, & ceteri Doctores cum ipso insinuant, aut affirmant libertatem assensus fidei, etiam quoad specificationem, seu, quod in idem recidit, intellectus indifferentiam ad assentiendum, vel dissentiendum mysteriis revelatis, intelligi non possunt in sensu, quem intendunt Recentiores, sed in sensu nostræ sententiæ, ut certis argumentis ostensum est. Ergo ubique, & universaliter in hoc eodem sensu sunt accipiendi, dum absolutè docent, aut proferunt similem intellectus indifferentiam ad opinandam quam-

Sup. a. 10.

quamlibet contradictionis partem. Igitur testimonia D. Thomæ, cæterorumque Theologorum pro libertate fidei divinæ, non adversariis profunt, sed nocent, & pro communi, ac nostra sententia militant.

147. Ad secundam Minoris probationem resp. ut ex eventu, quem narrat Historiographus facer, aliquid possent Recentiores concludere in favorem suæ sententiæ, opus erat ipsis probare, eos omnes, qui audierunt divinam illam prædicationem Apostoli, fuisse eodem modo dispositos, eandemque præstitisse attentionem, tandemque eodem modo apprehendisse mysteria exposita; alioqui quis neget, idem numero objectum materiale diverso modo cognitum, aut apprehensum, posse movere simul ad oppositos actus comparative ad plures intellectus. At id ex Scriptura minimè constat, neque probari potest aliunde, quam per divinam revelationem, quam Recentiores nunquam ostendunt.

148. Ad primam argumenti confirmationem resp. eum, qui actu oppugnatur, aut tentatur de fide, majori cum difficultate, cæteris paribus, assentiri mysteriis, quia rationes contrariæ distrahunt intellectum ipsius, illum urgentes, ac sollicitantes, ut eas actu examinet, & attendat; ex quo fit etiam, ut motiva credibilitatis fidei minorem vim, & efficaciam habeant ad movendum actu intellectum; Hinc verò minimè concludere licet, intellectum habere indifferentiam ad assentiendum, vel dissentiendum cuilibet parti contradictionis, nimirum proximam, aut immediatam, de qua in præsentia tota lis vertitur. Id, quod Terillus ipse diffiteri non potest, in eventu, quo judicet intellectus, motiva dissentiendi, verbi gratia, esse minora oppositis; tunc enim solum posset assentiri juxta Terillum, majori tamen cum difficultate, quam si nulla ab opposito urgerent motiva dissensus.

149. Ad secundam confirmationem, concessio Anteced. nego consequentiam. Ad cujus probationem nego Majorem, vel suppositum ejus: nam assentiri parti minùs probabili, seu, quod eodem redit, dissentire probabiliori in terminis præsentis controversiæ, non est intellectui violentum, sed prorsus impossibile, ut nos probamus. Rursus ex alio capite Terillus falsò, ac improprie loquitur; quia suspendere judicium omne circa objectum non evidenter, sed probabiliter tantum propositum, nullo modo violentum est, sed valde naturale intellectui, & juxta innatam inclinationem ipsius, naturaliter refugientis quodlibet deceptionis periculum. Et quidem alioqui nullo indigeret imperio positivo voluntatis ad assentiendum in ea hypothese, quod tamen falsum est juxta Terillum, & juxta omnes.

§. I V. Reflexio ad Terilli doctrinam.

150. Quàm sit inefficax argumentum, quod P. Terillus desumit ex libertate fidei divinæ, quodque appellat efficacissimum, tradita solutio demonstrat. Cæterum transmittenda non est, absque aliqua saltem reflexione, doctrina, quam statuit, ut opinionem suam concludat de indifferentia proxima intellectus ad assentiendum parti, etiam minùs probabili.

Nemo (inquit Terillus) peccat peccato hæresis propter assensum erroneum, quando mysteria fidei non proponuntur cum majori verisimilitudine, quam errores contrarii, nam qui cito credit, levis est corde. Rursus, per adversarios, nemo potest assentiri erroribus, nisi illi proponantur intellectui cum majori verisimilitudine, quam objecta opposita. At in sensu composito talis dispositionis nemo peccat peccato hæresis, qui objecto sic proposito assensum

Terill. ubi
sup. n. 11.

sum præbet; nam assensus ille omnibus hic, & nunc in utrinque partis favorem apparentibus ritè perpensis, prudens est, quia parti verisimiliori adhæret, quod prudentia est, non pertinacia, & hæresis. Ita ad verbum Terillus, qui tota illa prima assertione sæpius eandem doctrinam inculcat, tum, in hoc argumento de libertate fidei, tum insuper, in alio, quod ibidem desumit ex libertate temerè judicandi, articulo sequenti solvendum.

Hæc Terilli doctrina maximè consonat ei, quam refellimus controversia secunda, & utraque, ut existimo, ex eadem radice pullulat, nempe ex illo principio communijam, & in paucis charo Recentioribus Probabilistis, quo prætenditur, neminem peccare posse formaliter, ac imputabiliter absque malitiæ aliqua actuali cognitione, scrupulo, aut remorsu conscientiæ. Radicem hanc cum suis stolonibus in ultima parte, ut promissimus, Deo auspice, convellemus, & per totius Operis decursum multa, occasione data, contra illam dicturi sumus; est enim (ut compendio dixerimus) totius benignæ Theologiæ fulcimenta potissimum, aut unicum, sine quo stare Probabilismus non posset, ut luculenter postea monstrabimus. Interim verò brevem hic reflexionem, velut indicem dicendorum, in istam Terilli doctrinam, prætermittere non debuimus, ut opinionis etiam, quam nunc refellimus, falsitas manifestius appareat.

151. Quoniam igitur, ut Terillus statuit, nemo hæreticus peccat peccato hæresis ob assensum erroneum, quandiu mysteria fidei non proponuntur ipsi (nempe proximè, & actu) cum majori verosimilitudine, quàm errores contrarii; immò assensus, quem præbet suis erroribus, dum sibi apparent proximè, & actu verisimiliores, quàm mysteria fidei proposita, prudens est, & non hæresis, aut pertinaciæ, sed veræ prudentiæ adscribendus: quoniam, inquam,

hæc est resoluta ipsius assertio, fateri Terillus debet, hæreticum, aut infidelem, cui mysteria Fidei Catholicæ sufficienter proposita, & exposita propter nimiam suam superbiam, & adhæSIONem ad errores suos, non modò non apparent verisimiliora, sed neque digna, quæ considerentur, neque esse hæreticum, aut reprehensione dignum, neque peccare, aut imprudenter agere; eò quòd non assentiat, sed potius positivè dissentiat, immò execretur Christianam Religionem. Hæc, si benè attendatur, nò tam est evidens doctrinæ sequela, quàm ipsamet Terilli doctrina, inutilis alioqui futura ad concludendam suam sententiam. Porro in præfata hypothefi actu proponuntur errores, ut verisimiliores, immò etiam ut infallibiles, quibus, ut sic propositis, assentiri, hæreticum non esset, immò esse prorsus irreprehensibile, atque proprium prudentiæ opus, universaliter Terillus affirmat, & quidem admodum cōsequenter, ut possit aliquid contra nos concludere.

152. Sequelam verò ipsam nullus opinor Theologus admittet, aut tolerandam existimabit; quid enim aliud foret, quàm homines sceleratissimos, obæcatissimos, & obstinatissimos (qui plurimi hujus generis inveniuntur) sanos facere in sua insania, prudentes in sua dementia, & sapientes in stultitia sua? Profectò longè alius videtur semper fuisse Ecclesiæ Catholicæ sensus, quæ hujus generis homines eò severius execratur, ac punit, tanquàm hæreticos multò nequiores, quò magis ipsi exæcati sunt, suisque erroribus pertinaciùs addicti. Juxta Terilli verò doctrinam hi forent maximè irreprehensibiles, omniumque istius conditionis hominum innocentissimi, ac prudentissimi, quippe quibus pestifera dogmata sua certissima, atque compertissima, mysteria verò nostræ Religionis prorsus execranda videantur. Vide quò sit abductus per doctrinæ suæ sequelas Theologus

nimis eruditus, & pius

153. Accedit, quòd Terillus juxta principia sua id ipsum affirmare, consequenter teneatur, etiam dum error fidei oppositus, apparet verosimilis infideli, aut hæretico, quamvis veritas Religionis Catholicæ appareat ipsi verosimilior. Sanè, si nemo assentiens errori, qui verosimilior apparet, peccat, aut est imprudens, ut toties Terillus affirmat, nemo etiam peccabit, dum assentit errori, qui apparet absolute verosimilior; quia secundum Terillum, & Recentiores non solum assentiri parti probabiliori, aut verosimiliori, prudentia est, & omni culpa vacat, sed etiam assentiri parti minus probabili, minusque verosimili, dummodò verè sit verosimilis, & probabilis. Possè autem errores fidei contrarios apparere absolute probabiles, ac verosimiles, quomodo negabit Terillus, quandoquidem supponit, & affirmat expressè possè apparere, etiam probabiliores, ac verosimiliores, etiam ei, cui mysteria Religionis Catholicæ sufficienter sunt prædicata?

154. Modò sic nobis licet inferre: igitur infidelis, qui non assentit veritati Catholicæ, sed illi potius positivè dissentit, quandiu error contrarius verosimilis sibi apparet, etsi minus, quam veritas Catholica, non solum excusabitur ab infidelitate, sed etiam ab omni imprudentia. Quæ sequela infallibilis, & evidens omnino est; cum tamen consequens quartum articulum ab Innocentio XI. damnatum, & aliquid absurdius contineat. Porro articulus ille sic habebat, *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili*: ampliùs autem est, procul dubio ab omni imprudentia excusari.

Hæc modò cursim adnotasse, sufficiat, ut Lector faciliè præcognoscat, & adnotet, cujus naturæ sit radix illa, quæ germina talia producit.

ARTICULUS XIII.

Solvitur agumentum quartum ex libertate temerè judicandi.

155. **E**X hoc capite etiam Recentiores validissimè, ut judicant, contra nostram sententiam arguunt.

§. I.

Argumentum proponitur.

NEmpè, qui temerè judicat proximum, ideò imprudenter, & injustè agit, quia liberè opinatur, & credit objectum, pro quo habet leviora fundamenta, aut saltem non graviora, quam pro contrario; tum, quia si fundamenta ad opinandum malum de proximo graviora forent fundamentis contrariis, non peccaret opinans, vel imprudenter non judicaret, attento saltem fundamento intrinseco; tum, quia obviis exemplis, & frequenti experientia constat: nam verbi gratia maritus zelotypus sæpè judicat malè de uxore sua ob levissimum aliquod indicium, vel apparentem tantum conjecturam, neque judicium temerarium deponit, quamvis, & uxor ipsa, & alii viri graves ostendant quasi ad oculum levitatem arrepti fundamenti, & argumenta proferant multò graviora pro innocentia ipsius uxoris: id ipsum patet etiam in Patrefamilias avaro temerè judicante de famulis, aut filiis: in inimico, & aliis innumeris. Evidens ergo est, possè intellectum flecti pro solo libitu voluntatis ad opinandum partem, etiam minus sibi probabilem antecedenter ad actualem assensum.

156. Quòd si dicas, judicium ideò esse injustum, ac temerarium, quia voluntas ex aliqua passione; aut inordinatà affectione præcipitat sententiam intellectus, neque finit, illum attendere, & ponderare fun-

da-

damenta contraria:

Contra insurgit Terillus: nam sæpè homo temere judicans, audit, & ponderat rationes contrarias, sæpè ipsi nolenti occurrunt, sæpè illarum memoria, utpotè recens expositarum, est penitus inimpedibilis: & tamen intellectus ipsius adhuc persistit in iudicio concepto.

Contrà secundò: quia juxtà solutionis doctrinam iudicium illud non foret temerarium intrinsecè, & per se, sed extrinsecè tantum, & per accidens, quatenus, licèt sit per se prudens, atque probabile, nihilominus prohiberi potest, donec aliqua peculiaris in contrarium examinentur, estò illorum examen necessarium non sit ad ferendum iudicium prudens intrinsecè, & naturà suà probabile. At argumentum factum procedit de iudicio, etiam per se, & intrinsecè temerario, & contra validissimas rationes, fortioraque argumenta in contrarium: ergo solutio adhibita non evacuat, immò nec tangit ejus difficultatem. Ita patet ad verbum Terillus.

Terill. dist. q. 9. n. 12. 13. & 16.

§. I I.

*Argumentum propositum innu-
mera, & ingentia probat
absurda.*

157. **H**oc argumentum, sicut præcedens, vel importunum est, vel nimium probat, atque adeò absolute nihil probat.

Porro, nisi contendat generaliter, neminem aliquando imprudenter, ac temere judicare, nisi qui opinatur objectum ex fundamentis proximè sibi levioribus, aut saltem non gravioribus fundamentis contrariis, inane proculdubio, & importunum argumentum est; nam si aliquando potest iudicium esse imprudens, ac temerarium, quantumvis concipiatur ex fundamentis proximè judicanti gravioribus, certè tota jam deficit argumenti efficacia,

neque ex indifferètia ad judicandum temerè, & injustè de proximo, concludi quidquam potest legitimè in favorem sententiæ Recentiorum.

Si verò generaliter Terillus velit (ut velle re ipsa videtur, & tenetur, ut diximus, si importunè non loquitur), nullum esse iudicium per se, & intrinsecè temerarium, imprudens, aut injustum respectu proximi, si concipiatur ex fundamentis proximè verosimilioribus, & ipsi judicanti gravioribus; ab omni veri specie argumentum exorbitat, immò ab omni sana doctrina, cum infinita probet absurda à nullo vero Theologo toleranda.

158. Quidni verò? An non temerè, & injustissimè judicaret per se, & seclusa qualibet particulari lege, qui propter propriam suam animi levitatem, aut vehementem aliquam passionem vulgaria quæque, & obvia undecumque prolata indicia, sine aliquo examine susceperet, & ex illis optimum quemque firmiter apud se, & inhaesitanter damnaret? Numquid iudicia omnia hujus generis concepta ex fundamentis non solum urgentioribus, sed etiam certis apud judicantem, per se, & attento fundamento intrinsecò, vera prudentia sunt, verèque, ac per se probabilia? Nihil sanè imprudentius, improbabiliusve dici posset.

159. Sed, ut obviis exemplis, ad quæ Terillus provocat, rem conficiamus, ponamus virum illum zeotypum, qui sua passione excæcatus, ob indicia levissima, & nullius in se momenti, adeò firmiter credat uxoris innocentis crimen, ut non modò non æstimet, aut censeat verosimiliora, sed neque audire velit, aut attendere fundamenta gravissima, & urgentissima, quæ prorsus evacuare sufficerent totam admissi seeleris suspicionem. Hoc aliquando posse, immò verò de facto sapiùs contingere, nemo opinor negabit. Quis autem erit, qui affirmare audeat, iudicium, in quo ille obstinatè persistit,

stit, nō esse injustum, ac temerarium, sed verè prudens, atque probabile per se, & attento fundamento intrinsecō? *160.* Rursus, ponamus hominem pravum, qui virum Religiosum pium, ac probum, in quem malè est affectus, eo quod vitia ipsius immania, notamque turpitudinem increpaverit, incunctanter, ac firmiter damnet apud se ipsum, tanquam reum impudicitiae, non alio fundamento, nisi quia fortè audivit, aut vidit ipse, ingressum aliquando domum cujusdam foeminae non bonae famae, quin curaret scire, vel attendere, num mulier illa forsitan ægroret, & ad salutem animae suae præfatum Religiosum accerserit. Ecquis iniquum illum sic judicantem absolveret ab injustissima, ac insigni temeritate? Sanè P. Terillus absolvere tenetur, nisi doctrinā suam velit damnare, quia præfata judicia, & alia ejusdem generis nimis frequentia, quae facile produci possent, non concipiuntur ex fundamentis apud judicantes levioribus, sed proximè gravioribus, aut etiam certis: ergo, seclusa quavis accidentali prohibitione, per se, & attento fundamento intrinsecō, verè sunt probabilia, & secundum prudentiae legem, si vera est Terilli doctrina. At si probari hæc nequeat, non pariter probatis memoratis judiciis, nemo cordatus sit, qui non illam confestim damnet, ac reprobet, nisi totus ego desipio.

161. Adde (quod est magnopere notandum, & animadversione dignissimum), Terillum in hoc argumento, & ceteros Recentiores ex ipso, nimis apertè consequentiā deferre, & suae propriae doctrinae oblivisci. Porro, si nemo temerè judicat, dum judicat ex fundamentis proximè sibi verosimilioribus, quia judicium omne conceptum ex fundamentis apud judicantem gravioribus, ac verosimilioribus, quomodo cumque tandem concipiatur, per se, & attento fundamento intrinsecō,

prudens est, ac verè probabile; nemo unquam temerè judicare dicitur, etiam dum judicium efformat ex fundamentis verosimilibus, quamvis sint minùs verosimilia, levioraque fundamentis oppositis: quia juxta Recentiores Probabilistas non modò licet juxta prudentiae leges opinari probabiliora, sed etiam aequè, aut minùs probabilia: ergo omne judicium quomodolibet efformatum, ex fundamentis etiam minùs verosimilibus, erit per se, & intrinsecè verè prudens, atque probabile. Cum verò nullum sit absolute possibile judicium non conceptum ex fundamentis verosimilibus judicanti, concluditur infallibiliter in principiis Terilli, & Recentiorum, nullum prorsus esse possibile judicium temerarium, & imprudens saltem per se, & attento fundamento intrinsecō. Quid ergo objiciunt nobis intellectus potentiam, aut libertatem, ad temerè de proximo judicandum?

162. Sed vide precor, Lector, præter inefficaciam, & importunitatem argumenti, in quam doctrinam Probabilistae, vel inviti labi cogantur. Vide, quò tandem ducat agendi regula, quam designat benignus Probabilismus. Numquid hæc non est illa vulgaris aliquorum existimatio (à nullo tamen D. Catholico scriptis hucusque vulgata præter illum ibidem memoratum Probabilismi nuperum Apologistam, cujus verba dabimus infra), qua sua cuique opinio utcumque, & undecumque concepta sit, dicitur recta regula operandi, juxta quam nemo agens peccare possit? Profectò non apparet in quo ab illa assertione, seu delirio, differat, vel levissimè, doctrina hæc, quam ex argumento Terilli, aliorumque Probabilistarum legitimè concludimus, ut vidisti. Qualis sit verò præfata assertio, ut nemo nō cognoscere possit, sufficiunt ea, quae dicta sunt per totam controversiam secundam, & multò fusiùs, Deo fa-

Infra controvers. 7. a. 4. §. 4.

vente, demonstrandum est suo loco. Adeo non possunt acuti Recentiores Probabilissimum suum occultare, etiā dum optimis indumentis tota industria, & studio, tegere ipsum, ac vestire procurant. Sed vestimenta omnia, quantumcumque subtiliter contexta, facillē detrahemus, ac proscindemus, ut à nemine ultrā vestiri possit, aut vel myopis oculis obtegi valeat.

§. III.

Argumenti solutio.

163. **D**icendum ergo est, neminem unquam temerē judicare, eò quòd iudicium efformet ex fundamentis pro priori ad assensum minus sibi verosimilibus, alioquin ipse iudicans suam videret actu, & agnosceret temeritatem, proindeque (quod alii jam scitē adnotarunt) proximo nō inferret injuriam. Nam qui suum proximum sic infamat, ut simul fateatur, & agnoscat, ipsum non nisi temerē infamari, reverā non tam proximo, quā sibi ipsi nocet, ac detrahit, proximo nanque, vel nullum infert damnum, vel si quod infert, statim etiam reparat, aut potius simul; unde iudicium illud, vel nulla erit injuria, vel erit simul injuriæ satisfactio; quod tamen est evidenter falsum. Sanè nemo invenietur temerē judicans, qui rogatus fateatur aliquando, se pro priori ad iudicium suum invenisse graviora fundamenta ad opinandum benè de proximo, voluisse tamen liberè malè opinari ex fundamentis levibus, aut levioribus. Quin immò solet frequentius contingere, ut quò magis quis temerē, ac injustè proximum judicat, eò iudicio suo firmitus, ac tenacius adhæreat, adeoque ex fundamentis multò apud se gravioribus, aut etiam certis, ut obviis posset exemplis comprobari, nisi res foret satis ipsā experienciā nota.

164. Igitur, qui temerē judicat,

ideò imprudenter, & injustè agit, quia re non satis examinata, nec maturè perpensis circumstantiis ipsius, ex levitate animi, ex odio, aut ex alia passione, quando deberet saltem iudicium suspendere, temerē, ac inconsideratè præcipitat intellectus sententiam, per quam apud se damnat, & reum absolutè pronuntiat eum, quem fortè posset, ac deberet, ut justum, & infontem absolvere, si rem maturius considerasset, & attendisset, ut oportebat, ad fundamenta utriusque partis. Id utique per se loquendo, & seclusa quacumque particulari prohibitione, manifestam præsefert imprudentiā, temeritatem, & injustitiam; quis nanque iudicem, qui ex invidia, aut ex odio, ex aliāve affectu inordinatā, ita se gereret in iudicio externo, imprudentem non diceret, & injustum?

165. Nec refert, quòd sic temerē judicanti sapē veniant in mentem pro parte oppositā, sapē etiam ab aliis proponantur argumenta, & motiva ex se multò graviora: quia, licet talia reverā sint, taliæque ab ipso iudicari deberent, de facto tamen talia non ipsi apparent, sed parvi potius, aut nullius momenti, eò quòd intellectus in sua obsecratione persistens, ad illa non attendat, neque penetret, ut oportet. Mirum nanque quantum præjudicet pravius voluntatis affectus ad faciendum de rebus æquum, aut iniquum iudicium, ut experientia ipsa cuique testatur: *Non enim similiter iudicium reddimus, cum dolemus, & cum letamur, & cum diligimus, & cum odimus*, ut sapienter agebat Aristoteles. In hoc ergo consistit imprudentia, & iniquitas temerē judicantis, non verò in hoc, quòd iudicet pro suo libito, quod minus verosimile sibi apparet.

166. Videri potest D. Angelicus, ubi agit de causis temerē iudicandi, ejus tres potissimum refert, quæ quidem omnes temerarium iudicium eatenus inducere possunt, quatenus faciunt, ut intellectus fa-

Philosoph.
1. Rhetor.
1.

S. Tho. 2. 2.
9. 60. 2. 3.

ci-

cile decipiatur circa objectum sibi propositum, ipsum videlicet apprehendendo aliter, ac merentur fundamenta utrinque occurrentia. Nullibi tamen recurrit S. Doctor ad potestatem liberam voluntatis, ut flectat intellectum in eam partem, quæ sibi apparet minus probabilis.

Et per hæc patet etiam solutio ad ea, quæ Terillus reposuit adversus solutionem ibi insinuatam, quam constat esse veram, & rectam.

ARTICULUS XIV.

Solvitur argumentum quintum: ubi qualiter in meliorem partem dubia aliorum facta, vel dicta interpretari semper debeamus?

167. **H**Uic questioni occasio- nem dedit Glossa in illud Apostoli ad Romanos 14. *Qui non manducat, manducantem non judicet*, ubi sic ait, *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda*. Desumpta verò fuit Glossa illa ex Augustino lib. 2. de sermone Domini in monte. 28. qui de temerario judicio ad illa verba Matth. 7. *Nolite judicare, & non judicabimini*, copiosè differens, ac sapienter, sic loquitur, *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*. Quæ certè est resolutio perquam æquissima, & apprimè rationi consentanea.

§. I.

Argumentum conficitur.

168. **E**X illa verò contra sententiam nostram, sic argueretur. Præceptum prudens, ac rationale, quale omne divinum est, connotat, aut supponit in subditis veram indifferentiam, & libertatem ad ipsius observationem; quod est principium celebre, ac frequens apud SS. Ecclesiæ Patres, ex quo evidenter colligunt, ac tumentur adversus Ethnicos, & Sectarios verà creati ar-

bitrii libertatè, potissimum verò Augustinus contra Hæreticos Manichæos. At Christus Dominus in Evāgelio non modò prohibet dubia aliorum facta, maximè quoad internam voluntatem, & intentionem, in malam partem interpretari, sed etiam nobis præcipit, interprete Augustino, interpretari in meliorem partem: hoc est, non solum prohibet, ne ex malo animo facta esse credamus, sed etiam nobis præcipit, ut ex bono procedere determinatè judicemus. Ergo in dubio de bona, vel mala intentione operantis, liberum nobis absolutè est utrumlibet extremum opinari; aliàs præceptum Domini implere liberè non possemus, quod blasphemum foret asserere.

169. Nec recurrere hic licet ad mediatam, aut indirectam tantum libertatem relatè ad alterum ex prædictis extremis. Nam contra insurgit P. Esparza: quia hoc esset præceptum Evangelicum ex nostro cerebro interpretari contra legitimum sensum ipsius, & absque aliquo fundamento. Quare pari jure liceret alia præcepta Dei, verbi gratia, præceptum non occidendi, vel non mæchandi, interpretari de libertate proxima in ordine ad motiva, vel circumstantias, quæ inducunt proximam possibilitatem mæchandi, aut occidendi, ita ut ea supposita, nulla superest libertas ad occidendum, vel ad mæchandum. Certè præcepta hæc non aliter respiciunt objectum suum, neque alio lata sunt tenore verborum, ac præceptum non temerè judicandi. Sequelam verò nullus admittet Theologus, aut tolerabilem reputabit.

§. II.

Resolutio questionis ex D. Thoma secundum Cajetani expositionem.

170. **H**Ujus argumèti solutio dependet absolutè ex quæ-

L 2 stio-

D. Tho. 2. 2.
q. 60. a. 4.

stionis propositæ resolutione. Illam verò D. Angelicus disputat sub his terminis, *Utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda*. Ad quam respondens concludit tandem sic: *Et ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum, ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est*. Cujus conclusionis rationem immediatè præmiserat his verbis, *Ex hoc ipso quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, injuriatur ei, & contemnit ipsum*. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente.

Difficultatem verò, quæ statim occurrebat, sumptam ex manifesto deceptionis periculo, & quam ipse sibi opposuerat, expedit in hunc modum: *Ad primum ergo dicendum, quod potest contingere, quod ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallatur: sed melius est, quod aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo bono, quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo*. Hæc Angelicus Doctor.

171. Videtur igitur S. Thomas manifestè sentire, debere nos in dubio de intentione operantis, ubique intellectum inflectere ad judicandum, eam esse rectam: quandoquidem expressè fatetur, frequenter, aut frequentius posse contingere, ut in judicio hujusmodi fallamur; sed tamen hoc periculum æstimandum non esse, sed contemnendum, ne fortè proximò inferamus injuriam, ipsum revera insontem falsò damnando absque convincenti ratione.

Id, quod distinctius exprimit ad secundum, ubi distinguit judicium de actionibus, aut de rebus secundum se, à judicio circa personas: & in priori docet, deceptionem esse malum ipsius judicantis, quia in rebus verum est bonum intellectus, & falsum est malum ipsius, ut Philosophus

Aristo. Eth.
6 c. 2.

docet. In posteriori verò judicio ait S. Doctor, præcipuè esse attendendum bonum illius, de quo fertur judicium, scilicet, ne malus habeatur absque fundamento cogente. Immo addit ad finem, falsum in hoc judicio non esse malum ipsius judicantis: *Quia homini (inquit) judicanti falsum judicium, quo benè judicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipsius: sicut nec ad ejus perfectionem pertinet secundum se, cognoscere veritatem singularium contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum*.

172. Hæc tamen D. Thomas doctrina fateor difficilis mihi videtur: quia positivè falli in qualibet materia, & ex quocumque affectu, videtur nunquam posse non esse malum intellectus decepti, siquidem omnis error positivus aliquod nocumentum affert, cum reddat intellectum pravè dispositum ad assequendam rei veritatem, quæ proprium est ipsius objectum. Et quidem hæc videtur nimis expressa sententia Augustini agentis, *Ipse per se ipsum errat, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva semper est malum. Quis enim, nisi errans, malum neget approbare falsa pro veris, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?* Adeò Augustino evidens visum est, nullam esse intellectus deceptionem, quæ non sit verè malum ipsius.

173. Porro, etsi ad perfectionem intellectus secundum se, sive intellectus speculativi, non spectet cognitio singularium, & contingentium, spectat tamen ad perfectionem ipsius intellectus, ut practici; nam, ut talis, extendi debet ad cognoscenda etiam singularia, quorum nempe notitià ad exercitium prudentiæ, & providentiæ, adeoque ad propriam perfectionem indiget, Id, quod expressè docuit ipse D. Angelicus: *Dicendum (inquit), quod cognitio singularium non pertinet ad perfectionem anime intellectiva secundum cognitionem speculativam; pertinet tamen ad perfectionem ejus secundum cognitionem*

Aug. Enchir. c. 19.

S. Tho. 3. p. 2. 11. a. 3.

tio-

tionem practicam, quæ non perficitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio, ut dicitur in 6. Ethic. Unde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio præsentium, & providentia futurorum, ut Tullius dicit in sua Rhetorica.

174. Jam verò, si error omnis positivus, etiam in singularibus, & contingentibus, est malum intellectus errantis, nemo sanè tenebitur, quin nec licite poterit, dubia aliorum facta, vel dicta sic in meliorem partem interpretari, ut positivè judicet esse recta, sive ex bona intentione facta; id enim esset sponte falli, aut saltem proximum errandi periculum ultrò, & voluntariè subire, quod est per se, & intrinsecè malum, Augustino docente generalissimè, *Neque quisquam error* (voluntarius scilicet) *turpitudine caret*; sicut per se, & intrinsecè malum est, non solum alium positivè decipere, verum etiam conjicere in periculum proximum errandi. Utrique nemo magis proximum, quam se ipsum diligere, neque malum ipsius, potius quam proprium, cavere tenetur secundum rectam legem charitatis.

175. Sapientissimus Cajetanus, ut doctrinam S. Doctoris in sensum opportunè exponat, notat in primis, regulam illam præfatæ Glossæ accipi posse solum in sensu negativo, ut scilicet nobis unice interdicator, ne dubias aliorum actiones in malam partem interpretemur, judicando determinatè, & positivè, ipsas esse pravas, seu procedentes ex prava intentione: & in hoc sensu regulam esse verissimam, & quæ nullam admittat exceptionem, nullasque aliqua ex parte difficultates incurrat.

Notat præterea, regulam prædictam, si in sensu positivo accipiat, intelligendam, non absolutè (hoc enim, inquit, esset contra rectam rationem); sed ex suppositione quòd judicandum sit. Nempè, ut quoties oporteat determinatum ferre judicium in dubiis occurrentibus circa

aliorum actiones, semper illud feramus pro innocentia proximi, nunquam verò pro parte opposita. Et hunc ait Cajetanus esse sensum legitimum præfatæ regulæ, quem intendit D. Angelicus, cujus nempè doctrina ex hypothefi facta rectè procedit; nam cum in ea hypothefi alterum è duobus necessum sit, vel quòd judicans subeat aliquod deceptionis periculum, vel quòd injuriam proximo inferat, ipsum malum putando absque convincenti ratione, æquitas ipsa postulat, & omnis recta ratio præscribit, ut è duobus malis, quæ vitari simul non possint, illud, quod minus est, contemnatur, nempè periculum erroris contingentis, & qui intellectui erranti nihil, aut parùm noceat: præterquamquod ex altera parte simile quoque imminet deceptionis periculum præter injuriam proximo imminentem.

S. III.

Vera resolutio questionis, ex qua tandem elicitur, & opportunior D. Thoma expositio, & solutio argumenti nobis oppositi.

176. **E** Quidem primus sensus præfatæ regulæ, quem Cajetanus affert, planus est, ac legitimus, adeoque ab omnibus absolutè amplectendus. Sensus verò secundus ex suppositione procedens, verus itidem est; sed nobis non videtur opportunus, nec specialiter colligi censemus ex præcepto divino, & naturali non judicandi temerè proximum, nec intendi per Glossam, seu regulam Augustinianam: immò nec credimus, Doctorem Angelicum sensum hunc intendisse, prout exponitur à Cajetano, etsi verba S. Doctoris vehementer in ipsum videantur inclinare.

177. Ratio verò pro cunctis afferti partibus, una, & eadem est: quia præceptum non temerè judican-

August. de
univ. cred.
c. 11.

Cajeta. in
commet. il-
lae art. 4.

candi solum prohibet nobis omne iudicium, quo proximo inferamus injuriam, malum cogitando de ipso absque convincenti ratione. Ut autem omne ejusmodi iudicium vitemus, nullo opus est iudicio positivo, quo dubium proximi factum, vel dictum determinate credamus bonum, aut ex bona intentione factum; sufficit enim iudicium suspendere, & nihil definiendo circa simile dubium, veram, ac certam cognitionem ipsius reservare iudicio Dei, secundum Apostolicum praeceptum, *Nolite ante tempus judicare* (nempe, quae dubia vobis, & minime explorata sunt), *quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit unicuique à Deo.*

1. ad Corin.
5.4.

178. Denique nemo jure de me queratur, si circa actiones suas, quarum malitiam, aut bonitatem satis mihi non manifestat, nihil definiam in alterutram partem; sed earum, vel laudem, vel vituperium commitam infallibili, atque rectissimo iudicio Dei. Quid enim æquius exigi à me potest, aut recte rationi conformius? *Neque unquam mihi potui persuadere* (inquit asseveranter P. Molina) *non solum nos teneri habere iudicium, quo nobis persuadeamus, id verè esse, quod ignoramus ita esse, sed neque licitè posse nos tale iudicium elicere; ut scilicet, quando dubium est, an malo animo proximus aliquid fecerit, licitè determinatè judicemus, eum bono animo id fecisse, idque nobis licitè persuadeamus.* Hæc de re ista clarissimus hic Doctor, cui toto iudicio subscribimus.

Moli. to. 5.
de just. &
lib. d. 17. art. 1.

179. Igitur, ut praeceptum Dominicum de omni iudicio temerario vitando, plenè, ac planè adimplere possimus, solum requiritur, & omnimodis sufficit, ut circa dubias aliorum actiones, quarum videlicet bonitas, aut malitia explorata nobis non est, abstinemus ab omni positivo iudicio. Aliunde verò in rebus

incertis, & expositis deceptionis periculo, definitam ferre sententiam absque aliqua utilitate, vel necessitate cogente, non caret omni temeritate; est enim ultro, & sine ulla causa contemnere veritatis amorem, & ambire erroris periculum, quod recte rationi repugnat. Et ideo in Angelis, etiam viatoribus, & in hominibus innocentibus non potuit esse iudicium ullum ex proprio suo tendendi modo incertum, & opinativum, ut fert communis Theologorum sententia; quia nulla privativa ignorantia, aut positivus error inveniretur in statu veræ innocentiae, cum sit effectus proprius peccati, ut docet disertissime S. Thomas: *Nulla* (inquit) *deceptio, aut error positivus haberet locum in statu innocentiae, cum sit effectus, & pena peccati*: id, quod prius non semel docuerat Augustinus, cujus hæc modò verba sufficient, *Approbare vera pro falsis, non est natura instituti hominis, sed pena damnati*. Patet ergo in præfatis dubiis, non solum non debere, sed neque posse nos honestè, ac laudabiliter, positivum ferre iudicium, etiam quo proximum insotem judicemus.

S. Tho. 1. 2.
q. 85. a. 3.

Aug. li. 3.
de lib. arb.
c. 18.

180. Et verò ipse Augustinus in illo eodem loco satis hoc ipsum expresserat, inquiens, *Sunt ergo quædam media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia & bono, & malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maxime, ut condemnemus.* Ecce Augustinus in ejusmodi dubiis omne iudicium determinatum temerarium esse definit: quod enim addit, *maximè ut condemnemus*, id non excludit, immò apertè supponit, iudicium etiam de parte opposita, non carere temeritate; sed solum innuit, quod verissimum est, nempe iudicium contra innocentiam proximi, diligentius esse cavendum, quippe quod non est solum contra prudentiam, verum etiam contra iustitiam.

Aug. loco
alleg. sup.
n. 168.

181. Denique stultū obsequium est, quo charitas vera non gaudet, si spon-

August. de
Civ. li. 19.
c. 4.

1. ad Corint.
13.

spontè subeam in gratiam proximi, proximum deceptionis periculum; hoc enim turpe, ac vitiosum est, & nulla vera virtus vitium acceptat tanquam obsequium: sed neque virtus ulla, quæ vera virtus sit, simile obsequium offerre potest; *neque enim sunt mendaces veræ virtutes*, ut optimè Augustinus agebat. Porro de charitate expressè nos docet Apostolus, *Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*. Licet ergo nobis concludere, sensum directè intentum per præceptum nō temerè judicandi, & per Glossam, seu regulam Augustini, esse absolutum, ceterum negativum, & nullatenus positivum, saltem absolutè, ac directè.

182. Verum quid, si in prædictis dubiis velimus absolutè judicare, & de alterutra parte ferre positivam sententiam? Resp. mihi dubium non est, quin ex ea suppositione debeamus judicare proximum innocentem, & opera ipsius honesta; id enim evidenter convincit argumentum Angelici Præceptoris ex principio in quavis materia, notissimo, & universalissimo, quod ex duobus malis, si alterutrum debeamus, aut velimus eligere, quod minus est, eligere debeamus. Inde verò ad rem nostram, quid concludere licet? Profectò nihil.

183. Enim verò, si dicta suppositio, ut nos existimamus, ac demonstramus, sit omninò impossibilis in terminis præsentis controversiæ, eò quod intellectus nullam omninò habeat indifferentiam proximam ad opinandum minùs, aut æquè tantum verosimilia, præceptum temerè non judicandi, & regula Augustini ex eodem elicitæ, nec intendunt eventum illum, nec quidquam circa ipsum disponunt, utpotè penitus repugnantem, atque adeò, qui nunquam possit accidere.

184. Si verò suppositio non esset impossibilis, & posset intellectus pro voluntatis libitu dubia illa resolvere (immediatè videlicet) in utramlibet

partem, ut Recentiores volunt: in primis suppositio, utpote nobis libera, semper esset vitanda juxta prudentiæ regulas, proindeque abstinendum absolutè ab omni positivo judicio circa alterutram partem determinatam, ut docet Augustinus ubi nuper adductus, & convincit discursus à nobis factus.

185. Deinde in ea hypothesi fateor, debere nos semper ferre judiciū pro innocentia proximi, ex memorato illo notissimo principio vitandi majus malum, si alterum è duobus eligere velimus. Ceterum, cum ex illo Dominico præcepto, aut ex præfata Glossa, seu regula Augustini, nihil omninò liceat inferre circa suppositionis ipsius, vel possibilitatem, vel repugnantiam, consequens tandem fit, ut sensum positivum, quem Cajetanus assertit, nulla ratione concludere possimus.

186. Dicis, suppositionis possibilitatem supponi manifestè ab Augustino in verbis superius adductis. Sed verò Augustinus in primis omne judicium determinatum in eventu proposito temeritatis damnat: quare saltem non poterit præcipi nobis, adeòque ex præcepto Dominico non licebit arguere contra sententiam nostram. Præterea pro dubiis similibus ex Augustino colligi saltem nequit possibilitas judicii prudentis, adeòque nec verè probabilis.

187. Denique respondemus ex memoratis Augustini verbis, ut summum posse colligi, in similibus dubiis, utrumlibet judicium determinatum esse possibile absolutè, & simpliciter, quod nemo negat juxta superius dicta. Quod verò sit possibile proximè, ac immediatè, ut Recentiores volunt, nec Augustinus docet, nec verum est, ut assatim demonstratum relinquimus.

188. Ex quibus tandem concludere licet, credibile non esse, D. Thomam tenuisse, aut intendisse sensum illum, quem Cajetanus ipsi tri-

tribuebat, quantumvis verba S. Doctoris eum insinuare videantur. Et in primis, licet daremus, quod D. Thomas sensum illum intenderit, nihil ex eo possent Recentiores concludere in favorem suæ sententiæ; tunc enim S. Doctor intelligendus esset haud aliter, quam Augustinus, videlicet juxta veram sententiam, quam ipsum D. Thomam satis clare docuisse, ostendimus artic. decimo.

189. Præterea, quod non teneat, nec intendant prædictum sensum, ex dictis efficaciter mihi persuadeo: quia, licet verus sit ex memorata illa suppositione, attamen suppositio, vel est prorsus repugnans in sensu jam exposito, vel saltem semper est contra prudentiam, adeoque à nobis semper vitanda. Quis verò credat, Angelicum Doctorem, dum exponendum suscipit præceptum Domini de omni judicio temerario vitando, neque docuisse, neque meminisse, quid ex eo præcepto debeamus absolute præstare; sed unice docuisse, ac intendisse, quid sit nobis faciendum ex aliqua suppositione, vel prorsus impossibili, vel omnino vitanda? Id verò nobis non apparet credibile.

190. Quare, dicendum potius existimarem, dum D. Thomas generaliter docet, dubia aliorum facta, vel dicta, semper in bonam partem esse à nobis interpretanda, non obstante periculo deceptionis, per hæc non intendisse judicium positivum, quo actionem dubiam proximi bonam existimem determinatè; sed vel judicium aliquod practicum, quo dicam apud me, *judicare non debeo actionem esse malam, vel, gerere me debeo cum isto homine, tanquam cum probo, haud aliter, ac antea*, quæ judicia sunt vera, & æqua: vel, si S. Doctor loquatur de judicio versante circa ipsam actionem immediatè, non loqui de judicio positivo, sed negativo tantum, siue de suspensione judicii contrarii; & consequenter errorem imminens, cujus periculum contemnendum docet, non

esse positivum, sed negativum, quatenus intellectus suspendendo judicium, non assequitur veritatem, quam contingenter assequi posset, de quo errore congruè intelligitur, quod non sit malum intellectus errantis, ut docet ipse Magister Angelicus: de positivo verò non facile explicabitur qua ratione potnerit verè affirmari. Porro esse apertè contra Augustinum, quin immò, & contra ipsum D. Thomam, monstratum est §. præcedenti,

191. Ubi autem insinuat nimis clarè positivum judicium, siue periculum erroris positivi, intelligendus erit D. Thomas de judicio, aut periculo resultante per accidens ex illa suspensione judicii; nam ex eo quod semper diligenter cavere debeam judicium positivum in malam partem, aliquando per accidens continget, ut declinem in judicium oppositum cum periculo erroris positivi, quod periculum dicit esse parvi momenti, & contemnendum, præ injuria imminenti proximo ex judicio contrario, quo ipsum damnem, quod est apertè injustum, ac temerarium.

Hæc verò dicta sint in reverentiam communis Magistri, quæ maxima ipsi debetur. Si cui autem minus arriserint, is D. Angelicum aliter, si placet, exponat, cujus expositioni, si opportunior extiterit, facile consentiemus. Nobis verò sufficiat ostendisse, ut credimus, satis apertè, argumentum desumptum à Recentioribus ex præcepto nō temerè judicandi, & ex adjuncta Glossa, seu regula Augustini, nihil momenti habere contra sententiam nostram, sicut, & alia cuncta, quæ proferunt.

ARTICULUS XV.

Solvitur argumentum sextum à paritate voluntatis desumptum.

192. **A**rguunt præterea sextò Recentiores: ita se habet

voluntas ad bonum, sicut intellectus ad verum, saltem prout iste subditur ipsius voluntatis imperio: atqui voluntas potest ex duobus bonis contrariis æqualibus, aut inæqualibus, quodcumque eorum, etiam minus, eligere, ut tradunt Doctores communiter contra P. Vazquez, & alios: ergo, & poterit intellectus ex voluntatis libera electione opinari utramlibet partem alicujus contradictionis, etiam æquè, aut minùs probabilem.

193. Confirmatur primò: sicut quodlibet bonum absolute, & secundum se, est potens terminare amorem, ita, & quodlibet verum, seu motivum probabile secundum se, potens est, accedente voluntatis imperio, terminare iudicium opinativum. Sed quia bonum secundum se potens est terminare amorem, est etiam potens eundem terminare, dum adest in oppositum bonum alterum, vel majus, vel æquale, voluntatem sollicitans ad sui amorem: idem ergo dicendum de quovis vero, seu motivo probabili relatè ad intellectum.

194. Confirmatur secundò: sicut voluntas non sibi soli, sed & reliquis omnibus potentiis amat: immò, & universaliter, sicut potentia omnes, tam corporis, quàm animæ, non sibi tantum agunt, sed, & cæteris omnibus; sic etiam intellectus non sibi soli, sed, & voluntati, & reliquis potentiis intelligit. Cum igitur in homine sola voluntas sit potentia libera, & quæ cæteris possit imperare, ad solam voluntatem spectat cæteras omnes pro suo arbitrio ad propria objecta determinare, supplendo in ipsis libertatis defectum. Ergo ad voluntatem spectat determinare proprium intellectum ad opinandam quamlibet contradictionis partem. Denique omnis potentia necessaria ad hoc subiicitur voluntatis imperio, ut ex hoc idem præstet, quod præstare ex se posset, si foret libera immediatè, & forma-

liter. At, si intellectus immediatè esset liber, posset assensum flectere, ad partem æquè, aut minùs probabilem, sicut ipsa voluntas, quia immediatè libera est, potest eligere quodcumque bonum ex æqualibus, aut inæqualibus: idem igitur potest à voluntate determinatus.

195. Resp. ad argumentum: in primis falsitatem Minoris supponit, ut jam vidimus, S. Thomas; multi- que alii graves Doctores, tum ex veteribus, tum ex Recentioribus, oppositum tuentur. Sed, quidquid sit de doctrina ista, minime illà nos indigemus.

Itaque, concessa Majori in debito sensu intellecta: permitta item pro nunc Minori, nego absolute consequentiam. Discrimen autem evidens est: quia bonum in consortio alterius boni æqualis, aut majoris, etiam sibi omninò contrarii, retinet adhuc bonitatem suam; neque enim bona inter se pugnancia contradictoriè opposita sunt, sicut forma, & privatio ejus, sed contrariè dumtaxat, sicut frigus, & calor, aut etiam sicut album, & nigrum, quæ sunt ejusdem potentia objecta: quare, licet voluntas, spreto, verbi gratia, bono honesto, quod excellentius, & majus est, feratur per amorem in bonum delectabile, semper fertur in bonum, adeoque à proprio objecto nunquam extrahitur.

Oppositum verò contingit in vero, & falso relatè ad intellectum; hæc enim immediatè, & contradictoriè opponuntur, non à parte rei tantum, verum etiam in apprehensionibus in ordine ad eundem intellectum, ut demonstravimus art. 6. Porro idem prorsus est, extremum aliquod esse reipfa, aut apparere intellectui verum, ac oppositum esse, aut apparere falsum, & vice versa: unde omninò repugnat, ut duo extrema contradictionis appareant simul eidem intellectui vera, aut enuntiabilia, alioquin idem simul appareret verum, & falsum, quod

M

est

est contra lumen rationis. Igitur ob rationem oppositam non poterit aliquando intellectus partem minùs, aut æquè verosimilem opinari.

196. Quapropter argumentum à paritate voluntatis petitum, tantum abest, ut nostram sententiam urgeat, ut in contrariam potius efficaciter retorqueatur. Urget verò specialiter Terillum, & Esparzam eo utentes: nam quamvis intellectus signatè judicet pro priori, duo bona esse æqualia, vel inæqualia, adhuc potest voluntas juxta adversarios eligere quodcumque maluerit: ergo, si quid valeret paritas ista, idem dicendum esset de intellectu, cum tamen sit evidenter falsum juxta ipsos Terillum, & Esparzam hoc ipsum ex professo docentes, efficaciterque probantes, quamvis Terillus immemor sui, etiam oppositum ex professo docuerit. Non ergo potest fieri argumentum ex altera potentia ad alteram, nisi quod ipsos adversarios urgeat, & nostram sententiam suadeat. Atque ex his confirmatio prima soluta manet, & præoccupata.

197. Ad secundam confirmationem resp. voluntatis dominium, & imperium in reliquas potentias, despoticum non esse, sed veluti politicum, ordinatum scilicet immediate in bonum proprium ipsarum potentiarum: unde poterit quidem ipsas quandoque cogere, ut cum aliquo proprio incommodo exerceant suas operationes, ut dum oculos obligat ad intuendum attentè solem, etsi radiis ipsius perstringantur. Nunquam attamen potest, juxta omnes, ipsas extrahere à proprio suo objecto, nisi velis, ut possit ipsos oculos cogere, ut videant sonum, & aures, ut audiant colorem, quod est ridiculum paradoxum.

Potest ergo voluntas obligare intellectum ad enuntiandam aliquam veritatem probabiliter tantum, & obscurè propositam contra inclinationem ipsius naturaliter refugientis ab assensu cujuslibet objecti

non evidenter sibi propositi, propter deceptionis periculum, quod intellectus naturaliter horret: at nunquam poterit ipsum movere, ut assentiat objecto minùs, aut æquè sibi probabili; hoc enim foret ipsum extrahere à suo proprio, & formali objecto, quod facere voluntas non potest, sicut nec posset ipse intellectus, etsi immediata libertate gauderet.

ARTICULUS XVI.

Solvitur argumentum ultimum quod à priori Recentiores appellant.

198. **S** Eptimò tandem arguunt ex Stephano Spinula à priori, ut inquit Terillus. Nulla potentia fertur, inclinaturve naturaliter in terminum sibi impossibilem: atqui intellectus urgetur naturaliter, inclinatur, ac fertur ad assentiendum motivo probabili, etiam dum adest pro parte opposita aliud æquè probabile, aut probabilius: est igitur possibile intellectui præbere assensum parti minùs probabili in conspectu probabilioris, aut alterius æquè probabilis. Major per se nota videtur: quia omnis inclinatio naturalis est indita ab Auctore naturæ, adeoque nequit recta non esse: non foret autem recta, sed stulta, & inordinata, si ferretur in aliquid impossibile. Minor etiam est evidens, vel experientiâ ipsâ, quisque nanque experitur in se ipso, dum habet motiva assentiendi pro utraque parte contradictionis, sic trahi, & inclinari à motivis unius, ut simul inclinetur, & retrahatur à motivis partis contrariæ. Denique consequentia recta est. Ergo.

199. Resp. distinguendo Majorem: *nulla potentia naturaliter inclinatur, aut fertur in terminum sibi impossibilem*, absolute, aut intrinsecè, concedo; per accidens, & extrinsecè tantum, subdistinguo: non inclinatur

etur in terminum, ut impossibile, vel, ut habendum sibi in circumstantiis impossibilitatis, concedo; secundum se, & specificativè, nego Majorem. Et distinguo Minorem: *intellectus urgetur, & inclinatur ad assentiendum motivo probabili, etiam dum adest pro parte opposita aliud æquè probabile, aut probabilius assensu conjungendo cum hoc motivo, nego; assensu absolute possibili, & præcindentem ex se ab his circumstantiis, concedo Minorem, & nego consequentiam.*

200. Declaratur solutio, & confirmatur. Ut inclinatio potentiæ in terminum non sit frustranea, aut inordinata, sufficit si terminus ipse sit absolute, & per se possibilis, quamvis per accidens, & extrinsecè, reddatur impossibile hic, & nunc propter aliquod impedimentum insuperabile ab ipsa potentia: nam hujusmodi obstaculum prohibet quidem potentiam hic, & nunc à termini consecutione; at tollere non potest, quominus inclinetur in ipsum inclinatione inefficaci, quæ non fertur in aliquid impossibile, cum non appetat terminum, ut habendum in conspectu præfati impedimenti, sed secundum se tantum, ac veluti conditionatè, nimirum si non esset validior exigentia in oppositum.

201. Illustratur exemplis, quæ sint pariter oppositi argumenti evidentes instantiæ. Primò; dum actu adsunt ex utraque parte motiva, intellectus urgetur naturaliter, & inclinatur in utrumque extremum, ut supponit Terillus, & experientia probat. At nihilominus assensus utriusque, licet possibilis absolute sit, non potest tamen simul existere, quia intellectus non potest utrique extremo assentiri simul, ut tanquam evidens Terillus supponit, & nemo in dubium vertit, nisi qui, vel Dialecticam contemnit, aut ignorat. Ergo ex inclinatione naturali intellectus ad assentiendum motivo æquè,

aut minùs probabili, etiam dum adest pro parte opposita aliud æquè probabile, aut probabilius, solum concludi potest, assensum illum esse possibilem absolute, & secundum se, secus verò in conspectu talis motivi. Hanc instantiam opponit argumento proposito Mercorus.

202. Sed reponit Terillus, & ex ipso nonnulli Recentiores, instantiam esse evidenter nullam, & disparitatem apertam: quia terminus non aliter debet esse possibilis, ac potentia inclinatur, & fertur naturaliter in illum. At intellectus, etsi inclinatur simul ad assentiendum utrique extremo, quia simul habet pro utroque motiva; non tamen inclinatur ad assentiendum utrique simul, sed distinctivè, & seorsim tantum: habet utique simultatem potentiæ, sed non potentiam ad simultatem. At verò in eventu quæstionis intellectus urgetur, & inclinatur ad actualem assensum, etiam dum adest pro parte opposita motivum æquè, aut magis probabile. Ergo est possibilis hic assensus, etiam tali motivo stante. Sed verò hæc, aut nulla solutio est, nec solutionis speciem habet, aut petit nimis clarè principium.

203. Contra igitur argumentum retorqueo. Ut intellectus possit naturaliter simul inclinari in duos terminos contradictionis, sufficit quod termini ipsi absolute, & ex se possibiles sint, quamvis non sint inter se compossibiles. Ergo sufficit etiam, ut possit inclinari in assensum unius partis, dum adest pro opposita motivum æquè, aut magis probabile, quod assensus secundum se, & absolute possibilis sit, quamvis cum præfato motivo nullo modo sit compossibilis; nam si ad inclinationis simultatem non petitur simultatis possibilitas ex parte ipsorum terminorum, sed sufficit possibilitas absoluta, cur ad inclinationem, quæ simul sit cum motivo opposito, non sufficiet assensus possibilitas absoluta, quamvis non possit dari possibilitas simultatis ejusdem

Mercor. in
Bas. Theo-
log. par. 2.
23.

dem motivi, & assensus? Nulla est ergo disparitas intenta, nec speciem habet illius.

Quòd si Terillus, & Recentiores dixerint, intellectum in eventum nostræ quæstionis urgeri naturaliter, & inclinari non ad assensum secundum se, sed ad illum ut conjungendum cum motivo contrario æquè, aut magis probabili: tum verò manifestè principium petent; hoc enim nos negamus omnino, & erat ipsis unice probandum, quod tamen hætenus non præstiterunt, nec poterunt aliquando præstare. Certè hujuscemodi inclinationem nec aliqua experientia, nec voluntatis paritas, nec opportunum aliud argumentum suadet. Quod autem hic obijciunt, & à priori vocant, illam non probat, sed absurdè supponit, ut demonstrat instantia opposita. Est igitur eorum solutio non solutio reipia, sed clara petitio principii.

204. Cōfirmatur ulterius solutio nostra, & instatur secundò argumentum Terilli, & Recentiorum. Lapis, exempli gratia, etiam quando violenter detinetur suspensus, naturaliter inclinatur deorsum, & gravitat in proprium centrum: ex hac autem inclinatione solum inferre licet, descensum lapidis esse possibilem absolute, & secundum se, secus verò in his circumstantiis, & in sensu composito impedimenti. Ergo ex inclinatione naturali intellectus ad assentiendum parti, etiam minus probabili, in occurso probabilioris, colligere non licet, talem assensum esse possibilem in eis circumstantiis, sed solum esse absolute possibilem. Hanc insuper instantiam opponit ubi nuper idem Mercorus, & poterant id genus aliæ innumera opponi:

205. Respondet tamen similiter Terillus, latum esse discrimen, adeoque instantiam manifestè nullam: quia impedimentum lapidis in eventum propositum est verè impediens, hoc est, insuperabile, alioqui lapis necessario descenderet, cum ipsius

potentia ex se non sit indifferens, sed determinata ad agendum. At verò impedimentum intellectus in nostra hypotesi est solum difficultans, & quod simpliciter possit superari ab ipsa intellectus potetia, quæ ex se est indifferens ad utrūlibet, & potest ad alterutrum determinari ex libera electione voluntatis.

206. Sed quis non videat circumloquutionem responsionis? Nempè, Terillus suo argumento contendit, motivum æquè, aut magis probabile non esse, insuperabile impedimentum, sed solum difficultans assensum partis æquè, aut minus probabilis; quia intellectus urgetur naturaliter, & inclinatur ad hunc assensum, etiam dum illud motivum probabilius urget ex opposita parte. Dum verò nos instamus, lapidem naturaliter inclinari in descensum, etiam quando violenter elevatur, aut detinetur, quin arguere liceat ex illa lapidis inclinatione, impedimentum elevans, aut detinens, non esse insuperabile, & quod reddat descensum impossibilem proximè, & in his circumstantiis: tum reponit Terillus, disparitatem esse evidentem, quia impedimentum lapidis verè est insuperabile, adeoque verè impediens descensum; motivum autem æquè, aut magis probabile, non est insuperabile impedimentum, sed solum difficultans, adeoque verè non impediens assensum partis æquè, aut minus probabilis. Nonne hoc est vocibus ludere, vel illudere, proindeque apud intelligētes succumbere difficultati?

307. Ea igitur intellectus naturalis propensio, aut inclinatio in partem æquè, aut minus probabilem, medium est evidenter ineptum ad concludendam Recentiorum sententiam. Quod potest etiam in intellectu ipso multis adhuc exemplis demonstrari.

Primum enim, si ex una parte adsit motivum evidens, ex opposita verò aliud quaecumque motivum, intellectus, etsi imperfectè, aliquo-

mo-

modo inclinatur in assensum istius partis, cum omnis apprehensio sit ex conceptu suo dispositio, & via ad iudicium, atque adeo aliquis in ipsum inclinatio: & tamen is assensus est omnino impossibilis in istius hypothesei circumstantiis. Præterea, demus Deum pro suo absoluto dominio negare intellectui concursum ad assentiendum alicui objecto, etiam evidenter proposito: profecto in hac hypothese assensus non esset possibilis, & nihilominus intellectus vehementer in ipsum inclinaret. Tandem quando intellectus signatè iudicat, utriusque partis motiva esse re ipsa æqualia, neutrum extremum amplecti potest, ut fatentur Terillus, & Elparza; utrinque tamen stimularur, & urgetur ad assentiendum. Vide, quàm sit inefficax argumentum potissimum, & à priori, quod pro sententia sua Recentiores nobis opponunt.

ARTICULUS XVII.

Tribus corollariis deductis, præsens controversia concluditur.

208. **V**eritas philosophica, quam nimis luculenter, ut reor, in hac controversia monstravimus, quanti momenti sit ad totius Tractatus potissimum scopum, & jam supra insinuatum est, & multò clariùs postea constabit. Interim verò pro eodem fine operæ pretium sit doctrinam modo traditam veluti summam colligere per illationes aliquas ex illa resultantes.

§. I.
Corollarium primum: soliditas nostra sententia ad oppositam comparata.

EX dictis ergo primò deduces, quantum sententia nostra oppositæ præmineat, & auctoritate, & ratione. Porro nostræ sententiæ veri-

tatem docent antiqui omnes, & Philosophi, & Theologi, cum Aristotele, & D. Thoma: moderni omnes Antiprobabilistæ, & ex ipsis Probabilistis multi præcipui nominis Auctores. At verò Recentiorum sententiâ unicè docent ipsi Recentiores, qui, vel Probabilissimum illi penitus adstruunt, vel magnopere ab illa dependere fatentur, etiam inviti: quamvis plerumque dependentiam huiusmodi, sententiam suam multum infirmantem, nequidquam amovere moliantur.

209. Profectò, ut sunt ingeniosi, non possunt non videre provinciam esse nimis difficilem, quòd possim ego rectam formare conscientiam innitens, velut fundamento, opinioni non meæ, sed aliorum, quantumcumque gravium Doctorum, quam vel iudico falsam, & contrariam legi divinæ, vel saltem veram iudicare non possum. Et qua ratione precor ejusmodi opinionem potero iudicare prudentem, quod tamen prorsus est necessarium? Nò ne hoc ex ipsis terminis difficile satis appareat? & quàm sit penitus impossibile, latè à nobis monstrandum est. Cum igitur Recentiorum opinio simul cum suo Probabilissimo uno velut partu sit nata, & cum eodem pariter adoleverit, à cæteris semper Doctoribus tanquam adulterina Philosophiæ proles rejecta, ab eisdemque solis Probabilistis studiose nutrita, & adoptata, multis etiam ipsorum repugnantibus, fieri profecto non potest, quin ex hoc etiam capite auctoritas ipsius minuat perquam maximè.

210. Rursus sententia nostra rationibus efficacissimis, non de longè quæsitis, sed de proximo ex ipsa rei natura depromptis, ac velut sua sponte patentibus, validissimè communitur, immò (sidenter dixero) demonstratur. Cum interim Recentiorum sententia vix quidquam pro se habeat, nisi extraneas nonnullas paritates (quod est naturæ suæ debilissimum argumenti genus), & exem-

pla

pla non opportuna, quæ plurima, & ingentia absurda probent, quæque in ipsos suos Auctores efficaciter retorqueantur. Argumentum præterea, quod à priori vocant, quanti roboris sit, immò quàm importunum, & inane, nimis apertè manet ostensum, & omnia, quæ summam hic colligimus, liquidò constare deprehendis ex totius decursu controversiæ. Patet ergo sententiam nostram, & auctoritate, & ratione, maximopere prevalere contrariæ.

Interim tamen quidam ex Recentioribus sententiam nostram vocat *singularem*, suam verò simpliciter, si Deo placeat, *communem Doctorum sententiam*: alius autem *perspicuam*, & alii passim similia loquuntur. Tu verò, Lector, videas, & iudices sincerè: nostrum verò sit demonstrare, omnia Probabilismi fundamenta, & Recentiorum verba gloriosa ejusdem esse soliditatis cum opinione modo rejecta: quod nisi satis cumulatè præstamus, verba nostra licebit nihili facias.

S. II.

Corollarium secundum: assensus, quem intendunt Recentiores, etsi foret possibilis, prudens non esset.

211. **A**ddimus autem; omne intellectus judicium in terminis quæstionis præcæsis, quamvis esse possibile permetteremus, nūquàm tamen fore Prudens, sed ab omni prudentia alienum; quod ex hucusque dictis legitime deducitur, & iterum planè convincit irritum Recentiorum conatum pro fine, quem intendunt in promovenda sua sententia. Ratio perspicua est ex doctrina jam tradita: immò argumenta omnia, quibus ostendimus memorati judicii repugnantiam, ejusdem pariter imprudentiam insignem pari convincunt efficacia.

212. Porro omnem assensum partis æquè, aut minùs probabilis,

inde à priori evicimus esse impossibilem, quia foret contra propriam naturam intellectus, ultrò aberrantis à fine proprio, & ab objecto suo specificativo, ac primario, scilicet à veritate, quam intendere debet per omnes suos actus; objectum enim æquè, aut minùs verosimile, quàm oppositum, non proponitur intellectui, ut verum, sed potius, ut falsum simpliciter, vel saltem, ut non magis verum, quàm falsum; quod patere videtur ex ipsa terminorum acceptione, & assatim à nobis est demonstratum. Hinc verò statim patet, assensum illum fore inordinatum, seu cōtra debitum rationis ordinem; quid enim magis contrarium rationi, quàm quod est contra ipsius rationalis potentiæ finem, & modum debitum operandi? Ergo foret apertè contra prudentiam, nisi cui fortè fingere libeat posse judicium aliquod esse prudens, & nihilominus irrationale, quod foret insigne delirium.

213. Promovetur hæc ratio. Prudentia verè talis, est virtus intellectus tota ordinata ad ipsum perficiendum secundum propriam suam rationem, ut nempe in suis actibus, quibus dirigit voluntatem ad agendum honestè, ac laudabiliter, rectè, & sine errore procedat, ut est communis sensus Doctorum cum Aristotele, & D. Thomæ. Quare ratio formalis, & objectum prudentiæ proprium, est verum sub ratione veri, in quo prudentia convenit cum cæteris virtutibus intellectualibus, & differt à moralibus virtutibus: cum his verò communicat, & ab illis discernitur, quia præ aliis virtutibus intellectualibus respicit bonum tanquam propriam materiam, ob ordinem, quem dicit ad appetitum rectum, ad cujus actus movet, ac dirigit. Denique ratio propria, & formale objectum prudentiæ, est verum, ut contractum ad bonum morale, & honestum. Unde tandem concluditur, quod munus adæquatum prudentiæ sit dirigere,

D. Tho.

voluntatem ad electionem boni moralis, & simul intellectum perficere secundum propriam suam rationem, nempe, per cognitionem veritatis, quæ proprium est ipsius objectum. Quæ omnia sæpè docet, & perspicue demonstrat Angelicus Magister, præsertim 2.2. ad q. 47.

214. Hinc evidenter patet, assensum, de quo loquimur, probabilem non fore, sed ab omni prudentia alienum; nulla namque prudentia dictare potest liberam electionem assensus, per quem verosimilius, aut æquè saltem verosimile sit, intellectum non assequi re ipsa veritatem, sed potius in errorem positivum impingere. Sanè dictamen illud foret apertè falsum, & erroneum, adeoque non perficeret, sed depravaret potius intellectum, nec voluntatem rectè dirigeret, sed ad peccatum potius impelleret, quod, evidenter inordinatum, & notoriæ imprudentiæ est.

215. Confirmatur, & declaratur. Ipso naturæ lumine, & sapientum consensu notum est, omne dictamen voluntati proponens, tanquam medium conducens, & eligibile ad finem, quem intendere debet, medium prorsus ineptum, & quod non magis habeat finem ipsum inducere, quam ipsum impedire, & inducere malum oppositum; & à fortiori si magis habeat impedire debitum finem, & inferre oppositum malum: evidens, inquam, est, huiusmodi dictamen falsum esse, & erroneum, adeoque imprudens, ac temerarium. Aut, si hoc non sit evidens, desperet intellectus humanus nunquam non falli, vel delirare.

216. Atqui omnis assensus partis æquè, aut minùs probabilis, est medium, quod ex se magis habeat inducere, vel non minùs, errorem positivum, quem intellectus naturaliter fugit, & impedire veritatem contrariam, quam naturaliter amat, & quærit, & quam voluntas debet, tanquam finem intendere per omnes actus intellectus, quos imperat. Ergo

omne dictamen proponens voluntati memoratum assensum, tanquam medium conducens, & eligibile ad veritatis assecutionem, quam debet velut finem intendere, est evidenter falsum, & erroneum, adeoque temerarium, & imprudens: ergo omnis assensus procedens ex præfato dictamine, nulla ratione ad prudentiam pertinet, sed evidenter illi repugnant: ergo omnis assensus partis æquè, aut minùs probabilis, est apertè contra prudentiam, adeoque absolute improbabilis.

217. Hæc, quibus nihil nobis evidentius apparet, exemplo facili illustrari possunt, quo cunctis patentia reddantur. Qui dubius circa viam eligendam, ut perveniat ad terminum sibi præfixum post consultationem adhibitam, viam arriperet, quam ipsemet agnoscit æquè, vel magis verosimiliter ducere in precipitium, quam in terminum destinatum, insigniter imprudens, ac temerarius haberetur ab omnibus verè prudentibus; maximè si ab itinere capto nullo ferè negotio posset desistere, & omne cavere periculum. At hæc est hypothesis nostra: nam terminus, ad quem per omnes suos actus intellectus debet contendere, est veritas, quæ *anima nihil fortius desiderat*, ut Augustinus dixit: quare voluntas etiam, ut rectè intellectum gubernet, eundem finem debet inquirere per omnes actus ipsius intellectus, ad quos potest ipsum movere; contemplationis nanque *bonum, ac malum, verum est, atque falsum*, ut Philosophus docet: nequit autem voluntas, nisi perversè agendo, intellectum avertere à suo proprio bono, & ad malum ipsum impellere, ut nemo non stultus negabit. Nec quisquam hic intrudat importunissimè vulgarem Recentiorum distinctionem de probabilitate speculativa, vel practica (de qua mox fusè dicendum est), nisi, qui terminos non intelligat.

218. Ad hæc, quando intellectu

Aug. tr. 26.
in Ioan.

Aristo. 6.
Ethic. c. 2.

utriusque rationes occurrunt dubiam veritatem reddentes, tunc invenitur quasi in bivio positus, medius scilicet inter duas semitas invicem sibi oppositas, quibus contendat ad ipsam veritatem per determinatum assensum: ergo, si facta consultatione, & collatione ipsarum rationum eligat assentiri ex libero voluntatis imperio parti, quæ sibi, omnibus inspectis, apparet æquè, aut minùs verosimilis, quàm opposita (& quidem potens facilè, vel eligere partem verosimiliorem, vel assensum omnem suspendere), perinde omninò est, ac si eligat viam, quam ipse agnoscit æquè, vel magis verosimile esse, quod ipsum in errorem præcipitet, quàm quod ad veritatem rectà perducatur; quod manifestè imprudentiæ est, & temeritatis insignis. Sanè, si electio ista, benè cum prudentia conveniat, non nisi insipienter, & falsò, prudentiam expressisset Augustinus, dum quasi rem notissimam de illa proferebat, *Quid illa virtus, quæ prudentia dicitur? Non ne tota vigilantia sua bona discernit à malis, ut in illis appetendis, istisque vitandis, nullus error obrepatur*. Evidens ergo sit, omnem electionem assensus partis æquè, aut minùs probabilis, fore imprudentem, ac temerariam. Ergo evidens est, omnem istiusmodi assensum, etsi foret possibilis, ab omni semper fore prudentia alienum, adeoque nunquam verè probabilem.

Aug. 19. de
Civit. Dei
c. 4.

§. III.

Corollarium tertium: Utilitas nostræ sententiæ.

219. **D**Educes tandè tertio, quantum sententia nostra totà hanc controversià stabilita, solidissimèque firmata, verè faciat ad rectam decisionem Theologicæ, & potissimæ controversiæ, quam instituimus Controv. proxima, ut nostri laboris scopum, & ad sequentes disputatio-

nes plenè decidendam remisimus.

Enim verò, si nunquam fieri potest, ut intellectus actu judicet veram opinionem alterius, cujuscumque ea sit, quam videt esse innixam fundamentis levioribus, aut non-gravioribus, fundamentis partis contrariæ: in primis altera ex duabus viis, quibus incedunt Probabilistæ, jam penitus per hoc ipsum occlusa, & impermeabilis remanet, cum unicuique ipsius fundamentum deficiat.

220. Utrique Recentiores, qui cum P. Esparza fatentur, neminem uti posse opinione non existente formaliter, aut subjectivè, in intellectu ipsius operantis, neque per ullam reflexionem possibilem licitum mihi fieri posse amplecti objectum, quod Auctores alii, etiam plurimi, atque gravissimi, opinantur licitum esse, nisi, & ego ipse cum illis hoc ipsum actu judicem judicio absoluto, ac directo: qui in hoc, inquam, Theologico principio verissimo, ac certissimo (ut nos censemus, ac demonstramus, & ipse Esparza egregiè demonstrat) statuendo nobis consentiunt, non aliter tuentur, neque tueri possunt probabilistarum sententiam, quàm propugnando simul intellectus indifferentiam, & potestatem proximam ad opinandum æquè, vel etiam minùs probabilia, ut facilè quisque videbit. Igitur, statutà nostrà sententià, quæ potestatem illam nullam esse convincit, nemo per viam istam incedere jam potest ad propugnandum Probabilismum.

221. Præterea, via altera communissima Recentioribus, quos Reflexistas vocare solent, qui nimirum præfatum Theologicum principium abnegantes, per reflexionum artificium docent rectam, ac tutam formare conscientiam: hæc etiam via, inquam, stabilità nostrà sententià, quamvis non adeò clarè, reverà tamen non difficilis tantum, sed etiam penitus manet impervia, ut præced. §. satis ostensum est.

Equi-

222. Equidem Recentiores viâ istâ gradientes, quamvis doceant non esse opus, ut operans veram existimet opinionem directam, quam amplectitur, suâ libertati faventem; non negant tamen, sed omninô supponunt, debere saltem illam judicare verè probabilem, & conformem rectæ rationi, adeoque consentaneam prudentiæ legibus, & quidem prorsus certò, & citra omnem ambiguitatem, ut communiter jam affirmant. At quis non videat, prorsus impossibile esse, me opinionem alienam, quam, omnibus inspectis, absolutè judico falsam, aut aut saltem veram judicare non possum, existimare simul certò, & in-hæsitanter esse verè probabilem, & prudentiæ legibus consonam? Num-

quid, precor, error, aut falsitas cense-ri ab ullo potest indubitanter veritati conformis? An verò, quod repugnat veritati, rectæ rationi consonum judicabitur, ab aliquo, qui utatur recta ratione? Quod autem pugnat cum ratione recta, benè cum prudentia conveniet? Quis affirmare audeat? Profectò nemo.

Sed quia latius hæc postmodum urgenda sunt, & multipliciter demonstranda, sufficiat modò leviter adumbrasse utilitatem maximam, & momentū sententiæ nostræ ad evitandum Probabilissimum, quacumque demum viâ à Recentioribus propugnatur, ut interim ad alterum capitale principium, cui Reflexistæ penitus innituntur, expugnandum, gradum faciamus.

CONTROVERSIA SEXTA.

Utrum Lex, contra quam aliqua existit opinio probabilis, etiam in sensu Probabilistarum, hoc ipso satis promulgata non sit, ideoque nullam habeat vim obligandi?

Haud mirabor, si Lector meus, qui in Theologia, vel Jure omninô peregrinus non sit, & aliunde Terillum, aut Recentiores ipsius assecras, nunquàm viderit, aut evolverit, ad titulum quæstionis propositæ, ut ad rem novam, & incredibilem, non modò mirabundus subsistat, sed & attonito similis hæreat. Quid ni verò? Ita ne, opinio contra legem, etiam falsa, quæ nempe falsò neget, aut legis existentiam, aut extensionem ejus ad casum aliquem particularem, tantam habere potest efficaciam, ut legis auferat promulgationem, totamque ipsius vim obligandi non solùm impediatur, aut supprimatur, verùm etiam de medio tollatur? Unde hoc? aut quis unquam de re ista quæstionem movit? Nemo profectò ante P. Terillum, qui nihilominus, ut mirere magis, non solùm hoc in quæstionem adducit, sed etiam partem affirmativam adeò confidenter propugnat, ut tanquam principio certissimo, ac firmissimo fundamento, totam illi superimponere Probabilissimi molem, non ambigat. Nolim autem, ut Lector per hyperbolem hoc, aut exaggerationem dictum existimet. Quare, ut præsentis controversiæ momentum dignè pro suo merito æstimet, aut attendat, id ipsum ante omnia demonstrandum à nobis est ex Probabilistarum principiis. Et verò sensum ipsum quæstionis nequaquàm aliter posse intelligi, facile quisque ex dicendis cognoscet.

ARTICULUS I.

Legem in eventu questionis satis promulgatam non esse, nec habere vim ullam obligandi, esse primum, & ultimum fundamentum, cui cetera omnia innitantur, & sine quo nullatenus Probabilismus possit subsistere, demonstratur aperte ex Probabilistarum principiis.

2. **Q**uale sit hoc principium, seu fundamentum Probabilismi, vel simplex propositio ejus, sufficienter patet demonstrat, & nos præterea in hac disputatione facile, ac luculenter demonstraturi sumus. Unde si clarè quoque ostendamus, quod ostendendum modò suscipimus, controversiam potissimam planè absolvimus, totamque à fundamentis Probabilismi machinam destruximus. Tanti profectò momenti est præsentis controversiæ scopus: ut molestè Lector non ferat, si iterum, ac iterum deprecemur per Dominum JESUM, & per salutem animæ suæ, ne hæc præcipuè, quæ modò damus, aut lectione festina, aut communi attentione præterire patiatur; sunt enim per se ipsa quadantenus obscura, & non parùm etiam subtilia, quæque proinde expeditos oculos, & intentam mentem deposcant. Faciemus tamen, Deo favente, ut reflexionum tenebris veritas obvoluta non ultrà lateat, sed claram se conspiciendam præbeat ultrò caligare nolentibus.

§. I.

Comparatur Probabilismus ad principia supra statuta de regula moralis honestatis.

3. **P**incipiò igitur breviter revocanda sunt in memoriam tria illa principia capitalia, & fundamenta totius Operis, quæ præjacta relinquimus in prima Controversia, & esse semper præ oculis habenda, seriò Lectorem nostrum monuimus. Primum nimirum, legem, seu voluntatem Dei esse regulam primam

totius honestatis moralis, cui omnem nostram operationem concordare re ipsa seriò, & ex toto corde satagere semper debeamus. Secundum, omnem opinionem nostram, aut dictamen nostræ rationis, seu dirigat, aut regulet remotè tantum, & objectivè, seu formaliter etiam, ac proximè, non esse primam, & independentem, sed regulam absolute secundam, & essentialiter subordinatam, ac subiectam regulæ primæ. Tertium, quod ex duobus legitimè consequitur, omnem secundam regulam, ut recta sit, debere conformari positivè, & formaliter, regulæ primæ, à qua omnis rectitudo descendit. Unde tandem concluditur, nullam elici posse operationem bonam, ac rectam, nisi operans cognoscat, ac judicet, regulam secundam, qua utitur, (non loquor de formali, sed de objectiva) conformari re ipsa regulæ primæ.

Ex his principiis (de quibus quoad rem ipsam nemo Theologus dubitat, immò nemo Catholicus), tanquam ex regulis, ac mensuris apud omnes infallibilibus, examinemus jam, ac metiamur Probabilismi moderni fabricam, & capitalia fundamenta ipsius. Et non agimus modò cum Probabilistis directis, quorum viam scilicet penitus jam præclusimus, sed cum Reflexivis duntaxat, nempe cum Caramele, Terillo, & cæteris, qui reflexionum viâ gradiuntur.

4. Sic ergo contra eos licet arguere. Omnis opinio æquè, aut minus probabilis non subjectivè, sed objectivè tantum in mente operantis existens, actu ab ipso cognoscitur, aut proximè cognosci potest, ut falsa,

sa, & ut discordans à prima regula, vel saltem ut indifferens, & omnino præscindens, tam à conformitate, quam à contrarietate; quid enim aliud est aliquam opinionem cognosci ab operante, æquè, aut minùs probabilem, quam contrariam? Porro si opinio aliqua cognoscitur æquè, aut minùs probabilis, existimatur æquè, aut magis verosimile esse, illam esse re ipsa falsam, adeoque oppositam divinæ legi. At regula objectiva operanti proposita, ut discordans à prima regula, vel non ut eidem conformis, sed ut præscindens à discordia, & consensu, non potest esse regula recta, adeoque nec potest fundare regulam formalem, ac proximam, quæ mala, & obliqua non sit: ergo nulla ejusmodi opinio est regula objectiva moralis honestatis: ergo fundare nequit rectam aliquam regulam proximam, ac formalem. Totus iste discursus, inspecta illa opinione directa secundum se, & ex proprio suo conceptu, est evidenter evidens ex principiis præjactis.

5. Id verò, cum Terillus facile videat, ut hoc infirmum fundamentum fulciat, & nutans ædificium confirmet, ubique appellat ad principia reflexa. Sed verat ille se, quod voluerit, nam supra fundamentum hujusmodi nihil unquam firmum statuet, quamvis Theologiam totam invertat.

§. II.

*Artificium reflexi Probabilismi
luculenter exponitur ex
Terilla.*

6. **A** It igitur, opinionem directam minùs tutam (nam de hac semper loquimur) minùs, aut æquè tantum probabilem ab operante cognitam, ut talem, seu (quod eodem redit) objectivè in ipso existentem, non posse quidem proximè, & immediatè fundare rectam

conscientiæ regulam, utique formalem, ac proximam, & id nostro argumento plusquam evidenter convinci; optimè tamen posse mediatè, atque remotè, quatenus proximè, & immediatè fundare potest principia reflexa, quibus supervenientibus, redditur jam non modò opposita opinione probabilior, sed etiam penitus certa, & evidens.

At nos non dicimus, inquit Terillus, opinionem minùs probabilem directè solum consideratam fundare proximè, & immediatè rectam conscientiæ regulam proximam, ac formalem, sed solum indirectè consideratam, videlicet, quatenus substat diversis principiis reflexis omnino certis, & evidentibus, à quibus certa, & evidens constituitur. Ut certa verò, & evidens, quidni fundare immediatè possit regulam proximam rectam, & optimam, idest ultimum conscientiæ dictamen penitus certum, & infalibile de rectitudine operationis? Ita passim Terillus in suo utroque Opere.

7. Principia autem reflexa, quæ opinionem directè minùs probabilem ad tantam certitudinem evehunt, alia non sunt, quam argumenta ipsa, quibus Probabilistæ sententiam suam probant, ut, vel hinc, facile deprehendatur, quàm certa sit certitudo ista, quæ tantam certitudinem impertitur. Duo verò potissima hujusmodi principia sunt, ex quibus tertium aliud consequitur (immò verò præcedit, aut in eisdem potius involvitur); reliqua nanque omnia, neque sunt multum consideranda, neque possunt sine istis subsistere. Omnium denique vis, & efficacia tota uno, & eodem cardine vertitur, ut statim monstrandum est.

8. Primum ex præfatis principiis est ille vulgarissimus discursus, qui à Reflexistis passim circumfertur, tanquam omnino certus, & evidens. Nimirum, *quisquis operatur prudenter, licitè, & honestè operatur: sed qui sequitur opinionem directam,*

N 2 etiam

etiam æquè, aut minùs probabilem, operatur prudenter: ergo licitè, & honestè operatur. Major est lumine naturæ nota: Minor, inquit, est evidens, nam quoties certò, & practicè opinio aliqua probabilis est, prudenter eam ad praxim deducimus, aliàs non esset verè probabilis, quod est in terminis implicatorium, & contra ipsam suppositionem. Denique consequentia est legitima, adeoque consequens certum, & evidens, utpotè legitimè illatum ex duabus Præmissis evidentibus. Ipsum verò præcontinet ultimum conscientia dictamen, & ut ajunt, practicè practicum, sub communi ratione acceptum, ex quo facilè quisque potest deducere in singulis quæstionibus sibi occurrentibus dictamen proprium, ac singulare, absolutè certum, & evidens de suæ operationis honestate, quod sit proinde regula proxima conscientia suæ, optima, & recta. Hoc est principium primum.

Terill. q.
23. de con-
scien. n. 43.

Ibi. n. 53.

9. Secundum autè, & ipsum evidens (si Superis placet) est illa regula ex Juribus desumpta, *In dubiis melior est conditio possidentis*: quam regulam affirmat Terillus *æquè favere Deo contra nos* (nimirum quando possidet ipse), *ac nobis contra Deum*, quando scilicet possidet nostra libertas. Nota modum loquendi Recentioribus familiarem, ut conqueri jure non possint, si contra Deum, & leges ipsius ubique pugnare dicantur, videlicet in terminis Controversiæ præsentis. Ex ea igitur regula Terillus hunc efformat discursum: *In omni dubio probabili melior est conditio possidentis. Sed hic, & nunc post diligens veritatis examen, adhuc sum in dubio probabili, an hoc objectum sit exemptum à jure mihi naturaliter competente* (nempè faciendi liberè quidquid prohibitum non ostenditur), *in cuius possessione sum, & hætenus fui: ergo melior est conditio libertatis, quæ proinde licitè potest uti hoc objecto pro suo arbitratu. Præmissæ sunt ad invicem moraliter certæ. Ean-*

dem autem certitudinem habet consequentia, utpotè ab illis legitimè deducta. Ita ad verbum Terillus.

10. Sed enim, cum non posset non videre, nunquam fieri per hæc posse, ut proxima conscientia regula, aut actio aliqua per illam regulanda, conformetur Dei voluntati: nam & principia ista, & ultimum conscientia dictamen ex eisdem tandem deductum, innituntur omninò, tanquam in primo, & unico fundamento, in regula objectiva mediata, atque remotè regulante, in ipsa scilicet opinione directa minùs, aut æquè tantum probabili, quæ ex se, ut jam vidimus, non est conformis voluntati divinæ, sed vel prorsus indifferens, vel eidem potius contraria, atque adeò penitus inopetens conformitatem aliquam refundere in illa principia, & dictamen: hæc, inquam, cum Terillus non posset nò videre, quid egit?

11. Enim verò, quia non valebat primæ honestatis regulæ conformare, nec proximam conscientia regulam, nec actionem ex ipsa regulandam, utpotè penitus dependentes à regula illa objectiva, quam primæ regulæ conformare non poterat, si hæc firma, & inflexibilis permaneret, tentavit ipsam regulam primam (quasi foret regula Lesbica), id est, divinam voluntatem inflectere, illamque conformare, ac subsequenter, facere ad illam regulam objectivam, hoc est, ad illam opinionem directam minùs, aut æquè tantum probabilem, ut sic denique ultimum conscientia dictamen, adeoque regula formalis, ac proxima operationis elicienda, conformaretur regulæ primæ: quin immò jam non primæ re ipsa, sed secundæ, ac subordinatæ judiciis hominum, vel falsis, & erroneis.

12. Duas ergo distinguit in Deo leges, seu voluntates, quarum alteram vocat primariam, & per se existentem, antecedentem, atque directam; alteram secundariam, indirectam,

etiam, reflexam, subsequentem, & non per se, sed per accidens existentem in Deo. Voluntas antecedens, & per se est illa, per quam Deus aliquid nobis præcipit, consulit, aut permittit ex primaria, ac directa sua intentione, quæ voluntas fertur in res absolute, & per se consideratas secundum proprias suas naturas, & prout independentes, & absolutas ab omni circumstantia contingenti, accidentalive suppositione nostrorum iudiciorum, vel errorum, ut cum præcipit non mentiri, audire sacrum in die festo, & id generis alia.

Voluntas autem indirecta, & per accidens, est, quæ ex aliqua hypothese à Deo non intenta, nec volita, aliquid præcipit, permittit, aut approbat, quod absolute, & antecedenter non approbat, aut præcipiebat, immò præcipiebat oppositum, ut quando Deus ex suppositione ignorantie, aut erroris in intellectu nostro existentis, quem ipse non intendit ex se, præcipit, aut consulit nobis omittere sacrum in festo sine legitimo impedimento, mentiri, pejerare, & alia huiusmodi; nam secundum Terillum, quoties hæc, & alia similia procedunt ex dictamine conscientie, vincibiliter etiam errantis (quod videretur incredibile dictum), conformantur re ipsa cum aliqua voluntate divina, indirecta videlicet, ac secundaria.

13. Audi Terillum ipsum, ne quid imponere alicui videamur; *Universaliter loquenda* (inquit) *ultimum conscientie dictamen est verum, & evidens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibili*. Ex qua assertionem sua hanc quartam conclusionem deducit, *Voluntas conformis dictamini conscientie, etiam vincibiliter errantis, conformatur cum aliqua Dei voluntate, saltem per accidens obligante, aut consulente*. Sed de his assertionibus in Theologia nunquam auditis, quas pie aures ferre vix possunt, & quæ, Terillo iudice, legitime inferuntur ex principiis

moderni Probabilisimi, haud parum in decursu dicemus, & in postrema parte latè tractabimus.

14. Nunc verò distinctionem duplicis legis, seu voluntatis Dei, quam Terillus hic invehit, ac statuit, maximèque notandam commendat q. 11. de consc. n. 11. ulterius extendit, & ampliat q. 28. à n. 12. & alibi passim, ad omnem casum cuiusvis opinionis, etiam æquæ, aut minùs probabilis, nostræ libertati faventis; nam ex illius suppositione jam Deus nobis permittit, aut approbat id ipsum, quod per se, & antecedenter re ipsa prohibet, aut saltem nobis verosimilius est, Deum prohibere re ipsa. Et quasi hæc doctrina adeò incredibilis, & inaudita, foret ex ipsis terminis nota, aut passim à Theologis tradita, nulla ratione, aut auctoritate Terillus illam probat, sed ex simplici tantum propositione, ac terminorum explicatione ab omnibus recipiendam supponit. Atque hoc est tertium principium, ac firmissimum fundamentum, quo tantæ molis ædificium confurgit.

15. Posita ergo in Deo hac voluntate reflexa, & consequenti legis, seu voluntatis antecedentis relaxativæ, aut revocativæ, jam facile intelligitur (inquit Terillus) quomodo proxima conscientie regula, & actio ipsa per illam regulanda, conformentur cum prima regula, nimirum cum hac ipsa voluntate, seu lege Dei reflexa, ac subsequenti, quæ ex prædicta suppositione opinionis probabilis directæ necessariò intelligitur in Deo. Et consequenter fit, ut opinio minùs probabilis, quæ directè considerata fundare nequit proximè, & immediatè rectam conscientie regulam proximam; si tamen indirectè inspicatur (hoc est, quatenus subest memoratis principiis certis, & evidentibus) optimè, & facile possit illam fundare. Unde tandem apparet, quàm rectè in sententia benigna omnia principia inter se cohæreant, & solidissimè stabiliantur. Ita P. Terillus

Terill. q. 17. de conscientia. n. 44.

Ibi. nu. 45.

lus ubi nuper, & passim alibi, quæ in posteriori Opere de regula morum frequenter etiam repetitur, & inculcat.

Hæc est moderni Probabilismi subtilis juxta, ac solida fabrica, cujus mirabilem structuram toties Recentiores commendant, & quam Terillus vocat *mysterium*, quod Auctores sententiæ nostræ intelligere nunquam possunt, qui propterea, dum arguunt contra Probabilistas, nihil aliud, quàm aerem verberant, enormiter errantes circa benignæ sententiæ sensum, quasi videlicet Recentiores statuerint pro regula formali, ac proxima, opinionem directè minùs probabilem, quo nihil apud ipsos magis absurdum, & ab eorum sententiâ alienum.

Terill. illa
7. 28. n. 14.

16. Cæterum artificium Probabilismi, quantumcumque mirabile, atque subtile à Recentioribus prædicetur, Auctoribus sententiæ nostræ non tantum negotium facescit; neque difficile nobis intelligi, sed probari, difficile semper videtur. Callemus ergo facile, & intimè, artificiosum Recentiorum inventum ultròque in illo *mysterium* agnoscimus. Sed vis audire quale *mysterium*? Sane *mysterium* nobis, & ingens planè *mysterium* est, sententiâ usque adeò difficilem, & innixam principiis adeò debilibus, adeò in Theologia novis, ac insolitis, tot, tamque doctis, ac subtilibus viris, in controversia tanti momenti tam altè persuaderi potuisse. Miramur ergo, & nunquam satis miramur, quod Probabilistæ non videant, se, dum infirmum illud fundamentum, quod est totius fabricæ basis, per sua principia reflexa adeò operosè fulcire, moliuntur, nihil aliud tandem efficere, quàm principium semper petendo, interminabilem circulum claudere, & nihil aliquando concludere.

§. III:

Expositi artificii fallacia demonstratur.

17. **I**D, ut evidens fiat, utque Probabilismi *mysterium* adeò arcanum palàm, & citra ænigmata, omnibus revelemus, sic arguamur. Finge tibi, me velle propugnare sententiâ benignissimam ab Innocentio XI. jam damnatam, nimirum, usum licitum cujusvis opinionis tenuiter duntaxat, aut (quod eòdem redit) probabiliter tantum probabilis; sic enim modò Recentiores communiter exponunt sensum opinionis confixæ de tenui probabilitate. Opponis mihi, opinionem illam esse non posse rectam conscientiæ regulam, quia primæ regulæ non concordat. Ajo, me non intendere, ut sit regula proxima, ac formalis, sed objectiva tantum, & remota.

18. Replicas, neque hoc posse fieri, quia regula objectiva secundaria debet etiam esse conformis primæ, ac supremæ regulæ moralis honestatis, alioqui nunquam poterit fundare proximam, ac formalem conscientiæ regulam, quæ sit recta, & conformis regulæ primæ. At opinionem illam tenuiter probabilem, eam conformitatem non habere, atque adeò non posse remotè adhuc, & objectivè fundare rectam conscientiæ regulam. Repono, id verum esse, si memorata opinio directè tantum consideretur; falsum verò, si etiam indirectè, & prout subest principiis à te productis (utique certis, & evidentibus), à quibus certa, & evidens constituitur: ut certa verò, & evidens, quidni fundare facile possit ultimum cōscientiæ dictamen, quod sit regula proxima recta, & conformis supremæ regulæ?

19. Instas principia illa, & ultimum conscientiæ dictamen, penitus dependere ab illa opinione directâ, cui prorsus innituntur, tanquam pri-

primo sui fundamento: cum ergo opinio illa non sit ex se conformis primæ regulæ, nullam conformitatem potest refundere in illa principia, & dictamen, nisi velim, ut hæc evadant recta per immediatam conformitatem ad regulam distortam, & obliquam, quæ foret stultissima cogitatio. Unde evidenter sequitur, quod nec possit vicissim opinio illa à prædictis principiis rectitudinem ullam, aut veram aliquam conformitatem mutuari.

Sed facile obviam ibo ex illa tua commendata doctrina, & subtilissima distinctione duplicis legis, seu voluntatis Dei antecedentis, & subsequæ. Reponam igitur, his optime probari, ultimum dictamen conscientiæ, & actionem ex ipso regulandam, non conformari voluntati Dei antecedenti, directæ, & per se; secus verò voluntati reflexæ, consequenti, & relaxativæ voluntatis antecedentis. En mihi hætenus nihil opponis, quod in caput tuum non retorqueam sub eadem forma arguendi.

20. Quid tu deinde? Urgebis tandem me, & insuperabiliter quidem. Ais scilicet, penitus repugnare legem, seu voluntatem Dei consequentem, cui ultimum conscientiæ dictamen, & operatio ex illo elicienda aliquomodo conformetur, si pendeant, ut à primo fundamento, ab opinione illa directæ tenuiter tantum probabilis. Ratio evidens est; quia fieri non potest, ut voluntate tua reflexa, aut consequenti, Deus actionem aliquā approbet, aut præcipiat, nisi ex suppositione cognitionis, qua ipsa ab operante existimetur conformis voluntati divinæ antecedenti, atque primariæ, quam homo querere per se tenetur ex toto corde, & ex tota mente; nisi fortè velimus, ut Deus approbet, aut præcipiat per suam voluntatem reflexam, quod homo non intendat ferri, & per se agere juxta Dei voluntatem antecedentem, atque directam,

sed potius voluntariè operetur id, quod ipse cognoscit divinæ voluntati antecedenti non conformari, aut saltem, quod ab eo præscindat; quod nemo non blasphemus potest asserere.

At ille, qui operatur ex vi aliqujus opinionis directæ tenuiter tantum probabilis, nequit existimare, operationem suam conformari voluntati divinæ antecedenti, ut primæ regulæ moralis honestatis, cum videat, opinionem, quam assumit, ut regulam secundam, & objectivam operationis suæ, ei voluntati non conformari, sed eidem potius opponi. Ergo non potest Deus voluntate sua reflexa talem operationem approbare; alioquin approbaret, & vellet, ut divina voluntas absoluta, ac directæ, scienter, & prudenter contemneretur, qua nulla potest major blasphemia cogitari. Ruit igitur tota artificiosa nostra structura, quæ tam infirmo fundamento innitatur. Convincor equidem.

21. Caterum quis non videat, eodem argumento te pariter debere convinci? Porro opinio directæ minus probabilis (idem hic, & ubique cum sua proportionem dictum intelligatur, si opinio sit directæ minus tuta, & æquè probabilis, ne cum radio Lectoris utranque semper exprimere cogamur): omnis, inquam, opinio minus probabilis nunquam ab operanti cognosci potest, ut regula objectiva conformis legi Dei, seu voluntati ipsius antecedenti, sed ut eidem potius opposita, ut superius monstratum est, & vel ex ipsis terminis patet. Ergo non potest Deus ex talis cognitionis suppositione approbare, aut præcipere operationem ex ea opinione eliciendam, per voluntatem aliquam subsequentem; aliàs præciperet, aut approbaret, quod homo voluntatem, & legem suam antecedentem, ac primariam contemneret. Ergo repugnat, ut ea opinio fundare possit aut principia reflexa, aut voluntatem Dei subsequentem, aut denique conscientiæ di-

dictamen ullum, quod sit recta operandi regula. Sanè discrimen omne (si quod reverà datur) inter utranque probabilitatem, est materiale omnino, atque adeò importunum ad rem præsentem, quandoquidem non facit, ut altera opinio præ altera habere possit cum prima regula conformitatem necessariam, sine qua opinio nulla rectam conscientiae regulam potest fundare.

22. Est igitur distinctio illa duplicis voluntatis, seu legis Dei, antecedentis, & consequentis, quam Terillus statuit, velut indubitam, cōmentum inauditum plurimis titulis absolute repugnans, ut facile postea ostendemus: sed, quod ad præsens attinet, prorsus inutile ad ipsius propositum, videlicet ad conformandam regulam objectivam, quam designat, cum prima regula moralis honestatis.

S. IV.

*Explico luculentius, & confirmo
discursum factum.*

23. **V**oluntas sub his terminis concepta, aut explicata, volo, seu placeo mihi, ut homo in suis operationibus non attendat, nec quaerat diligenter legem, seu voluntatem meam directam, & antecedentem, qua ipsi aliquid iubeo, aut prohibeo, nec illas tali legi serio, & ex animo conformare procuret: ista, inquam, voluntas proculdubio Deo est indigna, quippè quæ evidenter repugnet infinitæ sapientiæ, sanctitati, & rectitudini voluntatis ipsius. Certè pugnare apertè cum doctrina, quam Deus ipse in Scripturis suis non semel, sed frequenter nobis revelat, nemo Catholicus inficietur: nihil enim frequentius Scripturæ Sacræ nos docent, quàm debere nos semper ex tota mente, & ex toto corde, sicut Deum diligere, sic etiam voluntatem; seu legem ejus (utique antecedentem, ac directam) inquirere,

scrutari, amare, meditari, facere, custodire, & custodire nimis, non declinare ab illa, neque ad dexteram, neque ad sinistram, & alia id genus,

24. Atqui voluntas hæc, mihi placet, ut homo possit libere agere id, quod ipse cognoscit verosimilius esse, quod sit re ipsa contra voluntatem, & legem meam id sibi prohibentem, eadem est, re ipsa, cum ea voluntate, nec nisi voce tenus ab illa differt: ergo utraque pariter repugnat Deo: ergo hæc voluntas etiam manifestè Deo repugnat. At hæc est lex, seu voluntas reflexa, quam Terillus statuit, tãquam regulam primam, cui in hypothesis nostra ultimum conscientiae dictamen, & operatio ex illo elicienda, unice conformari debeant, ac possint: ergo lex, seu voluntas consequens ac reflexa, quam invenit Terillus, fictitia omnino est, & Deo manifestè repugnans: ergo (quod tandem legitime conficitur) illa opinio directè minùs probabilis nullum fundare potest dictamen ultimum, seu proximam conscientiae regulam, quæ primæ regulæ conformetur: ergo non est regula recta. Cætera omnia evidentia sunt, & quæ neque negentur, neque negari possint à Rectioribus. Sola Minor primi discursus neganda ab ipsis est, si melius sapere nolint incipere.

25. Cæterum ipsam quoque, haud minùs evidentem esse, nullo negotio suaderi valet. Enim verò, qui judicans verosimilius esse, operationem suam esse re ipsa contra legem directam, & voluntatem Dei antecedentem, nihilominus illam exequitur, is proculdubio non attendit, ut debet, nec quaerit diligenter legem directam Dei, nec illi se conformare desiderat, sed magis illam voluntariè contemnit. Quis porrò dicat, eum, qui voluntariè eligit medium aliquod, quod ipsemet agnoscit esse re ipsa magis connexum cum carentia alicujus finis, quàm cum ejusdem finis existentia, querere nihilominus serio, & ex ani-

animo finem illum, & non potius
carentiâ ejus? Lux ipsa non est clara,
si evidens hec non sit. Et quidem
alioqui, cur ille, qui operatur pra-
cticè dubius de suâ operationis ho-
nestate, peccat, atque contemnit le-
gem Dei, ut est certa, & commu-
nis Theologorum sententia? Profe-
ctò non ob aliam rationem, nisi
quia agit id, quod agnoscit non esse
positivè conforme legi Dei, sed in-
differens potius, ut sit contra, vel
juxtâ legem. Ergo à fortiori peccat,
& legem Dei apertè contemnit, qui
agit id, quod videt verosimilius esse,
quod sit contra, quàm juxtâ legem
Dei, directam, & primariam.

Evidens ergo est, voluntatem,
qua Deus sic agere permetteret, aut
approbaret, esse prorsus eandem, nec
nisi voce tenus ab illa voluntate dif-
ferre, qua velle, aut permetteret,
ut homo in suis operationibus non
quarar diligenter legem suam, sed
illam potius voluntariè contemnat.
Patet igitur, legem, seu voluntatem
Dei consequentem, quam P. Teril-
lus invenit, esse figmentum prorsus
inane, per quod proinde novi Pro-
babilismi subtilis, ac mirabilis fabri-
ca construi non possit, neque fulciri.

§. V.

*Nostre demonstrationis vividior
declaratio.*

26. **H**Æc, quamvis evidenter, &
ut ajunt, palmariè rem-
ostendant, illustrari adhuc possunt
particulari exemplo, quo facilius ab
omnibus percipiantur.

Ponamus opinionem directam
faventem libertati contra legem mi-
nùs, aut æquè tantum probabilem in
sensu Probabilistarum: fac, eam esse
opinionem, quæ docet, exercitium
pingendi non vetari per legem diem
festum colendi. Modò sic arguo: ve-
rosimilius est, hanc opinionem esse
re ipsa falsam, & consequenter non
conformari cum lege Dei primaria,

ac directa; unde qui velle illam am-
plecti non firmatam aliis principiis
indirectis, atque reflexis, peccaret
proculdubio, ut Probabilistæ faten-
tur. Sed quare proculdubio peccaret?
Quia ponit (ait Terillus) actionem,
quam videt esse verosimilius re ipsa
opponi legi directæ, seu voluntati
antecedenti Dei; undè arguitur evi-
denter, ipsum non seriò querere, &
ex sincero corde, legem illam, sed
voluntariè potius contemnere. Ac-
cipio libentissimè doctrinam istam
veram, & sanam.

27. Tum ultrà pergo. Atqui per
nulla principia reflexa fit, aut fieri
potest, ut operans existimet, actio-
nem suam conformari re ipsa cum ea
lege: ergo per nulla reflexa principia
formare potest dictamen prudens
(quin neque imprudens, si bene at-
tendat) de rectitudine suæ operatio-
nis, adeoque nunquam illam potest
licitè exequi. Reliqua probatione
non egent. Minor subsumpta patet
per se ipsam, nisi quis terminos non
intelligat: nam principia omnia re-
flexa ex se, & ex mente Probabilista-
rum, ad id unicè tendunt, ut liceat
absolutè, & omnibus inspectis, actio-
nem illam ponere, nò obstante quod
innitatur opinioni directè minùs
probabili; nullam tamen eidem con-
formitatem tribuunt cum lege ante-
cedenti, seu directæ, quia quæstio-
nem directam ne attingunt quidem,
nec aliquid enūtriant de illa, id ipsam
præsupponunt examinatam, & mi-
nùs probabiliter decisam pro parte
libertati favente; & omnia ex hac
suppositione procedunt.

28. Alioqui dicat quis, ex prin-
cipiis reflexis suaderi, vel concludi,
exercitium pingendi, (quod, exem-
pli gratia, posuimus) non esse servile
re ipsa, adeoque nec prohibitum le-
ge illa directæ, quæ prohibet in fe-
stis exercitia servilia. Nemo certè id
somniavit: nec de doctrinæ hujus ve-
ritate, vel leviter ambigere poterit,
qui mediocriter penetret principia
Probabilistarum, qui propterea non
di-

dicunt (ut supra vidimus) opinionem directè minùs probabilem, aut actionem ex illa procedentem, conformari, aut re ipsa, aut in mente operantis, cum lege antecedenti, atque directà, sed unicè cum lege reflexa, ad quam idèò recurrunt, ut ultimum conscientia dictamen, & operatio ex illo procedens, cõformentur cum aliqua voluntate divina, atque adeò cum prima rectitudinis regula.

29. Ex his patet ad oculum, ut ajunt, cum, qui tali opinioni innixus voluerit pingere in die festo, si rogetur, an actio, quam exercere intendit, conformetur revera cum lege Dei directà, ac primaria? etiam si mille fecerit reflexiones, & infinitas reflexionum myriades, post omnes, velit, nolit, fateri tandem palàm debere se penitus nescire, immò esse sibi verosimilius, actionem suam verè, illi legi non conformari, sed eidem potiùs opponi; aut contingens omninò esse, & aequè verosimile, quod opponatur, si nempe opinio fuerit aequè probabilis. At, qui sic operatur, non quærit diligenter legem Dei, neque seriò desiderat actionem suam illi conformare, sed legem potiùs voluntariè contemnit, ut fatetur Terillus, & nemo sanæ mentis potest negare. Ergo quicumque sequitur opinionem directè minùs, aut aequè tantùm sibi probabilem, per nulla reflexa principia formare potest conscientiam rectam, adeòque nec honestè operari.

30. En ergo deceptionem nimis conspicuam Recentium Probabilistarum: en circulum vitiosum adeò per se patentem, ut sit admiratione, & stupore dignum, quod ab ipsis non deprehendatur. Nimirum volunt ultimum conscientia dictamen, adeòque proximam conscientia regulam, rectam demum producere, & conformem regulæ primæ, per conformitatem ad regulam objectivam, atque remotam (nempe opinionem minùs probabilem) non concordatam cum prima regula, sed

eidem potiùs oppositam: & hanc rursus conformem, & rectam demum reddere volunt per principia reflexa, quæ, utpote eidem regulæ objectivæ conformia, nequeunt non discordare ab ipsa prima regula. Perinde ac si contendas, ultimum complementum, supremumque ædificii fastigium, rectum esse, ac conforme regulis artis, cum tamen fatearis esse prorsus conforme, & exactum ad basim, seu primum fundamentum non rectum, sed vitiosum, & contrarium eisdem regulis: & rursus de hoc ipso fundamento affirmes esse rectum, & secundum regulas artis, quia exactè correspondet fastigio, quod supponitur non esse rectum, quippe quod fatearis esse omninò conforme fundamento non recto.

31. Mirareris tu magnus Reflexista, si quempiam sic ratiocinantem audires, ipsumque, vel jocari, vel delirare diceres. Sed vide quæso ratiocinium tuum, & ostende, si potes, aliquod, vel levissimum discrimen. An non palàm fateris, opinionem directè minùs probabilem, secundum se, ac seorsim à principis reflexis, non conformari cum regula prima, idest, cum voluntate, seu lege Dei directà? Fateris utique, neque negari potest ex ipsa terminorum acceptione. An non principia tua reflexa, & ultimum conscientia dictamen, nihil aliud affirmant, aut intendunt, quàm opinionem illam licitè posse ad praxim deduci? Nihil aliud affirmant, aut intendunt. Quid verò est affirmare, opinionem directam licitè posse ad praxim deduci? Profectò nihil aliud (si non tantum sonitum vocum, sed rem significatam attendas), quàm affirmare, opinionem illam esse regulam rectam objectivam, proindeque conformem cum prima regula. Utrique, si reflexa principia tua affirmarent, licitum esse operari ex illa opinione, licet contraria sit legi Dei, vel præscindendo ab eo, quod sit jux-

juxta, vel contra legem, aut nihil id omninò curando, non modò falsa essent, sed etiam prava, & impia; hoc enim foret palàm affirmare nihil esse attendendam legem divinam, sed potiùs licitè contemni posse; quæ nulla execrabilior blasphemia.

32. Tum sic: reflexa tua principia nihil aliud affirmant, aut intendunt, quàm opinionem illam directam esse regulam (utique remotam, non formalem, sed objectivam) rectam, atque conformem regulæ primæ, idest, legi divinæ antecedenti. At hoc est evidenter falsum, ut tu ipse fateris, & supponis, qui propterea recurris ad legem consequentem, ac reflexam: ergo reflexa principia tua sunt evidenter falsa, atque adeò non recta, utpote rectitudinem affirmantia de regula objectiva, quam supponis non esse rectam. Aliunde verò intendis eandem illam regulam objectivam reddere tandem rectam, & conformem regulæ primæ per illam eandem principia reflexa. Igitur principia reflexa, & ultimum conscientie dictamen vis conformare cum prima regula, per regulam remotam, & objectivam, non rectam, sed contrariam eidem primæ regulæ: & rursus hanc eandem regulam objectivam contendis esse rectam, & conformem regulæ primæ, propter conformitatem cum eisdem principis, quæ nullatenus recta sunt, utpote quæ dependent omninò à regula objectiva non recta. Hoc verò quid est aliud, quàm supremum fastigium ædificii velle reddere rectum, & conforme regulis artis per exactam conformitatem cum primo fundamento ejusdem ædificii, quod fateris non esse rectum: & rursus de hoc ipso fundamento contendere, quod rectum sit, quia omninò conformatur cum illo fastigio non recto? Sanè ex parte materiæ longa distantia est: de cætero disparitas nulla.

§. VI.

Dilucida dictorum complexio, qua Recentiorum omnis præcluditur evasio.

33. **D**Enique in re clarissima ne te diutius moremur, sed ut dicta paucis accipias, inquiramus à Reflexistis, utrum dictamen ultimum universale, quod post considerata omnia principia sua reflexa eliciunt tandem certum, & evidens de actionis eliciendæ honestate, nimirum, *licet agere secundum opinionem minus tutam, & directè minus probabilem*, utrum, inquam, dictamen hoc affirmet honestatem operationis sine respectu ullo, aut attentione ad legem Dei primariam, ac directam; an cum respectu debito potiùs, & quærendo sincerè dictam divinam legem, ita ut ejus dictaminis sensus sit, *operationem illam esse honestam, idest, conformem legi divinæ antecedenti, atque directæ*? Primum sanè non dicent Recentiores, neque potest Catholicè affirmari, si nemo potest legem divinam honestè, & laudabiliter contemnere.

34. Secundum patet esse evidenter falsum; quia nemo eliciens operationem, de qua agnoscit, inspectis omnibus, verosimilius esse, quod sit re ipsa contra legem Dei antecedentem, atque directam, quærît seriò, & ex animo legem illam, nec judicare potest prudenter (quin neque ullo modo), operationem suam conformari re ipsa cum tali lege, ut demonstratum manet, & patet, vel ex terminis ipsis. Immo patet ad homines ex ipsa confessione Recentiorum; ideò nanque confugiunt ad reflexa principia, quia, si opinio directè minus probabilis secundum se inspiciatur, & seorsim ab illis, nec conformatur cum lege Dei, neque potest inferre operationem rectam, & conformem eidem legi: unde, si aliquis uteretur opinione prædicta nudè ac-

ceptâ, & non firmatâ per reflexa principia, palàm convinceretur, & evidenter, non querere sincerè legem Dei, sed illam potiùs voluntariè contemnere. Quare? Nempè, quia videt, verosimilius esse, præfatam opinionem esse falsam, adeoque operationem juxta eam elicitam, fore reipsa contra legem Dei. Nonne hæc est ipsa Recentiorum doctrina? Nonne de nostræ sententiæ Auctoribus propterea sine termino conqueruntur, quod sinistrè intellexerint sententiam suam, quasi videlicet ipsi vellent, ut honestè quis operetur agendo juxta illam opinionem directam nudè sumptam, & non firmatam per principia sua reflexa? Lege, si vis, Terilli, vel duas saltem paginas, & mirum, si non decies querelam istam repetitam invenias.

35. At, quidquid sit pro nunc, an principia reflexa operationem illam reddant tandem conformem alicui voluntati, seu legi Dei reflexæ, ac consequenti, evidens saltem est, quod illam nullo modo reddere possint conformem voluntati, seu legi antecedenti, quia reflexa principia (de quibus modò est sermo) opinionem directè minùs probabilem non possunt facere reipsa veram, aut conformem suo objecto directo: quin immò (vide, quàm longè absint) supponunt, ipsam aut esse falsam, aut saltem esse verosimilius, quod sit falsa reipsa, & hac facta suppositione, affirmant, adhuc licitum esse uti opinione illa minùs probabili, ut substat principiis reflexis: ergo post omnia reflexa principia non potest operans non videre, verosimilius esse absolute, & simpliciter, opinionem directam, quam amplectitur, esse reipsa falsam, & consequenter operationem suam reipsa contra legem Dei antecedentem, atque directam. Atqui sic operari est violare formaliter legem directam Dei, illamque voluntariè contemnere, ut ex se evidens est, & Probabilistæ non negant, cum totus eorum conatus sit hoc inconveniens

vitare: ergo per nulla reflexa principia fit, aut fieri potest, ut rectam quis conscientiam efformet secundùm illam opinionem directam.

36. Est ergo apertè vanus, & irritus totus Recentiorum conatus, si ædificium Probabilismi, quod tanto molimine adstruunt, fundari debeat per respectum, & ordinem ad legem Dei primariam, ac directam, tanquàm ad primam regulam rectitudinis ejus. Quomodo nanque poterit ædificium constare, si primus ipse lapis, quem ponunt, nempè opinio directè minùs probabilis, cui cætera omnia adstruuntur, jam discrepat ab ipsa rectitudinis regula? Perinde sanè est, ac si contendas, aliquod materiale ædificium rectum demum consurgere, & regulis artis conforme, cum primus lapis, cui totum est innixum, & exactè commensuratum, rectus non sit, sed porius obliquus, & contra ipsas regulas artis.

37. Una est igitur via (certè non duæ) construendi ædificium rectum, aut saltem non obliquum formaliter, nimirum si absolvatur ab attentione omni, ac respectu ad prædictam legem primariam. Cumque hoc fieri nequeat, si lex illa reipsa maneat (alioqui liceret ipsam contemnere, quod nemo Catholicus dicat), reliquum tandem est, ut lex illa de medio tollatur, ita ut in se non sit, nec ullam ex se habeat vim obligandi, quoties datur opinio probabilis contra ipsam.

§. VII.

Concluditur necessitas recursus Probabilistarum ad principium Terilli de insufficienti legis promulgatione.

38. **V**idit hoc demum P. Terillus; & quia optimè novérat, vim intrinsecam legis, seu virtutem ipsius ad obligandum, constitui quoad substantiam per promulgationem legitimam, qua subditis in-

innotescere possit, ex hoc unice capite legem antecedentem, atque directam Dei extinguendam omnino, atque removendam putavit semper, ac datur opinio probabilis etiam falsa pugnans pro libertate contra legem, quod locus tandem expeditus maneret pro constructione novi aedificii ad novam quamdam regulam exigendi, ut Probabilissimus stabiliretur.

39. Docuit ergo primus, & sine Auctore (uno tantum excepto Caramele, qui jam prior id insinuaverat, ut propugnaret illud laxissimum suum dogma, jam à fortiori per Ecclesiam damnatum, de non certitudine legis): docuit, inquam, Terillus, & suadere pro viribus conatus est, legem in omni eventu, in quo existat opinio verè probabilis in sensu Probabilistarum, negans ejusdem legis obligationem, non esse sufficienter promulgatam, adeoque nec habere vim ullam obligandi, neque esse re ipsa legem, nisi purè Grammaticaliter, idest, quoad vocis sonitum tantum.

Hinc consequenter docet, ultimum conscientiae dictamen, seu, quod eodem redit, proximam, ac formalem agendi regulam, & actionem ex illa procedentem, nec conformandam esse, nec comparandam ad legem illam antecedentem (quippe quæ lex non sit, nisi nomine tenus), sed ad legem reflexam, consequentem, atque per accidens existentem in Deo, quam Terillus etiam invenit, & quam ex ipso expressimus ad hujus articuli initium.

40. En igitur arcanum, atque mirabile benignæ sententiæ mysterium palam, & citra ænigmata revelatum. En unicum principium, in quod cætera omnia resolvantur, tanquam in fundamentum primum, & ultimum, cui Recentiores Probabilistæ immensam non verentur adstruere totius Ethicæ Christianæ molem, & aeternæ salutis pondus. Porro reliqua omnia principia, aut fun-

damenta, quibus innititur Probabilissimus, non solum in se ipsis nova etiam sunt, & impugnata facillima, ut suis locis monstrandum est; sed, quod ad præsens attinet, penitus inutilia, quippe quæ nullam possint efficaciam habere ad obrogandam, prorsus, & tollendam de medio re ipsa, & quoad substantiam, legem primariam, & antecedentem. Hac vero lege perseverante, nullam omnino superesse viam ad rectam conscientiam formandam supra opinionem aliquam minùs tutam, & simul æquè, aut minùs probabilem, abundè demonstratum, & satis clarè expositum à nobis est. O Deus meus, & Salvator meus! quantum miseri homines laboramus, ut fugere tuto possimus à te, vera nostrorum laborum requie! Sed quò ibimus à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiemus.

Ex Psal.
138.

Videamus autem, quibus argumentis tantum istud principium, aut fundamentum ante Terillum in Theologia inauditum (ut statim palam faciemus) ab ipso Terillo statuatur.

ARTICULUS II.

Potissimum, aut unicum Probabilissimi fundamentum de insufficienti legis promulgatione, quibus rationibus Terillus statuat?

41. Validissimas illas, ac planè invictas esse oporteret, ut principium tanti momenti, adeò præterea novum, atque difficile, apud viros cordatos, ac sapientes, utcumque stabilire sufficerent. Id Terillus, ut erat ingeniosus, & sagax, optimè agnovisse videtur, & ideò hoc argumentum, neque semel, aut iterum, neque obiter, aut segnitè versat, sed in principium istud stabiliendum omnes simul doctrinæ, ac minimè vulgaris eruditionis conatus, totosque ingenii sui nervos intendit. At, ut ingenuè dicam, quod sentio, vix aliud quidquam in

roto suo gemino Opere inefficacius suadet, aut frigidius. Ea est argumenti difficultas. Tribus autem in locis de re ista disertè, & ex professo disputat, nempe q. 23. de conf. proba. à nu. 14.; 1. par. de Regu. mo. q. 2. nu. 45. & iterum par. 2. q. 43. ubi statuta primum sua sententia, argumenta Elizaldi, seu Celladei, adversus illam affert, & solvit.

42. Rationes verò, quas ubique producit, eadem ferè sunt. Pro quibus instituendis advertit primum, assertionem suam intelligendam esse universaliter de omni lege, divina, scilicet, vel humana, naturali, vel positiva; nam eadem est ratio de omnibus, quod ad promulgationis necessitatem spectat, licet modus ipsius promulgationis aliquatenus sit diversus pro ipsarum legum diversitate.

43. Advertit iterum, perinde omnino esse in ordine ad presentem difficultatem, si opinio probabilis contra legem, neget ipsam legis substantiam, hoc est, legem existere, aut latam esse, si neget modum ipsius, nimirum extensionem ad hunc, aut illum casum particularem; nam etiam modus iste necessario resolvitur in substantiam, hoc est, in voluntatem legislatoris volentis, aut nolentis casum illum comprehendere lege sua: voluntas autem legislatoris, quæ est tota vis, & anima legis, nullibi habere potest vim obligandi, nisi sit sufficienter promulgata.

44. His prenotatis, sic argumentatur. Quoties post omnia considerata, utrum lex aliqua lata fuerit, manet probabile apud omnes subditos, quod nunquam legislator talem legem condere intenderit, licet oppositum sit etiam probabile, lex non est sufficienter promulgata. Ratio est: quippe legis promulgatio debet esse ceremonia sensibilis, & usque adeò subditis manifesta, ut aliqui saltem eorum evidenter sciant, & legem latam, & tali cerimonia ma-

nifestatam fuisse. Immo esse debet adeò sollemnis, certa, liquidique ipsius notitia, ut magnam saltem subditorum partem latere nullo modo possit, nisi ad ea, quæ fiunt, culpabiliter ipsi nolint attendere. At in eventu nostræ quæstionis nullus subditus certò novit, quod detur talis lex, aut quod fuerit solemniter manifestata, quia doctissimi quique sciunt, probabile esse, quod legislator nunquam talem legem condiderit: igitur talis lex non est sufficienter promulgata. Hæc ratio ex æquo probat (inquit Terillus) de lege, tam humana, quam divina: apparet autem clarius ipsius efficacia in lege humana.

45. Unde confirmat argumentum, primo: quia sæpè ipse legislator humanus nescit, an lege sua voluerit comprehendere aliquem casum determinatum: verbi gratia, dum prohibet opera servilia, nescit, an prohibere reipsa intenderit exercitium pingendi: ergo non potest ea voluntas esse lex prohibens exercitium pingendi. Pater consequentia; nam lex est essentialiter regula directiva subditi: nequit verò dirigere, nisi ut cognita. At non est satis cognita subdito, cum neque ipsi legislatori ita cognita sit, ut affirmare possit, se voluisse prædictum exercitium prohibere. Ergo nequit lex illa subditos regulare, aut dirigere, atque adeò nec obligare, ut abstineant ab aliis exercitiis, quàm ab eis, quæ certò servilia sunt, vel ad summum ab eis, quæ non nisi imprudenter existimari possunt non servilia.

46. Confirmat secundò: prudens legislator humanus minimè ignorat, sensum legum suarum esse in multis casibus dubium, multosque se doctiores existimare, legem ad ea objecta non extendi. Igitur manifesta præsumptio est, ipsum objecta illa noluisse lege sua comprehendere; nam si voluisset, id expressisset: ergo dum non expressit sciens, & volens, censendus est noluisse. Ma-

ximè verò id valet, quia *favores sunt ampliandi, & odiosa restringenda.*

Quæ ratio eodem modo, immò à fortiori valet in legibus divinis; nam Deus, qui nihil ignorat, eò ipso quòd noluerit exprimere, evidenter præsumitur noluisse suis legibus comprehendere objecta omnia, de quibus sunt motiva probabilia ad affirmandum lege non comprehendi. Hoc autem (ait Terillus) est totum, quod intendimus, illudque manifestissimè sequitur ex defectu promulgationis sufficientis, in quo fundatur dicta præsumptio. Sed nota hic obviter circulum Terilli, probantis præsumptionem manifestissimam ex defectu promulgationis; & rursus ex eadem presumptione, ipsum, quem hic intendit, promulgationis defectum.

47. Præterea arguit pro eadem sententia à priori, ut ait ipse. Quoties certò est probabile, non dari legem prohibentem rem aliquam, toties datur certa probabilitas, quòd Deus habeat voluntatem, seu legem æternam, qua permittit, & approbat liberum usum talis rei. Ponamus ex. g. utranque partem contradictionis esse æquè probabilem: in hoc casu si loquamur respectu communitatis, certum videtur, legem prohibentem talem rem, aut non existere, aut sufficienter non esse promulgatam. Ratio est; quia tantum affertur pro lege æterna permittente, quantum pro lege æterna obligante: ergo, vel neutra, vel utraque est sufficienter promulgata huic communitati. At utraque non potest esse: ergo neutra: ergo rectissimè dici potest, legem Dei prohibentem in hoc eventu non esse sufficienter promulgatam, nec aliam tunc existere re ipsa in Deo, quam legem consequentem, & reflexam, qua permittit objectum illud ex prædicta suppositione, opinionis videlicet affirmantis, legem antecedentem non existere.

48. Huic argumento præmiserat

Terillus illud, quo noster Cardinalis Sphortia aliquando convictus est, & quod deinde retractavisse P. Elizalde testatur, de quo nos alibi. Sed argumentum illud in primis non ducitur ex capite insufficientis promulgationis, atque adeò importunum est? Deinde est adeò fallax, ut vel Auctori suo non immeritò displicuerit. Videri potest Esparza in Append. par. 2. art. 147. ubi solidè, ac fortiter illud impugnans meritò affirmat, neminem illi fideri posse, quippè quod ducat in præcipitium, & innumera absurda prober.

Hoc est in summa totum pondus rationum, quibus sententiam suam Terillus totidem panè verbis suadet. Sed quia, licet invitus, non potuit non videre, impares illas esse ad probandam doctrinam tanti momenti, adeò novam, ac destitutam graviorum Doctòrum suffragio, quæ proinde, vel ex hoc capite, jure meritò despicienda foret, necessarium omninò duxit, ne videretur solus incedere, aliquod patrocinium ipsi conquirere, qualicumque colore, & undecumque posset haberi.

49. Sed quid invenit? Primum D. Thomæ suffragium, cui hæc doctrina (inquit) prorsus conformis est. Itane, D. Thomæ? Omninò, inquit Terillus, quia M. Angelicus q. 17. de verit. a. 3. corp. expressè docet, præceptum Superioris non obligare subditum, nisi sciatur. Validum patrocinium! Affert deinde verba S. Doctòris. Sed nihil aliud continent, quàm, ut præceptum obliget, requiri notitiam ipsius, nisi quis culpâ suâ tali notitia careat. Ecce suffragium D. Angelici.

50. Vocat præterea in sui patrocinium Doctores omnes eos, qui docent, Episcopos, seu legis interpretationem, toties habere locum, quoties prudenter præsumi potest, quod legislator noluerit aliquid sub præcepto exigere. Atqui præsumptio ista semper datur, quoties pars minùs tuta est certò probabilis practicè. Igitur

Elizalde. 1. p. de Recta doct. mo. li. 3. q. 8. §. 1.

Terill. dict. q. 43. m. 6.

Terill. illa q. 23. n. 19.

tur omnes isti, inquit Terillus, nobiscum sunt: idest, omnes omnino, tam antiqui, quam Recentiores. Bellè!

51. Addo ego specialiter D. Eximium multò apparentius Terillo suffragantem; nam in 1.2. tr. 3. d. 12. sect. 5. n. 7. sic pronuntiat, *Quandiu rationaliter dubitatur, an lata sit (lex), non est sufficienter promulgata.* Et iterum sect. 6. n. 8. *Quandiu est iudicium probabile, quòd nulla sit lex prohibens, vel precipiens actionem, talis lex non est sufficienter proposita, vel promulgata homini.* En totum conquisitum auctoritatis robur.

ARTICULUS III.

Quibusdam prænatis, & statutis circa legis promulgationem ex receptis apud omnes principis, exponitur sensus questionis à Recentioribus necessario vel intentus, vel intendendus.

52. **A**D impugnandum, & expugnandum præactum Terilli principium, tot, & tam clara suppetunt argumenta, ut ejus falsitatem non solum evidenter demonstrent, sed magnam insuper admirationem ingenerent, quòd opposita veritas potuerit aliquando in questionem adduci. Interim tamen Terilli principium tanquam moraliter certum, & evidens à Recentioribus circumfertur. Certè Terillus ipse sic de illo pronuntiat, *ratio est adeo patens, & efficax, ut veritatem prorsus evincat.* Sed quia nostrorum argumentorum nihilominus vim præficientes, promulgationis terminos passim confundunt, ut si aliud non possint, tenebras saltem vocum offundant, pauca circa rem istam apud Doctores omnes explorata, & extra omnem controversiam posita, stabilire prius oportet, quibus proprius, ac liquidus promulgationis conceptus pateat, indeque proprius etiam, legitimusque sensus Recentiorum,

quantumvis velint, latere non possit.

Conceptus proprius promulgationis legis, & duplex ipsius acceptio.

53. **L**Ex, ut jam diximus, ex conceptu suo est regula humanarum actionum objectiva, & extrinseca, quæ proinde, ut dirigere, ac regulare subditos possit, proponi ipsis, & applicari debet per sui notitiam, & cognitionem. Potest verò considerari in ordine ad hunc finem, & effectum suum proprium, in actu primo proximo, vel remoto, seu, quod in idem redit, ut incompletè tantum, inchoativè, imperfectè, ac vialiter se habens; vel porius, ut jam ultimò constituta, consummata, & perfecta in ratione legis actualis.

54. Lex in actu remoto ad regulandum, sive incompletè sumpta (quæ simpliciter dicitur lex in potentia, & in actu primo) est imperium, intentio, seu voluntas legislatoris, apud ipsū adhuc existens, & necdum subditis manifestata. At verò lex in actu primo proximo ad prædictū effectum (quæ absolute vocatur, & est vera lex in actu secundo, idest, completa in ratione legis) importat insuper intimationem, seu manifestationem subditis factam, quæ dicitur promulgatio legis, & juxta communissimam omnium sententiam, complet, & constituit partialiter, essentialem legis conceptum, ideòque à D. Thoma communiter repro expimitur in ipsa quidditativa definitione legis; sic enim S. Doctor legem definit, *Ordinatio rationis in bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.*

55. Est autem promulgatio strictè sumpta publica quædam manifestatio, & intimatio legis in actu primo acceptæ, seu voluntatis legislatoris, facta ad communitatem, vel rem publicam subditorum, ea intentione, & fi-

Terill. 2. p.
de Regu.
mo. q. 53. n.
12.

D. Tho. 1.
2. q. 90. a. 4.
ad 1.

& sine, ut firma, ac stabili manens, ad singulorum notitiam veniat, cunctosque dirigat, & obstringat ad faciendum, vel non faciendum id, quod per legem ipsam præcipitur, aut prohibetur. Quare non tantum ex consuetudine apud omnes gentes recepta, aut ex communi Juris præscripto, sed ex ipsa natura rei, prædicta promulgatio requiritur in omni lege, saltem positiva. Nam de lege naturæ in ipsis cordis tabulis scripta, alia est ratio promulgationis, ut ex se satis constet, & ex dicendis etiam constabit.

56. Ratio autem est manifesta: quia voluntas legislatoris, cum sit absolute contingens, & liberè ab ipso concepta, atque adeo non possit in se ipsa cognosci, nequit habere vim, aut efficaciam ullam ad dirigendum, & obligandum subditos, proindeque nec legis rationem, quoad usque sufficienter communitati manifestetur per aliquam solemnem ceremoniam (juxta formam, ac ritum cujusvis gentis, aut reipublicæ proprium, qui multiplex, ac varius solet esse), ratione cujus perpetuitatem quamdam, & stabilitatem acquirat, ut moraliter possit tempore competenti devenire in singulorum subditorum notitiam. Utrique lex humana est regula communis, & publica, ad quam sensibilis, & humana communitas debet se in operando conformare: ergo proponi debet ipsi communitati publico quodam, ac sensibili signo; neque enim potest per particularem, atque privatam propositionem causare effectum universalem à conditore legis intentum, qualis est obligare, & dirigere communitatem ad operandum.

57. Audiatur in id ipsū D. Thomas, ex propria ipsius legis ratione promulgationis necessitatem deducens: *Lex (inquit) imponitur aliis per modum regule, & mensuræ. Regula autem, & mensura imponitur per hoc quod applicatur his, quæ regulantur, & mensurantur. Unde ad hoc quod lex*

virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod ipsa applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem. Hæc Angelicus Doctor.

58. Sed enim, sicut lex publico aliquo signo manifestari debet communitati, quam respicit immediate, ac directe, sic minime requiritur ad sufficientem legis promulgationem, ut singulis personis sigillatim manifestetur, aut in earum notitiam veniat, ut expressè deceditur cap. 1. de Postulat. Prælato. Ubi omnes id notant, non tanquam jure tantum positivo præscriptum, sed ut ex jure ipso naturæ, & proprio legis conceptu, consequens. Porro lex, prout distinguitur à particulari præcepto, per se immediate respicit communitatem, ad quam proinde fieri debet manifestatio, & promulgatio ipsius, non autem ad personas singulas. Præterea hoc sufficit ad firmandam legem, ipsamque sufficienter stabiliendam, ut à singulis subditis sciri possit, propriusque ipsius sensus investigari. Tandem particularis intimatio legis ad singulas personas communitatis, non solum est difficilis, sed etiam regulariter, & humano modo impossibilis, unde etiam lex ipsa impossibilis fieret in magnum reipublicæ damnum.

59. Itaque definita legislatoris voluntas, quemadmodum, si necdum manifestata est, & promulgata communitati, minime habet rationem legis, neque vim ullam ad obligandum, sed potest licite non attendi, & impunè violari citra culpam, etiam ab eo, qui evidentem notitiam talis voluntatis haberet; sic etiam semel posita publica illa promulgatione, statim intelligitur ultimò consummata, ac perfecta in ratione legis actualis, adeoque cum plena virtute, & efficacia omnimoda ad obligandum

P

D. Tho.
ibidem ad
2.

dum subditos omnes, etiam eos, ad quos notitia ipsius inculpabiliter nondum pervenit, uti re ipsa de facto obligat in actu primo, & quantum est ex se, reddens cunctis objectum legi contrarium illicitum, & malum absolute, & per se loquendo, quamvis legis transgressio non imputetur ipsis ad culpam ob ignorantiam ejus involuntariam. Illi (inquit D. Thomas), coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam in quantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest promulgatione facta.

60. Id ipsum clarè constat ex Pontificiis Constitutionibus, in quibus ordinaria, & consueta clausula est, *Volumus quòd presentes littere ad valvas Basilicarum, &c. affixæ, omnes ita arceant, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent*. Patet igitur, legem per solemnem, ac publicam sui promulgationem plenè constitui in ratione legis habentis consummatam, perfectamque virtutem ad obligandum subditos omnes, etiam eos, ad quos notitia ipsius necdum pervenit.

61. Enim verò notitia particularis, quam subditus acquirit de lege promulgata communitati, nullo modo constituit, neque complet legis virtutem, sed eam præsupponit adæquatè, & perfectè constitutam. Solum ergo requiritur ut applicatio quædam, approximat, seu propositio actualis ipsius legis, ut possit ejus virtus actu influere intentionaliter, & moraliter, hoc est, cognoscentem dirigere, & obligare in actu secundo: quemadmodum in physicis virtus agentis adæquata, & completa in ratione virtutis, exigit nihilominus applicationem, & approximationem ad passum, ut agat in actu secundo. Solet quidem nonnunquam notitia ista vocari etiam legis promulgatio, latè, & improprie accepta promulgationis voce. Sed, quidquid de hoc sit, certum est apud omnes, ipsam non con-

stituere, adhuc inadæquatè, sed solum applicare, & expedire actu, legis virtutem.

Hæc certa omninò sunt, & extra dubium omne constituta apud omnes Doctores, seu Theologos, seu Jurisconsultos.

§. II.

De qua igitur legis promulgatione vel loquantur Probabilistæ, vel loqui debeant, si opportune loquantur

62. **J**am ergo Recentiorum assertio non procedit de posteriori, nempe lata, & impropria promulgatione legis, sed de priori illa publica, atque communi, quæ stricta, ac propria promulgatio est; id, quod Terillus sæpè palàm fatetur, sæpè etià videtur meticolosè subterfugere, ut constat, vel ex ejus argumentis art. 2. productis. Cæterum frustra tergiversatur, & veritatis ictum declinare contendit; nam recursus ipsius ad legis non promulgationem, nisi in hoc sensu stricto procederet, inutilis evaderet ad ipsius intentum: immò non aliud foret, quàm circulus quidam vitiosus, & futilis petitio principii.

63. Sanè promulgatio non pressè, sed latè, ac improprie usurpata pro notitia particulari, qua subditis lex innotescit, non constituit, ut vidimus, adhuc partialiter, legis essentiam, sed ipsam præsupponit adæquatè jam constitutam: ergo non potest lex deficere re ipsa, & quoad substantiam suam, ex defectu promulgationis in sensu improprio, ac lato usurpatæ. At, nisi lex re ipsa, & quoad substantiam suam deficiat, Probabilissimi moderni fabrica nullaratione potest subsistere, ut demonstravimus art. 1. Igitur Recentiorum recursus ad legis non promulgationem, nisi hæc strictè accipiatur, inutilis omninò foret ad propugnandum Probabilissimum.

64. Præterea totum dissidium no-

ARTICULUS IV.

Præsumptum Terilli principium de insufficienti legis promulgatione in primis est aperte contra Theologos omnes, etiam contra ipsum Terillium: immò videtur esse manifestè contra Scripturam.

nostrum cum Recentioribus Probabilistis circa controversiam potissimam, in eounicè vertitur; utrum quando lex nobis actu proponitur, aut intimatur, per opinionem æquæ, vel magis verosimilem, quàm sit opposita; quæ favet libertati; & negat legis obligationem, sit nobis satis cognita, & intimata, ita ut nos obliget in actu secundo? Ergo si Recentiores, dum id negant, quia lex in hac hypothese satis promulgata non est, promulgationem non propriam, ac strictam, sed latam, & impropriam loquantur, hoc est particularem legis notitiam, & propositionem actualem, circulum facient planè ridiculum, & aperte principium petent. Certè eorum discursus, terminis explicatis, hunc faciet sensum: *lex in præfata hypothese non obligat ad sui observationem, quia satis nobis non est proposita: ideo verò proposita satis non est, quia satis nobis non est proposita.* Hic autem planè absurdus, ac ridiculus circulus est.

Patet igitur, sensum præsentis controversiæ, quem Terillus, & reliqui post ipsum Recentiores, vel intendunt, vel debent omnino intendere, nisi quæstionem sibi prorsus inutilem, immò verò ridiculam movere velint, procedere de promulgatione rigorosè, ac strictè accepta, quæ constituit partialiter essentiam legis, & ex cuius defectu lex deficit re ipsa, & nullam habet vim obligandi.

Quantum verò in hoc sensu assertio Recentiorum aliena sit ab omni veritatis specie, demonstrare jam aggrediamur, quandoquidem, & hoc demonstrandum à nobis sit; quod certè satis miserum est.

65. **S**ufficere profectò deberet, ut absque alio examine prorsus rejiceretur, quod omni Doctorum suffragio destitutum penitus esset. Quale nanque esse potest in re tanta principium illud adeò in Theologia novum, & inauditum, ut à Terillo primitus adinventum, neminem ante ipsum habeat Auctorem? Verùm non modò nullos, vel occultos, habet patronos, sed etiam omnes, nemine dempto, adversarios apertos sustinet, etiam primum ipsius inventorem, ut sit (quod dictu mirabile est) ingratus ab origine sua, vel propriis parentibus error.

Et in primis Doctores omnes, qui benignam sententiam respuunt, idest antiquos omnes ante Bartholomæum à Medina, & plurimos etiam post ipsum, non est opus commemorare. Quot verò sint, & quanti: scilicet non meri Summistæ, sive conscientiæ casuum Compilatores, aut Collectores, qui gregatim, ut ajunt, instar avium, & ovium alios sequentes, communem opinionem sua subscriptione confirmant, sed Theologi Scholastici, & Doctores graves, ac docti, qui rem plerumque ex professo tractaverint; quidquid in imperitum vulgus spargant vulgares quorundam fabellæ, supra summatim diximus, & suo loco fusè monstrabimus. De horum ergo mente cum in presenti dubium esse non possit, ad ipsos nostros adversarios veniamus.

Supra controvers. 4. a. 5. n. 51.

§. I.

Omnes etiam Probabilistae memoratum principium improbant.

66. **I**gitur omnes, nemine dempto, Probabilistas Recētiore prae-
fatum Terilli principium falsum
supponere, & existimare, evidenter
patet ex eo, quod omnes passim do-
ceant, ac supponant, eum, qui bo-
na fide sequitur opinionem beni-
gnam, sive libertati faventem, si
contingat esse in re falsam, peccare
materialiter, & violare re ipsa legem
Dei, quamvis violatio ista ipsi non
imputetur ad culpam, vel ad penam,
propter defectum voluntarietatis. Id
in omnium scriptis adeo est fre-
quens, & obvium, ut ulteriori pro-
batione non egeat. Immo, quod ma-
gis mirandum est, passim à Terillo
docetur, ac velut exploratum sup-
ponitur extra cōtroversiam prae-
sentem; quin etiam intra, ut statim vi-
debimus.

Atqui, si lex, quae prohibet ob-
jectum illud, non esset sufficienter
promulgata, illud opus non foret
materialiter malum, neque violatio
alicujus legis; nam lex non sufficien-
ter promulgata re vera non est lex,
nec ullam ex se habet vim obligandi,
aut reddendi objectum illicitum, ut
constans est ex his, quae prae-notavi-
mus de communi omnium sentētia,
quae non alterius magis, quam ipsius
Terilli, & Recentiorum interest,
ut falsa non sit. Opus verò nullo mo-
do prohibitum, nec impingens in
legem aliquam, non est materialiter
malum, neque imputari posset ad
culpam, quamvis fieret cum plena
cognitione, & advertentia ad omnes
circumstantias, ut est evidens apud
omnes. Igitur omnes etiam Probabi-
listae, saltem extra praesentem con-
troversiam, existimant, atque sup-
ponunt, tanquam rem prorsus cer-
tam, & nulli obnoxiam dubitationi,

falsum omnino esse legem, contra
quam datur opinio quantumcumque
probabilis, hoc ipso satis promul-
gatam non esse.

67. Rursum: omnes Doctores,
nullo dempto, tanquam indubitabile
supponunt, opinionem quamcum-
que, non solum aequè, aut minus,
verum etiam magis probabilem (in
sensu scilicet Probabilistarum), quae
negat, aliquid esse illicitum, con-
tingere absolute posse, ut sit falsa re
ipsa. Quis hoc neget? At opinio,
quae negat aliquid esse illicitum, ne-
quit esse falsa re ipsa, nisi quia existit
lex verè talis, & veram habens obli-
gandi virtutem, quae objectum talis
opinionis prohibeat, ut vel ex ipsis
terminis patet. Igitur nemo est, qui
non censeat, & ut indubitabile sup-
ponat, opinionem probabilem con-
tra legem minimè obviare promul-
gationi ipsius, neque tollere ab ipsa
veram rationem legis, adeoque ne-
que veram vim obligandi.

68. Præterea omnes similiter,
etiam Terillus ipse, passim docent,
supponuntque, ut notorium, opi-
nionem faventem libertati, si sit
aequè, aut minus probabilis (immo,
licet sit probabilior), non aequè tu-
tam esse, materialiter saltem, ac op-
positam libertati contrariam, quam
proinde semper amplecti consilium
est, & laudabilius, moraliter, ac per
se loquendo. Hæc verò forent evi-
denter falsa, si verum esset Terilli
principium, ut statim apparet con-
sideranti, immo simpliciter con-
cipienti.

69. Ulterius hæc assertio, opi-
nio affirmans, hoc licitum esse, sive
nulla lege prohibitum, probabilis, &
tuta est, sed probabilis quoque, aut
etiam probabilior, opinio negans, non
modò vera est apud modernos Pro-
babilistas, sed etiam frequentissima
locutio, & à Terillo ipso ex profes-
so universaliter propugnata, passim-
que velut certa supposita. At si prin-
cipium hoc de insufficienti legis pro-
mulgatione, quod Terillus intrudit,

ve-

Verum esset, prædicta assertio foret evidenter falsa, & omni destituta fundamento. Est igitur manifestè falsum ex mente omnium Probabilistarum, & in primis Terilli ipsius.

Minor, quæ sola negari posset, innegabilis prorsus est; nam opinio, quæ negat, aliquid esse licitum ex vi alicujus legis sufficienter non promulgatæ, est evidenter falsa juxta omnes, adeoque nullo modo probabilis in sensu, quo loquuntur Auctores. Audi Terillum ipsum: *Ridiculum (inquit) esset, si supposita negatione sufficientis promulgationis de lege, adhuc ipsius obligatio quæreretur.* Ecce non solum opinari absolutè, aut affirmare obligationem legis, cujus defectus promulgationis supponitur; sed, vel de illa quærere, aut dubitare, ridiculum censet Terillus. Atqui, si verum est ejusdem Terilli principium, quoties supponitur opinio probabilis negans legis obligationem, supponitur defectus promulgationis ejusdem legis, nam ex illa suppositione nulla est lex sufficienter promulgata, quæ objectum illud reddat illicitum, nec alia tunc existit in Deo, quàm lex consequens, & reflexa, quæ Deus illud opus approbat, aut permittit, ut Terillus affirmat, & nititur probare, præsertim illa q. 43. 2. p. de Regu. mo. ergo opinio, quæ negat esse licitum, seu (quod in idem recidit) opinio affirmans legis obligationem, est evidenter falsa, immò verò ridicula, si verum est Terilli principium.

At assertio, quæ ponit opinionem ridiculam, aut evidenter falsam vel ut probabilem, aut probabiliorem opinione contraria verè probabili, est evidenter falsa, ut Terillus non inficiabitur: talis igitur esset assertio illa, si Terilli principium verum esset. Sed assertionem illam Probabilistæ omnes cum eodem Terillo mordicè tenent, atque tuentur, ut evidenter veram, quippè quæ, vel involvit benignam ipsam Recentiorum sententiam, vel cum ea omninò

connectitur. Patet igitur, omnes extra controversiam præsentem censere, atque supponere (& ante omnes Terillum ipsum) tanquam omninò certum, ac exploratum, falsum esse principium de insufficietis legis promulgatione, quod Terillus sibi non constans, dura tamen coactus necessitate, intrudere modò conatur.

§. II:

Refelluntur Terilli solutiones.

70. **I**D, ut clariùs appareat, quàm sit necessarium Terillo visum, sit novum istud principium suum ad benignam sententiam propugnandam, quantique illud sustinere constiterit, videamus, quid respondeat ad alia quædam argumenta similia, petita ex his communibus Theologorum assertis, quæ ipse sibi objicit ex P. Michaeli de Elizalde.

Respondet ergo in primis, quòd si ex assertione sua legitimè inferatur, nullam dari re ipsa in eo eventu violationem divinæ legis, ne materiale quidem, neque esse laudabilius, aut de consilio saltem, sequi partem tutiorem; nihil propterea inferri contra sententiæ suæ veritatem, neque est, cur ipse de ejusmodi sequelis sit sollicitus, aut illis immoretur repellendis.

71. En igitur Terillus, ut suam assertionem illibatam sustineat, nihili planè ducit ab omnibus Doctoribus, etiam Probabilistis, immò, & à se ipso deficere, admittendo, aut nihil curando, quod ex illa sequatur infallibiliter doctrina, cujus falsitatem, ut compertam, & evidentem passim Doctores omnes, etiam moderni ipsi Probabilistæ, & docent, & supponunt, & sæpè sæpiùs Terillus ipse. Quid plura? Non hic diutiùs cum Terillo contendam. Habeat sibi profectò principium suum, tanti comparatum, dummodo contra ipsum ultrò nobis relinquat certam, & inconcussam Doctorum

om-

Terill. 1. p.
de Regu.
mo. q. 35. n.
38.

Terill. 2. p.
de Regu.
mo. q. 43. a
nu 38.

omnium auctoritatem, qua pro nunc satis contenti sumus.

72. Neque nos mover instantia, quam producit, in eventu, quo aliquis ageret contra legem invincibiliter ignoratam; procedit enim ex confusione, & æquivocatione terminorum. Porro invincibilis ignorantia legis non tollit ejus promulgationem strictè talem, de qua nunc loquimur: quapropter in eventu illo re ipsa, & materialiter lex violaretur, ut omnes supponunt, & docent (quin, & Terillus ipse sibi repugnans, cujus verba mox afferemus): unde argumentum potius contra ipsum Terillum efficaciter retorquetur.

Terill. ibi.
n. 40.

73. Verùm ecce Terillus melius secum recogitans, poenitentiam agit statim, & repetit pretium solum. Respondet ergo iterum negando prædictas sequelas: quia toties, inquit, datur materialis legis transgressio, quoties re ipsa ponitur objectum veritum à legislatore per legem sufficienter promulgatam determinatæ parti communitatis, quamvis illa, nec mihi, nec parti longè maximæ sit promulgata, seu legitimè notificata. Inutilem profectò poenitentiam, quæ plura peccata multiplicat! Sanè responsio ista multipliciter sibi non constat, sed plurima involvit absurda.

74. In primis jam supponit absolute in hypothefi assumpta legem, quæ sufficienter sit promulgata, & quæ ex se habeat vim obligandi, etiam eos, quibus contendit, satis promulgatam non esse. Id verò aperte implicatorium esse, manifestè constat ex dictis: & ut nò esset, prorsus Terillinum principium destruit, totumque à fundamentis Probabilismi mirabile ædificium labefactat.

75. Deinde supponit aperte, promulgationem legis fieri posse pro una tantum parte communitatis, & non pro omnibus illius personis, quas legislator intendit obligare; quod est apertissimè falsum, immò, & ex ipsis

terminis implicatorium, ut patet ex conceptu promulgationis simpliciter, & strictè talis. Porro voluntas legislatoris non est completa in ratione legis, neque ex se habet vim ullam obligandi quemquam, donec sit sufficienter promulgata communitati pro omnibus illis personis, quas legislator intendit obligare, ut est communis Doctorem sensus: ergo velle obligare personas aliquas, pro quibus lex non est communitati promulgata, perinde est, ac velle lege obligare eos, ad quos lex ipsa non extenditur, quod in ipsis terminis implicat.

76. Denique per hanc solutionem manifestè Terillus destruit idem ipsum, quod adstruit. Nam, si personæ illæ, quæ legem non noverunt, possunt illam violare materialiter: ergo lex, etiam respectu illarum, est verè, ac propriè lex, & habet veram vim obligandi, quod unicè Terillus negabat. Sequelam verò per se ipsam patentem affatim etiam supra monstravimus.

Frustra ergo Terillus sub caligine vocum latere nititur, promulgationis terminos passim confundens, ubi distinguere maxime oporteret; nam, quòd ad presens attinet, sufficit nobis, quòd negare non valeat si utilitatem aliquam capere velit ex prætenso suo principio, ipsum procedere de promulgatione strictè, ac simpliciter tali, qua nempe deficiente, lex quoad substantiam suam, & re ipsa deficiat. Hoc autem semel posito, Doctores omnes, etiam Probabilistas, immò, & se ipsum, contra se habet, ut clarè demonstratum relinquimus.

§. III.

Nec D. Thomæ auctoritas, nec alterius cujusquam Terillo suffragatur.

77. **N**E verò ea, quæ ab auctoritate pro se Terillus supra ad-

adducebat, hujus nostræ doctrinæ veritati repugnare quisquam existimet, ostendamus hic breviter (quod facillimum est), nec D. Thomam, nec alium quemquam Terilli assertioni favere.

Quid enim si Doctor Angelicus asseret, Superioris, vel præceptum, vel legem, neminem obligare posse (scilicet in actu secundo), nisi applicetur ipsi per scientiam, aut notitiam ejusdem, vel præcepti, vel legis, aut nisi culpâ suâ subditus careat tali notitia; quod in illo articulo docet? Quis unquam hanc doctrinam vertit in dubium? Aut quid illa ad principium de insufficienti legis promulgatione? Sanè mens D. Thomæ de re ista interprete non eget, ut patebit inferius.

78. Quid item quod per Epikem casus aliquis excipiendus sit, quando prudenter existimatur, voluntatem legislatoris ad eum casum non se extendisse, quamvis id verba sonare videantur, quod omnes communiter docent? Quid hoc cum legis non promulgatione? Aut quis doctrinam istam desumit ex eo principio, quod lex in eo eventu satis promulgata non sit?

79. Quod verò spectat ad Doctorem Eximium, certum in primis est, ipsum in primo loco locutum fuisse in sensu multò magis restricto, & diverso à Terilli sensu, ut patet ex verbis ipsius, quibus varios casus recenset, in quibus potest de lege dubitari. *Primò (inquit) quia simpliciter dubitatur de tota lege quoad exercitium, id est, an lata sit, nec ne?* Et tunc quidem affirmat, quod, si rationaliter dubitetur, lex non sit sufficienter promulgata. Hujusmodi autem assertio (de cujus veritate non hic disputo) longè diversa est à Terilli assertionem.

Præterea, neque tunc promulgationem legis strictè accipit, sed latè pro applicatione, & privata notitia ipsius. Pater hoc manifestè ex his, quæ subjungit ibidem: *Secundò*

(ait), *quamvis constet, legem esse latam, dubitari potest de sensu ejus: & in hoc casu docet, quod, si fieri potest, ad Superiorem recurrendum sit.* Ergo censet apertè, quod dubium rationabile in his casibus non impedit strictam promulgationem legis, alias non nisi falsò, & absurdè, doceret recurrendum ad Superiorem; nam legem sufficienter non promulgatam neminem unquam obligare posse, certum, ac notum omnibus est.

In secundo autem loco evidentius adhuc apparet, ipsum promulgationem, improprie usurpavisse, pro ipsa scilicet propositione, & particulari notitia, qua singulis lex applicatur, ut ejus verba clarè significant. Videatur ipse Doctor Eximius li. 3. de legibus c. 16. à nu. 3. ubi promulgationem strictè acceptam, & quæ constituit essentiam legis, distinguit à divulgatione, sive legis propositione per notitiam particularem, quæ latè, ac minùs propriè solet promulgatio appellari, & non constituit legis essentiam, sed ipsam præsupponit adæquatè jam constitutam, ut ipse, tum ibidem, tum etiam alibi, tanquam certum docet, ac probat, ex communi Doctorum sensu.

80. Demum quisquis voluerit mentem Mag. Suarii circa licitum usum moralium opinionum, per se ipsum plenè, ac planè cognoscere, tantum precor, ut legat attentè, atque sincerè totum cap. 8. lib. 6. de legibus, & quàm fuerit aliena à benigno, quem vocant, Probabilismo (quidquid docuerit alibi, quod non diffitear, non tam ex proprio suo, quàm ex alieno sensu, jam tunc in scholis frequenti) ita facilè, ac clarè deprehendet, ut nisi spontè velit, dubitare non possit. Circa questionem autem, de qua modò differimus, neque si velit, poterit vel dubitare. Sed de mente tanti Doctoris ex professò in 2. par. Nihil ergo præsidii Terillus invenit in Eximio Doctore.

Videndus omnino P. Sua. li. 6. de leg. c. 8.

P. Sua. ubi sup.

store pro suo singulari principio. Ergo neminem habet suffragatorem, sed omnes omnino contrarios.

§. I V.

Videtur insuper idem principium doctrine sacre manifestè adversari.

Deut. 17.

81. **V**erum, quod pluris faciendum est, videtur etiam clarè Deum ipsum habere contrarium. Nam, ut præteream modò innumera Scripturæ testimonia, quibus sententia nostra suaderetur, & quibus manifestè principium Terilli repugnat, Moyses nomine Dei sic ad Hebræum populum loquitur, *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram: & iudicium intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem, qui fuerit eo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsumt loco, quem elegerit Dominus & docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.*

D. Tho. 1.
2. q. 105. a.
2. ad 7.

82. Hoc testimonium Doctor Angelicus cum objecisset sibi ad probandum, præcepta legis Mosaicæ non fuisse convenienter tradita, ut argumentum solvat, hæc advertit: *Dupliciter aliquid potest esse ambiguum. Uno modo apud simplices, & ad hoc dubium tollendum mandatur Deut. 16. ut iudices, & magistri constituerentur per singulas tribus. . . . Alio modo contingit aliquid esse dubium, etiam apud peritos. Idco ad hoc dubium tollendum constituit lex ut omnes recurrebant ad locum principalem à Deo electum, &c.*

83. En ergo Deus in Scriptura sua à D. Thoma exposita ex com-

muni interpretum mente (est enim sensus planus, & facilis) in conflictu opinionum, ac iudiciorum hominum non vulgarium, sed magistrorum, ac peritorum, adeoque in dubiis de sensu legis valde prudentibus, & rationabilibus, præcipit, adhuc veritatem inquirere, propriumque legis sensum investigare. Igitur evidenter supponit, legem, nihil obstantibus ejusmodi opinionibus, ac dubiis, habere adhuc vim obligandi, atque adeò ex illis non argui, quòd non sit sufficienter promulgata; aliàs fatendum erit, Deum iussisse, aliquid prorsus stultum, & impossibile, quod blasphemia foret asserere. Quid Terillus ad hæc adeò per se, patentia, directèque contraria, & sententiæ benignæ, & capitali principio ejus? Ubi est nunc lex divina consequens, & reflexa, legis antecedentis, atque directæ relaxativa? Ubi præsumptio illa manifestissima, si voluisset, id expressisset, quæ pro divinis legibus maximè locum habet?

Apparet enim verò, principium hoc Terilli de insufficienti legis promulgatione, quod Recentiores invehere conantur, & cui totam imponunt Probabilismi molem, habere pro se quidem post Terilli adventum, Terillum unum, & ne integrum quidem, cum oppositum sæpius teneat, ac doceat; contra se verò Deum, & homines contrarium nimis clarè docentes.

ARTICULUS V.

Ex Summorum Pontificum Decretis, quibus varii morales articuli damnantur, falsitas Terillini principii multipliciter demonstratur.

84. **J**am à ratione sic argumentor primò. Vel aliquæ ex moralibus opinionibus à Summis Pontificibus damnatis, antequàm damnarentur, erant verè probabiles, vel secus? Hoc secundum Terillum quandoque insinuare videtur, cautè qui-

quidem, sed nimis inconsequenter ad Probabilismi principia. Quo enim fundamento Probabilistæ negare possunt, opinionem communem apud Theologos, qualis erat, exempli gratia, quæ docebat, præceptum communionis Paschalis impleri per sacrilegam Corporis Domini manducationem, quam opinionem nemo improbabilitatis arguebat, & quam rationibus magni momenti inniti credebatur communiter à viris tot, tam gravibus, tamque sapientibus, idest, ab omnibus ferè Theologis; vix enim erat ullus, maximè ex Recentioribus, qui non illam doceret, non solum ut probabilem, sed ut veram, & certam: quo, inquam, fundamento negabunt, hanc opinionem juxta sua principia ante condemnationem fuisse verè probabilem, saltem æquè, vel minùs, quam oppositam, quam vix jam aliquis audebat propugnare?

85. Sanè, si opinio illa, & si quæ aliæ ejusmodi erant, dicantur nunquam fuisse verè probabiles, difficillimè Recentiores sententiam suam deducunt ad praxim. Quam enim precor tradent regulam certam (quin ne apparentem quidem) ad cognoscendam certò, & evidenter, uti requiritur in ipsorum principiis, moralium opinionum practicam probabilitatem? Legantur omnes illæ, non pauciores triginta, quas velut authenticos canones, post suam, & communem Recentioribus, latissimè propositam, & expositam per centum ferè paginas, definitionem opinionis probabilis, deducit tandem ipse Terillus, & non dico verosimiliter, sed ipsa luce clarius deprehenderetur manifesta Terilli inconsequentia, si velit generaliter negare, aliquam opinionem damnatam, antequam damnaretur, fuisse verè probabilem in sensu Probabilistarum. Verùm hoc infra latius urgebimus, & retorsionem, quam aliqui moluntur, evidentem, ut ipsi autumant, procedere ostendemus ex

manifesta æquivocatione, & in intelligentia nostræ sententiæ.

86. Ideo absolute Terillus ipse, ArsdeKin, Cardenas, & cæteri Recentiores communiter, passim docent, atque concedunt, aliquas ex damnatis opinionibus ante condemnationem fuisse verè probabiles. Quod equidem necessariò, ut diximus, & consequenter ab ipsis affirmatur: cæterum absolute falsum cum primis, & absurdissimum planè videtur. Quis enim quæso proferre audeat, doctrinam illam fuisse verè probabilem, idest, certam, ac tutam agendi regulam, quam Summus Dei Vicarius, & Catholica Ecclesiæ universalis Pastor, ac Doctor, per publicum Decretum declaravit nobis, scandalosam esse, atque omninò damnandam, tanquam noxiam, & perniciosam animabus sibi commissis, sicut illam de facto propterea damnat, atque proscribit à tota Ecclesia, usum illius severissimè prohibens?

87. Quid igitur dicemus? Probabilistæ docent, & quidem necessariò, ac consequenter ad principia moderni Probabilismi sui, opinionem moralem, verbi gratia, supra propositam, aut aliam ei similem, antequam condemnatur, esse verè probabilem, indeque rectam, tutam, & optimam agendi regulam. Summus Pontifex docet universam Ecclesiam, eam esse doctrinam malam, scandalosam, perniciosam fidelium moribus, indignamque, quæ diutius toleretur: & his motus rationibus illam de facto damnat, ac prohibet. Vel ergo Summus Pontifex deceptus est, & nos omnes decepti, quod effutire nemo præsumat; vel Recentiores decepti sunt, adeòque opinio illa probabilis verè non erat, adhuc juxta sua principia, quod negare tenentur, & consequenter negant; vel, quod reliquum est, probabilitas vera, quam ipsi docent, & juxta quam probabilis asseritur, non est recta, sed noxia, atque damnabilis agendi regula. Eli-

gant

Terill. q. 5.
& 6. de cõ-
sc. Proba.

gant ipsi modò ex tribus istis viam, quam malint, neque enim alia superest eligenda. Hoc argumentum demonstrat absolutè, & ut nobis videtur (neque timemus falli) nimis patenter, opinionis benignæ falsitatem, ut latius prosequemur lib. sequenti, præclusis evasionibus, quæ possent cogitari.

88. Modò autem ad rem præsentem. Si verum esset Terilli principium, ea opinione extante, lex opposita non erat sufficienter promulgata, cuius scilicet existentiam, aut extensionem ad illum casum tot, tamque graves, ac sapientes Doctores non solum absolutè non agnoscebant, sed firmiter potiùs negabant. At, si lex satis promulgata non erat, non nisi apertè falsò, & absurdè Pontifex docuit, eam opinionem esse doctrinam noxiam, ac damnabilem; cur enim noxia esset, si nullam veram legem negabat? Est igitur principium Terilli, & Recentiorum, procul à Theologia abjiciendum, nisi velint Pontificis testimonium; ut falsum, & absurdum damnare.

89. Argumentor secundò. Ponamus opinionem libertati faventem contra legem, verè, ac propriè probabilem in sensu Probabilistarum. En legem Dei extinctam, non satis promulgatam, & nullam ex se habentem vim obligandi. Fac, opinionem illam probabilem probabilitatem deperdere, ut facile contingere posse, & sepiùs de facto contingere, Probabilistæ affirmant, Terillusque ex professo sepe docet, ac probat. En protinus lex Dei rediviva resurgit, promulgatur, stabilitur, & plenam vim obligandi obtinet. Et, si milliès contingeret transitus opinionis illius à probabili, aut improbabili in improbabilem, aut probabilem, toties lex moreretur, revivisceret, promulgaretur, depromulgaretur, vim obligandi amitteret, recuperaret, ac demum fieret in istu oculi lex de non lege, & de lege le-

gis carentia, nullo legislatore, vel condente, vel revocante. Denique, si subsistat Recentiorum principium de insufficienti promulgatione legis, contra quam adest opinio probabilis, jugi, ac interminabili mortis, & vitæ vicissitudine passim leges peribunt, & reviviscunt, ac velut nova poma per annos ferè singulos cadent, ac renascentur, ne mutientibus quidem legislatoribus, sed solo Theologorum arbitrio. Quid absurdius, aut falsius doceri potest? Est igitur manifestè falsum prætensum Recentiorum principium.

90. Tertiò: principium illud, vel ubique valet, vel nullibi, ut, & Terillus expressè profitetur, & patet ex rationibus, quibus illud suadet. At non valet ubique, in legibus etiam humanis: ergo nullibi. Cætera constant. Minor quam solam posset negare Terillus, suadetur evidenter ex eisdem Decretis Pontificiis. Ponamus opinionem gravium Doctorum negantem extensionem alicujus legis humanæ, seu Canonice, seu civilis, irritantis contractum aliquem validum de jure naturæ, ad hunc casum particularem, quæ opinio verè probabilis sit in sensu Probabilistarum, æquè tamen, aut minùs, quàm opinio contraria. Certè, si lex hoc ipso satis promulgata non sit, revera non est lex, neque vim ullam, aut efficaciam habet ad irritandum illum contractum, ut est communis omnium doctrina, & ipsa Terilli sententia. Ergo, si casus ille deferatur ad tribunalia, iudices poterunt, immò omnino debebunt, pronuntiare contractum validum, atque adeò ferre sententiam juxta opinionem illam minùs probabilem. Hanc consequentiam nemo negare potest: consequens autem est evidenter falsum, quippè quod continet secundum articulum ab Innocentio XI. damnatum.

ARTICULUS VI.

Falsitas ejusdem principii demonstratur ulterius universaliter, præclusis evasionibus Terilli.

91. **S**cilicet in omni lege divina, vel humana, positiva, vel naturali. Hoc ipso quod Doctores graves, ac docti probabiliter opinentur, legem, quæcumque sit, aut non dari, aut si absolute detur, non extendi ad hunc casum particularem, per te lex sufficienter promulgata non est. Ergo, licet contingat (ut posse certum est, & Terillus fatetur) aliquem evidenter demonstrare falsitatem illius opinionis, seu certò illam aliunde comperire, vel per revelationem, vel alio modo, adhuc tamen hic poterit contra prædictam legem tutò, & licetè agere. Sequelam istam longè absurdissimam negat Terillus universaliter; meritò quidem, sed valde inconsequenter, & abjurando sua principia, ut facile potest convinci.

Sup. art. 3.

92. Porro sequelam esse evidentem, patet ex his, que supra prænotavimus ex omnium Doctorum consensu circa legis promulgationem. Enim verò voluntas, qua legislator vult, ut hoc opus fiat, aut potius ut non fiat in his determinatis circumstantiis, nisi sit sufficienter communitati promulgata, revera non est lex, neque vim ullam habet ex se, aut efficaciam ad obligandum. At quoties datur opinio probabilis affirmans, voluntatem legislatoris non extendi ad prædictas circumstantias, per te voluntas illa satis promulgata non est. Ergo, licet contingat, præfatam voluntatem esse mihi evidenter notam per aliquam privatam notitiam, adhuc impunè potero opus illud pro meo arbitrio ponere, vel omittere. Unde nanque peccabo, si nullam veram legem transgredior?

93. Sed reponit Terillus, quan-

tum ad legem positivam spectat, eum, qui voluntatem legislatoris certò cognosceret, & evidenter, adhuc per privatam notitiam, nò posse jam prudenter præsumere, legislatoris intentionem non fuisse, ut ipse obligaretur ad tale opus in illis circumstantiis; adeoque absolute obligari præ ceteris carentibus tali notitia. Verum hoc non est aliud, quàm sibi manifestè Terillum contradicere, & suam assertionem deserere.

94. Utique *lex est regula universalis pro tota republica, que nisi probetur sufficienter pro tota multitudine, pro nemine probatur.* Itaque nulla probatio sufficienter convincit legem, nisi universalis apparentia, qua lex, aut certò innotescat, aut certè qua constet existentiam legis esse probabilem, & oppositum non esse probabile. Nihil infra hoc sufficienter probat legem pro communitate. Verba Terilli sunt, quibus solutio hic data contradicit adeò evidenter, ut manifestum fiat, quàm difficilia asserta Terillus sustinere cogatur, ut Probabilissimum sustineat.

Terill r.p.
de Regu.
mo. q. 2. nu.
69.

95. Contra igitur: scientia illa, seu certa notitia privata juxta Terillum minimè impedit, quominus in oppositum circumferatur opinio verè, ac propriè probabilis; neque enim hæc statim desinet verè probabilis esse in sèsu Probabilistarum, eò quòd aliquis in cubili suo ipsius falsitatem certò comperiat, aliàs quis posset unquam certus esse de vera probabilitate illius opinionis, quam sequitur; quod tamen prorsus necessarium est secundum Recentiores Probabilistas ad praxim licitam talis opinionis? Atqui juxta Terillum, eò ipso quòd adsit ea opinio probabilis, certum est, legem non esse satis promulgatam, atque adeò nec esse legem, neque habere vim ullam obligandi. Igitur omnes, adeoque & ipse, qui certam illam notitiam habet, non solum præsumere possunt, sed etiam evidenter sciunt, nullam omninò esse legislatoris voluntatem, quæ ob-

ligare eos possit ad tale opus pro illis circumstantiis: ergo & ipse, sicut & reliqui, tunc, & licet poterit pro suo libitu prædictum opus facere, vel omittere: ergo sequela à nobis deducta evidens prorsus est, & à Terillo necessario ferenda, si velit suam assertionem tenere. At est non minus evidenter absurda, ut Terillus ipse fatetur. Ergo.

96. Jam verò, quod ad legem naturæ attinet, ipsa (inquit Terillus) ita fertur pro tota humana republica, ut pariter respiciat primò, ac directè singulos hominum in particulari: quapropter singulis promulgari debet, uti re ipsa de facto promulgatur per propriam cujuscunque cognitionem, per quam ipsi proponitur, & applicatur. Illi verò, qui certò comperiret, aliquid esse sibi per naturæ legem prohibitum, jam eò ipso sufficienter promulgaretur, proindeque non posset prudenter judicare, non esse voluntatem Dei, ut teneatur ad eam observandam, quamvis videat, oppositum existimari ab aliis certò probabile.

97. At contrà: nam in primis hic homo posset saltem consulere, & absolvere (si Confessarii munus exerceat) juxta opinionem illam aliis probabilem, licet sibi evidenter falsam, atque adeò omninò improbabilem; quod ipsi Recentiores communiter, meritò concedere renuunt, tanquam apertè falsum, & absurdum. Sequela verò patet ex Terilli doctrina; quia lex respectu eorum, qui talem opinionem probabilem censerent, non esset sufficienter promulgata, adeoque lex non esset, neque haberet vim obligandi.

98. Præterea certum est, promulgationem legis naturæ (de qua sequenti articulo, quod satis sit) esse alterius rationis, admodumque diversam à reliquarum legum promulgatione, ut latè exposui. & solidè, ni fallor, ex communi sensu Doctorum in Tractatu de legibus, ubi perspicuè ostendi, dissidium, si quod sit inter

Auctores, totum esse de solis vocibus, rem verò ipsam terminis aliis, atque aliis expositam, esse unam, & omnibus exploratam.

99. Cæterum, quidquid sit de hoc, ut evasio Terilli omninò præcludatur, & falsitas principii, quod refellimus, citra omne dubium appareat, sufficit modò nobis, certum esse debere apud Terillum ipsum, & omnes, legem naturæ activè consideratam, & prout se tenet ex parte legislatoris, habetque veram rationem legis, & regulæ, ac mensuræ nostrorum actuum, (quidquid de voce promulgationis sit) intelligi perfectè, ultimò, & adæquatè constitutum priori ad notitiam particularem, qua singulis personis actu proponitur, & independenter ab illa, adeoque cum plena virtute, & efficacia omnimoda ad obligandum omnes, & reddendum objecta sua absolute prohibita, vel præcepta: quamvis eadem lex passivè, ut ita dicam, considerata, & prout existit in ipso homine, sicut in regulato, ac mensurato (ut loquitur Doctor Angelicus), importet insuper notitiam sui omninò necessariam, ut in actu secundo regulet, mensuret, ac liget; siue notitia hæc dicenda sit promulgatio actualis, seu potius applicatio, & propositio legis, antecedenter ad ipsam propositionem sufficientissimè promulgatam promulgatione quadam æquivalenti, & eminenti, quæ citra omne dubium sufficiat ad firmandam voluntatem divinam, ipsamque stabiliendam, ac constituendam in ratione legis actualis, habentis plenam vim, efficaciamque consummatam ad dirigendum, & obligandum. Videatur D. Thomas ubi nuper.

100. Hujus doctrinæ veritas adeò est constans, & evidens ex ipsa terminorum acceptione, ut probari minimè debeat. Enim verò mendacium, exempli gratia, antequàm actu ab homine cognoscatur, immò etsi per errorem invincibilem puta-

D. Tho. 1.
2. q. 91. a. 2.
corp.

retur malum non esse, per se, & in omni eventu malum est, & semper fugiendum: ergo est prohibitum naturæ lege pro priori ad actualem ejusdem legis naturalis notitiam: igitur pro priori lex illa est verè, ac propriè lex, & habet veram vim obligandi; quamvis, ut obliget in actu secundo, proponi debeat homini (sicut, & alia leges) per notitiam particularem.

Terill. 2. p.
de Regu.
mo. 9. 43. n.
40.

101. Audi Terillum ipsum: *Evidens (inquit) est, hominem invincibiliter errantem circa legem naturæ, peccare materialiter, quia ponit rem, quæ verè prohibita est, etsi lex illa non sit sufficienter promulgata omnibus.* Assertio ista nemini non est evidens: sed, & evidens etiam Terilli contradictio, ut apparet ex dictis supra art. 4. §. 2. ubi contrariam assertionem tradebat. Verùm ibi ex principiis peculiaribus: hic verò loquitur ex veris, & communibus, excepto, quod subjungit de defectu promulgationis, in quo nimis hallucinatur, ut patet etiam ex proximè dictis. Nunc ad præsens intentum concludamus: ergo verti in dubium non potest, Terillo etiam nobis consentiente, quin lex naturæ sit verè, ac propriè lex, habens veram vim obligandi, & reddendi objectum prohibitum, pro priori ad actualem ipsius legis propositionem, ut non de voce promulgationis inutiliter contendamus.

102. Tum sic: vel opinio probabilis contra naturæ legem, tollit ab ipsa promulgationem illam æquivalentem, aut eminentem (vel quo volueris nomine appellatam), quæ constituitur, & consumatur in ratione legis perfectæ, & habentis vim obligandi pro priori ad actualem propositionem, seu notitiam privatam ipsius legis; vel non tollit? Si primum Terillus eligat, rem dicet evidenter falsam, & sibi ipsi insuper contradicet haud minùs evidenter. Sed præterea sequelam, quam negabat, ut manifestè absurdam, & à nemine tolerandam, necessariò admit-

tere cogitur; nam si opinio probabilis ita legem extinguit, ut auferat ab ea totam vim obligandi: ergo jam omnes, adeoque, & illi qui voluntatem legislatoris evidenter notam haberet, tutò, & licitè poterunt agere contra illam, nisi velis, ut peccent nullam veram legem violando.

Si propterea secundum Terillum dixerit, verus est, sed sibi non constans, quippè qui palam deserat principium suum, quod tanto molimine adstruit, & quo destructo, funditus ruit tota benigni Probabilissimi machina. Ergo, vel tenetur damnare, ut manifestè falsum, & absurdum principium suum de insufficienti legis promulgatione, quod est totius ædificii basis; vel tenetur concedere sequelam illam ipsi quoque absurdissimam, ex qua iterum sequitur evidenter ejusdem sui principii falsitas. Est igitur principium Terilli nimis evidenter absurdum, & multis nominibus falsum.

ARTICULUS VII.

Elicitur ex dictis ratio à priori, qua convincitur demum ejusdem principii falsitas.

103. **J**am igitur ex doctrina tradita circa proprium conceptum promulgationis, facilè nobis fit hujus novi principii à Terillo adinventi falsitatem nimis patètem ulterius etiam à priori concludere.

Scilicet promulgatio legis (loquimur modò de lege positiva, de naturali statim dicturi) simpliciter, & propriè accepta, & quæ virtutem legis consummatam, atque perfectam, juxta communem omnium sententiam, partialiter saltem constituit, est signum quoddam publicum, ac sensibile, quo voluntas legislatoris aliquid, aut vetantis, aut præcipientis, communitati manifestata comparat firmitatem quamdam, & stabilitatem sufficientem, ratione cujus possit in notitiam cuncto-

etorum subditorum tempore competenti devenire, & ipsi possint etiam ejusdem voluntatis notitiam comparare, legitimumque sensum mentis, & intentionis legislatoris, si quod dubium inciderit, comperire. Hæc juxta omnes est, & natura, & necessitas, & munus adæquatum promulgationis legis, prout est publica quædam, & communis directio, & prout differt à directione, seu præcepto particulari.

Atqui solemnitas ista, ac publica manifestatio voluntatis legislatoris antecedit privatam singulorum notitiam, & est omnino ab illa independens, licet ordinetur ad illam (sicut causa antecedit, & independens est ab effectu, licet sit in ordine ad ipsum), alioqui sufficienter promulgata non esset, nec constituta in ratione legis, donec singulis subditis innotuisset; quod est contra rationem, & contra expressam decisionem Juris, ut constat ex dictis superius.

Sup. art. 3.
§. 1.

Igitur, nec deficere, nec impediri potest per hoc quod aliqui, vel multi subditorum, aut voluntatem illam ignorent, aut etiam opinentur contra ipsam, vel contra proprium ipsius sensum. Falsum igitur est, & contra receptissima principia præsumptum principium Terilli. Totus discursus infallibilis est, quippe qui legitime colligat ex præmissis certis, ac notis falsitatem prædicti principii de cunctis legibus positivis, de quibus ratiocinium procedebat.

104. Præterea de lege naturæ ejusdem principii falsitas haud minus evidenter convincitur. Porro lex naturalis propriè, & activè sumpta, prout verè habet rationem legis, & regulæ objectivæ activè dirigentis, & obligantis, nihil est aliud (seclusis vocibus, & magna terminorum ambage, quibus à multis involvi solet), quam divina voluntas æterna, constans, & immutabilis, prohibens necessariò, vel præcipiens, quidquid repugnat rectæ rationi, vel quod

est absolutè necessarium ad vitam rationalem, seu moralem, honestè, ac laudabiliter instituendam.

105. Hujusmodi verò voluntas ob suam infinitam actualitatem, efficaciam, & eminentiam, per semetipsam habet absque ulteriori aliquo adminiculo omnimodam stabilitatem, & firmitatem eminentissimam, vi cujus actu possit subditis omnibus innotescere per sufficientem sui cognitionem, quam ipsa per se ingenerat, & imprimit ratione luminis naturalis, quod est significatio, irradiatio, & notificatio ipsius voluntatis divinæ prohibentis, aut imperantis, juxta Psalmistæ eloquium, *Multi Palad. dicunt: quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

106. Igitur voluntas divina, seclusa quavis alia intimatione, seu manifestatione externa, vel interna, & antecederet ad ipsam habet eminentissimè ratione sui, quidquid lex positiva publicè, atque solemniter communitati promulgata. Quapropter non immeritò dici potest habere per se ipsam virtutalem quamdam, aut eminentem promulgationem, vi cujus intelligitur perfectissimè constituta in ratione legis actualis habentis ex se omnimodam efficaciam, perfectamque virtutem, ad dirigendum, & obligandum actu; quamvis, ut in actu secundo dirigat, & obliget hominem, sit per se necessaria (ut in legibus aliis) actualis propositio, seu notitia, ipsius voluntatis divinæ. Quæ notitia, quia est indita ab ipsius legis Auctore ex vi voluntatis ejusdem, & aliunde per se loquendo est uniformis, & communis omnibus, vocari non incongruè potest, & solet, actualis, seu formalis, promulgatio legis naturæ. Immo dicitur etiam frequentissimè lex ipsa naturalis, nimirum non activè, ut jam diximus, sed solum passivè usurpata, idest, prout existit in subditis, sicut in regulatis, & mensuratis, ut agebat D. Angelicus.

D. Tho. 1.
2. q. 91. a. 2.
corp.

De-

107. Denique, quidquid sit de locutionum harum proprietate, id unum, quod intendimus, fixum, ac certum est apud omnes, voluntatem divinam nullo modo constitui, adhuc inadæquatè, in ratione legis perfectæ, & habentis ex se omnimodam vim obligandi, per hanc formalem promulgationem, sed antecederet ad ipsam intelligi jam ultimò constitutam. Unde evidenter, & immediatè sequitur per nullam opinionem, aut ignorantiam hominum, fieri posse, ut voluntas divina prohibens, aut præcipiens objecta per se turpia, vel honesta, amittat eam promulgationem, aut virtutalem, aut eminentem, per quam habet efficaciam perfectam, atque virtutem plenam, & consummatam, ad semper, & ubique obligandum, ac dirigendum. Patet ergo, principium Recentiorum à Terillo primo adinventum, esse evidenter falsum in sensu, quem intendunt, aut intendere debent, tam de lege naturæ, quam de qualibet alia.

ARTICULUS VIII.

Solutis Terilli argumentis articulo secundo propositis, concluditur controversia assumptum.

Hinc jam ad argumenta, quibus principium suum Terillus nitetur ostendere, facilis apparet solutio.

S. I.

Ad primum argumentum, & utramque confirmationem.

108. **A**d primum ergo dicimus, per nullam opinionem, aut ignorantiam quorundam, vel multorum fieri posse, ut lex non habeat promulgationem, qua constituitur in ratione legis, cum ea sit, & prior, & omninò independens à no-

titia privata subditorum. Neque, quòd detur aliqua opinio verè, & propriè probabilis in sensu Recentiorum, negans legis obligationem, præbet fundamentum sufficiens, immò nec ullum prorsus, ut possit quis præsumere, nec evidenter, nec probabiliter, legem non esse satis promulgatam: nam circa legem, de qua evidens sit, & apud omnes subditos notorium, quod fuerit juxta morem sufficientissimè promulgata, possunt multa dubia excitari, & variæ opiniones emergere de proprio, atque legitimo illius sensu, aut de extensione ejus ad hunc, aut illum casum particularem, ut passim de facto contingit.

109. Nec ejusmodi dubia resolvuntur in ipsius legis substantiam (in quo Terillus errat apertè); nam voluntas legislatoris, quæ est ipsa substantia legis, eadem semper est formaliter loquendo, & quantum ad effectus morales, sive extendatur, sive non extendatur, ad hunc, aut illum casum particularem: & dubium solum est, an hoc objectum determinatum participet re ipsa, nec ne, rationem objecti præcepti, vel prohibiti per ipsam legem? Sicut, dum video animal à longè veniens, & dubito, an sit homo, dubium hoc non versatur circa substantiam, aut naturam hominis, sed unicè circa naturam particularem, & individuum illius animalis, quod video, an nimirum participet naturam, & substantiam hominis, de qua propriè, & formaliter loquendo nullum mihi dubium occurrit.

110. Profectò lex ex conceptu suo nò minùs respicit subditos, quos dirigit, quàm materiam ipsam, quam præcipit. Quis verò dicat, dubium occurrens de subjectione alicujus ad legem, vel etiam mutationem absolutam de subjectione in non subjectionem, resolvi in ipsam legis substantiam? Equidem mutationes, atque variationes hujusmodi, nimis frequenter accidere solent, & qui sub-

subditus erat, eximitur à subjectione, & vice versa; lex tamen eadem quoad substantiam, & moraliter invariata persistit.

111. In his ergo, atque in aliis dubiis similibus, nisi prudenter possum dubium resolvere, & probabiliter judicare juxta sensum veræ sententiæ, objectum non comprehendere lege, aut me non esse legi subiectum, teneor omninò legē servare; alioqui voluntariè expono me periculo proximo legem illam violandi, quod est, & legem ipsam, & legis Auctorem contemnere.

112. Utraque confirmatio argumenti valde importuna est ad intentum Terilli; neque enim probat, vel apparenter, insufficientem legis promulgationem, de qua solum modò contendimus.

Præterea nihil absolutè probat pro ipsa benigna sententia, sed potius multa falsa, & absurda, ex quibus ejus falsitas deprehenditur. Porro, quod legislator nesciat, aut dubitet, aut etiam positivè erret circa propriam naturam hujus objecti particularis, nihil omninò refert ad excusandos subditos, nisi prudenter ipsi, & judicio verè probabili existimare possint, objectum illud non habere reipsa rationem, aut naturam objecti, generaliter per ipsam legem vel prohibiti, vel præcepti. Alias, etsi evidenter oppositum ipsi cognoscerent, non tenerentur legem servare, eò quòd legislator id ipsum nesciat; quod tamen nec admittit Terillus, nec prudens ullus admittere potest.

113. Itaque legislator fortasse fallitur, aut nescit omninò, an hoc, vel illud opus determinatum, exempli gratia, exercitium pingendi, sit opus servile, nec ne: scit tamen indubitanter, se prohibuisse omne opus servile, adeòque exercitium pingendi, si reverà servile sit, quod ipse cōperire non debet. Sicut etiam per legem suam intendit obligare omnes subditos suos, dubius tamen, aut in-

sciens, an hunc, aut illum hominem determinatè intenderit obligare, quia nescit, utrum subditus sit. Denique quis ignorat, Reges, aut alios Dominos, atque supremos legislatores, sæpè legibus suis multa præcipere, aut prohibere de consilio suorum Ministrorum circa varios contractus, aut negotia, quorum naturam ipsi prorsus ignorent? Annon propterea subditi non tenebuntur leges illas servare, aut earum sensum inquirere?

114. Ad subditos igitur attinet in ejusmodi dubiis investigare verum, atque legitimum sensum legis, sive extensionem, aut non extensionem ad hunc, vel illum casum particularem, indeque absolutè concludere teneri se, vel secus ad observandam legem, in illo eventu, per judicium verè probabile, quod sufficienti diligentia præmissa, difficile absolutè non sit regulariter, ac per se loquendo. Quod si quando non possint dubium resolvere rationabiliter, debent omninò legem servare, nisi velint recurrere ad ipsius legis Auctorem, qui legem suam, vel interpretetur, vel dispenset, aut revocet, prout expedierit.

§. II.

Ad præsumptionem illam Terilli petitam ex defectu expressionis: ubi de tot noxiarum opinionum origine pauca, sed notabilia differuntur.

115. **S**ed quid ad illam P. Terilli, vel argumentationem, vel præsumptionem, qua evidenter concludit, legislatorem objecta quæque dubia noluisse lege sua comprehendere: *nam si voluisset, id expressest?* In primis retorquemus argumentum: *nam si noluisse, id non insinuasset;* & apparentius quidem.

116. Præterea discursus Terilli probat, objecta omnia verbis clarissimis lege non expressa certum esse, quòd lege non comprehendantur: pro-

probat otiosa esse, quin & noxia reipublicæ tribunalia, in quibus dubia legum deciduntur: otiosum esse studium Theologiæ, immò & orationis studium pro voluntate Dei, & vera morum doctrina discenda: otiosos esse libros, & labores pro legibus humanis interpretandis, & à fortiori pro sacris litteris, & præceptis à Deo impositis: probat stultum esse recursum ad legislatorem in quovis dubio circa mentem ipsius; quem tamen omnes, quin & ipse Deus, semper commendant, & sapè præcipiunt, & qui tantopere in Ecclesiæ viguit, maximè dum antiqua, & solida Theologia vigeat: probat licere iudici in sententia ferenda uti opinione æquè, aut minùs probabili, haud secus, atque reliquis in quacumque materia; quod tamen constat esse damnatum. Probat demùm, ut alia prætereamus, omnem legem humanam esse impossibilem, moraliter saltem loquendo, aut certè ferè inutilem, & admodum inefficacem; quis nanque legislator legem concederet, si omnia omninò dubia, quæ circa sensum ejus possunt occurrere, clarissimè deberet resolvere, alioquin à subditis excipienda?

117. Hæc omnia, & alia plurima falsa, & absurda, quæ sigillatim persequi prolixum foret, probat apertè, si quid probaret, evidens illa Terilli præsumptio, si voluisset, id expressisset, ut facilè intuenti constabit. Et cum hæc omnia manifestè probet, affirmare Terillus non veretur probare manifestè suam sententiam. Idque adeò confidenter, ut quasi triumphum caneret adversus leges, & legislatores, ita demùm concludat: In his ergo tribuant sibi legislatores, si sua imperia aliquando violari videant, cum sufficienter non explicarint voluntatem suam, cui sufficienter explicata subditi paratissimi erant obedire: quod, an satis cautè sit dictum, & cum pia affectione, & reverentia debita erga legislatores, & leges, lectori cogitandum re-

linquimus. Verùm hæc, & alia similia, non profectò Terilli, viri utique pii, ac sapientis, sed ingenium benigni sapiunt Probabilissimi.

118. Est igitur inanis, & omni fundamento destituta argumentatio illa, seu præsumptio Terilli. Quòd enim legislator unum, aut plures casus particulares non satis clarè expresserit per verba legis, nullum præbet sufficiens fundamentum, ut possimus præsumere rationabiliter noluisse illos lege comprehendere. Porro leges feruntur de actionibus humanis particularibus sub ratione communi acceptis, quæ propter circumstantias accidentales maximam varietatem, atque diversitatem suscipiunt: homines itèr sumus naturâ tardi ad intelligendum, & quorum intellectus facillimè ignorent, ac dubitent, maximè circa ea, quæ nobis præcipiuntur contra sensus inclinationem, quare vix potest diligentia humana adhiberi, qua vitentur dubia, qua circa legum intelligentiam oriuntur, ut sapienter observat Magnus Suarius.

119. Præterea, quamvis posset legislator omnes eventus particulares cognoscere, omnesque circumstantias eorum distinctissimè prævidere (quod tamen humanorum legislatorum sapientiam, ac prudentiam multum excedit), non idèò lege sua exprimere distinctè deberet, alioqui legem cōderet propter suam prolixitatem multò magis confusam, & obscuram, & quæ multò majorem dubiis, & opinionibus circa expressiones ipsas, occasionem præberet. Quid faciet igitur legislator, ut legem suam tueatur indemnem, utque de sensu ipsius exorituras opiniones præcidat? Sanè debet supra expressiones illas novas expressiones adjicere: cumque supra expressiones novas adjectas novæ possint opiniones oriri, oportebit, ut sine fine expressiones supra expressiones, & expressionum expressiones adjiciat. Vel igitur fatendum

R. erit,

P. Sua. lide legi. c. 11. n. 1.

Terill. illa q. 23. de cons. n. 25.

erit, leges esse, aut inutiles, aut impossibiles, vel omnino dicendum, esse prorsus inanem, & omni destitutam fundamento præsumptionem illam Terilli, si voluisset, id expresseisset.

D. Tho. 1.
2. q. 96. a. 6.
ad 3.

120. Sed audiamus communem omnium Magistrum, & Doctorem Ecclesiæ Anglicum, de re ista rationcinantem: Nullius (inquit) hominis sapientia tanta est, ut possit omnes singulares casus excogitare, & ideo non potest sufficienter per verba sua exprimere ea, quæ conveniunt ad finem intentum. Et, si posset legislator omnes casus considerare, non oporteret, ut omnes exprimeret propter confusionem vitandam: sed legem ferre deberet secundum ea, quæ in pluribus accidunt.

D. Tho.
ibid. ad 2.

121. Quid verò nobis agendum sit in his occurrentibus dubiis, an scilicet omnes casus huiusmodi excipere debeamus à lege, & tribuere legislatori, quod imperium ejus violamus, cum voluntatem suam sufficienter non explicarit: loquatur idem Doctor Angelicus: Dicendum, quod ille, qui sequitur intentionem legislatoris, non interpretetur legem simpliciter: sed in casu, in quo manifestum est per evidentiam documenti legislatoris aliud intendisse. Si enim dubium sit, (observa verba hæc, & eorum energiam, ac connexionem) debet, vel secundum verba legis agere, vel Superiorem consulere. Hæc est in hac questione, non dubia, sed clara, ac definita D. Thomæ sententia.

P. Sua. li. 6.
de legib. 8.
n. 10.

122. Quam esse cunctis Theologis communem diserte affirmat Eximius Doctor per hæc verba, quæ transcribere libet: Quarto dicendum est de casu dubio, in quo judicari non potest probabiliter, an casus comprehendatur sub legis obligatione, nec ne. In quo sententia communis est, recurrendum esse ad Superiorem, si fieri possit, vel si non possit, servandam esse legem. Ita D. Thomas, Conradus, Cajetanus &c. Quæ sententia per se evidens est in casu patiente moram, ut consulatur Princeps; nam, si in

casu tantum formidoloso, & probabili hoc fieri debet, multo magis in casu dubio. Hæc ibi præter alia Magnus Suarius. Et tamen nihil vulgariùs hodie, quam ejus nomine, & auctoritate cohonestare modernum Probabilissimum. Sed profectò in re tanta, in qua nimirum salus animæ vertitur, nemo vulgaritatibus fidere audeat, nisi fuerit ipse vulgaris, sed levis, sed imprudens, sed stupidus.

123. Liceat ergo nobis mirari Probabilistas Recentiores, quibus Theologia sua, vel ex uno capite, non incipiat, vel displicere, vel saltem nimium esse suspecta, quòd tantum abeat in re tanti momenti à communi doctrina Theologorum, & à Theologia Doctoris Angelici, quam ipse absolutissimè, tanquam indubitata, ac explorata, consignat nobis agendi regulam: immò, quam verè non aliunde hausit, quam ex ipso in exhausto, ac limpidissimo veritatis fonte, videlicet ex divino volumine; nam regula, quam hic statuit D. Thomas, nihil abit ab illa, quam Deus ipse nobis præscribit Deut. 17. de qua nos diximus art. 4. & latius adhuc postea dicemus.

124. Non igitur legistatores tribuere sibi debent, si sua imperia violari videant, quòd voluntatem suam sufficienter non explicarint: sed hujus violationis, atque còtemptus causam multò rectius, ac veriùs eò referent, quò illam retulit Alexander VII. supremus legislator Ecclesiæ, in illo celebri Decreto suo edito an. 1665. die Sept. 14. audiens non sine magno animi sui marore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrefcere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino à simplicitate Evangelica, Sanctorumque PP. doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi seque-

Alexand.
VII. in De-
creto edito
an. 1665.

querentur, ingens eruptura esset Christiana vita corruptela &c.

125. Hæc enim verò, hæc vera causa est tantæ relaxationis, ac violationis, & divinarum, & humanarum legum, summa videlicet opinandi licentia, per quam irrepsit modus opinandi alienus omnino à simplicitate Evangelica, Sanctorumque PP. doctrina in rebus ad conscientiam pertinentibus. Hunc opinandi modum putamus quidem nos (in vi nempe argumenti, & consequentiæ) nec sine fundamentis pluribus, & urgentibus, complecti etiam modernum Probabilissimum statuentem pro recta cōscientiæ regula usum cuiuslibet opinionis, etiam aequæ, aut minùs probabilis humanæ libertati faventis. Etenim ejusmodi dogma, maximè (ut nos censemus) summam illam fovet, & auget luxuriantium ingeniorum licentiam, plurimæque opiniones Christianæ discipline relaxativas, & animarum perniciem inferentes sub generali ratione probat, universaliterque stabilis, ac per hoc illas contra legem armat in magnam animarum perniciem.

126. Porro opiniones laxæ, & Christianis moribus noxiæ, nisi reflexo dogmate illo generaliter animarentur, vix uni, aut alteri nocere possent, cum nemo posset ipsis in praxi uti, nisi qui veras illas, & tutas secundum se, ac directè judicaret; qui certè pauci admodum essent. At verò dogma illud ejusmodi opiniones universaliter tutas, innoxias, & utiles ad praxim deprædicat, etiam respectu eorum, qui falsas illas judicant, aut saltem possunt prudenter judicare. Unde fit consequenter, ut Theologi benigni hujus sæculi multò faciliùs leges quasunque intrepidè adoriantur novis contra ipsas inventis expositionibus, & opinionibus; indeque summa illa luxuriantium ingeniorum licentia in dies magis, magisque excrescit, facili scilicet spe concepta dilatandi salutis viam, & tollendi mundi peccata per

novas suas opiniones probabiles: quod quid ad vulgi auram, ac benevolentiam captandam cogitari gloriosius potest, aut appetibilius hominibus?

127. An non sæpè de hoc tanto facinore identidem in Domino Recentiores gloriantur? An non seriò Caramuel Dianam suam appellat (horret calamus) *Agnus Dei*, qui tollit peccata mundi, eò quòd plurimis opinionibus suis, Theologis antiquioribus ignotis, totidem leges Dei aboleverit, totidemque mundi peccata frequenter iteranda sustulerit? Nec simpliciter tantum id asserit Caramuel, & ut ait ipse, frequenter inculcat; verum & dici ab omnibus debere, nisi indocti, ac invidi sint: probat hoc ratiocinio totidem ejus verbis expressio: *Ingenium Diane, viri quidem doctissimi, veneror; ejus industria multas opiniones evasisse probabiles, quæ antea non erant, invidus sit, qui non affirmet. Si jam sunt probabiles, quæ antea non erant, jam non peccant, qui eas sequuntur, licet ante peccaverint: ergo si ejusmodi peccata Diana sustulit, merito dicetur esse Agnus Dei, qui abstulit peccata mundi.* Hoc seriò Caramuelis ratiocinium. Rideres credo, Lector, si res esset ejusmodi, quæ risum ferret, & non sanguineas potiùs lacrymas postulareret. Sed de his plura dabimus altero diè ridenda pariter, & lugenda.

128. Ajunt verò Terillus, & reliqui communiter Recentiores, se suo illo dogmate reflexo, idest, benignâ suâ sententiâ, nullas omnino laxas, aut perniciosas opiniones probare, nec ullam facere opinandi licentiam, quæ moribus possit nocere: quia nimirum ipsi non docent, licitum esse ad praxim deducere, quaslibet opiniones, etiam probabiles; sed tantummodò illas, quæ certò, ac practicè probabiles sunt, idest, quæ citra dubium gravi fundamento nitantur.

129. Scimus, & fatemur, Recentiores passim hæc verbis profite-

Caram. in
Proem. ad
Theolog.
Fundam.
epistol. ad
Dianam
ipsum.

ri, ac testari. Sed enim, cum videamus, hanc suam probabilitatem, quam pulchris, & peroptimis vocibus explicant, convenire reverà (ipsis etiam parentibus) pluribus opinionibus à Summis Pontificibus postea damnatis, tanquam laxis, & perniciosis; cumque per illam velint, atque contendunt, excipiendos ab omni lege quoscunque casus dubios, & qui verbis perspicuis, legibus ipsis non exprimantur: meritò nos contendimus, & propugnamus, hanc Recentiorum probabilitatem (quidquid ipsi voce reponant) esse, re ipsa regulam illam, per quam Summus Pontifex dolet, *quod summa illa luxuriantium ingeniorum licentia in dies magis excreseat; per quam irrepperit modus opinandi alienus omnino à simplicitate Evangelica, Sanctorumque PP. doctrina; quam denique, si pro recta regula fideles in praxi sequantur, ingens eruptura sit Christiana vita corruptela.*

130. Certè non esse illam, quam Magister Angelicus cõsignat nobis, immò, quam Deus ipse in Scriptura sua nobis præfigit, sed eidem prorsus contrariam, facillè tibi constabit, si utranque inter se conferas. At regula consignata à Deo, & ex ipso, ab Angelico Magistro tradita, nò potest esse aliena à simplicitate Evangelica. Vide igitur quid concludas de regula Probabilistarum. Sed de his, adhuc plura in decursu.

131. Hæc verò modò dicere coacti sumus, ut constet, quàm sit nulla, evidēs illa Terilli præsumptio, *si voluisset, id expressisset*; quamque immeritò velit, ut tribuatur legislatoribus, *si sua imperia violari videant, eò quòd sufficienter non explicarint voluntatem suam.* Quod certè constat P. Terillum neque satis consideratè, neque consequenter dixisse; sed manifestè potiùs sibi contradicendo. Utrique juxta ipsum nulla voluntas legislatoris sufficienter non explicata, habet rationem legis, aut imperii, nec aliquam imponit obligatio-

nem subditis: immò *manifestissima* præsumptio est, ipsum legislatorem noluisse voluntatem suam extendere ad ullum casum dubium, aut sufficienter lege non expressum, *nam si voluisset, id expressisset.* Quomodò ergo subditi legislatoris culpà violare possunt ejus imperium, quod nullum est reipsa, Terillo iudice, & ipsi nullum esse evidenter præsumunt? Hic planè, ut sæpè aliàs, Terillus sui ipsius oblitus est.

§. III.

Ad argumentum alterum.

132. **J**am ad argumentum secundum, quod à priori Terillus appellat, respondemus, per illas duas opiniones oppositas utrinque militantes minimè fieri, ne aliqua ex duabus illis legibus sufficienter sit promulgata; quia promulgatio simpliciter talis, de qua loquimur in præfenti, non pender ab hujusmodi opinionibus, sed illas omnino præcedit, ut constat ex superiùs dictis. Solùm igitur sequitur, in ea hypothesi nobis non constare, sed dubium absolute esse, quænam ex illis legibus determinatè existat in Deo: an nimirum voluntas, qua permittit, aut approbat, an potiùs voluntas opposita, qua reprobat, aut prohibet actionem illam; quarum altera reipsa non existit; nò quia detur opinio, ipsius existentiam negans, sed quia nunquam à Deo concepta fuit; ideòque pariter non exstitura, etiamsi nulla esset talis opinio. In dubio autem hujusmodi quid nobis sit faciendum, constat etiam ex dictis, & constabit ulteriùs ex dicendis.

133. Sed placet hic subungere in idipsum verba P. Vazquez egregia, qui scilicet, cum statuisset certam, & communem doctrinam de publica, ac solemni promulgatione, quæ ipsius legis substantiam constituit, præ notitia particulari, quæ minimè constituit, sed supponit jam con-

constitutam, & solum aufert (inquit) legis ignorantiam ab intellectu subditorum, hoc ex doctrina illa corollarium deducit.

Valq. in r.
2. d. 156. c.
2. n. 8.

Hinc autem sequitur manifestè, decipi eos, qui putant, cum, qui dubitat, an lex aliqua lata fuerit, & promulgata in curia, ea lege non teneri: eò quòd ipsi non satis promulgata censeatur. Falluntur igitur primùm in doctrina ipsa, siquidem in dubiis tutior est pars eligenda, & hac regula in hoc casu vim habet, iuxta notata à nobis d. 65. c. 3. deinde in ratione decepti sunt, eò quòd, ut ex dictis constat, aliud est promulgatio, aliud autem est notitia legis; & quamvis is, qui dubitat de lege, non haberet notitiam sufficientem legis, ut ea teneretur, tamen non posset dici carere promulgatione legis, si reverà in curia promulgata fuisset, sed notitia sufficienti illius: verum, ut diximus, ea dubitatio satis est, ut ratione ejus tutiorem partem sequi debeat, sicut loco citato ostendimus. Hæc Vazquez; quibus magnam Terilli, Recentiorumque deceptionem, & occasionem ejus sapienter detegit, confusionem videlicet, & æquivocationem terminorum promulgationis latæ, & strictæ, quæ magnopere differunt inter se, & accuratè sunt distinguendæ.

S. IV.

Breviuscula synopsis Controversiæ.

134. **A**Rcanum, ac mirabile mysterium subtilis structuræ Probabilissimi, quod Reflexistæ tantopere commendant, clarè, ni fallimur, revelatum jam est. Immo per totam hanc controversiam traditæ doctrinæ soliditas, & principiorum firmitas, quibus innitimur, procul à nobis abigit omnem deceptionis timorem. Non enim intellectui, quam-

vis in hac mortalitatis ærumna undique tenebris circumfuso, ubilibet trepidare licebit.

Nempe totius fabricæ Reflexistarum basim, & unicum fundamentum, sine quo recens Probabilismus nulla ratione possit consistere, esse principium à Terillo adinventum, de insufficienti legis promulgatione, rationibus perspicuis, atque patentibus per totum articulum primum, clarissimè demonstratum est. Hujus verò principii falsitatem in sensu, quem intendunt, aut intendere debent Recentiores ad propugnandam sententiam suam, multiplici argumento, tum ab auctoritate, tum à ratione, per reliquos articulos adeò clarè convicimus, ut opposita veritas non tantum evidenter patuerit, sed etiam magnam possit admirationem facere, quòd aliquando fuerit in quæstionem deducta.

Cum igitur altera via, qua incedunt pauci alii Recentiores, nempe directi Probabilistæ, præclusa, quoque maneat per totam præcedentem controversiam, nihil omnino poterit nobis obstare, quominus fundamentum sententiæ nostræ potissimum, & capitale, quod insinuavimus controversia quarta, urgere jam expedire possimus. Si tamen prius hic de potissimo, unico, & capitali principio Recentiorum, cui totam adstruunt Ethicæ Christianæ molem, cum Bernardo doleamus, & exclamemus, *Quàm indignè tali fundamento talis structura committitur!* Et quis precor auderet Probabilismo fidere, si ipsius structuram probè agnosceret? Paucos opinor patronos haberet, præsertim ex Auctoribus præcipui nominis, qui ipsi planè incognito incautè suffragati sunt, si ad controversiam istam tractandam, iterum nunc in mundum redirent.

Bern. ser.
82. in cant.

CONTRVERSIA SEPTIMA.

Fundamentum potissimum contra modernum Probabilismum
instauratur ex dictis, & multipliciter explicatur.

Instauratur, inquam, ex dictis; quippe non semel in precedentibus insinuaturn à nobis est: quin immò, rectius dixerim, dilucidè satis expositum toto fere art. 1. proximè precedentis controversiæ, ubi artificium Probabilismi diligentissimè speculati sumus, omnesque ipsius abditos, & intimos recessus perscrutati, totum, ut ita dixerò, semel exenteravimus. Denique nimis clarè ibidem demonstratum est, nunquam fieri posse per aliqua principia reflexa, ut qui agit ex opinione directè sibi æquè, aut minùs probabili, operetur conformiter ad legem Dei antecedentem, atque directam (quam unicè agnoscit Theologia), adeoque neque licitè, aut honestè: nam, legem illam velle de medio tollere ex promulgationis defectu, causam esse, reverà non difficilem modò, sed omnimodis deploratam, satis, superque pariter demonstratum relinquimus. Hoc autem est potissimum fundamentum sententiæ nostræ, contra modernum Probabilismum.

Nihilominus tamen, quia fundamentum hoc, si satis penetratur, totam planè causam absolvit, & modernæ sententiæ Recentiorum nimis patenter falsitatem convincit: ut efficacia ejus, etiam minùs sagacibus, perspicua sit, operæ pretium nos facturos putavimus, si clariùs adhuc illud exposuerimus; quod sanè post everfa duo illa capitalia principia, quibus totus innititur Probabilismus juxta duplicem modum generalem, quo propugnatur à Recentioribus, multò faciliùs, & expeditiùs fiet. Ob eandem etiam rationem post nostrum hoc principium stabilitum, tria illa potissima Reflexistarum, de quibus supra mentionem fecimus, & quorum falsitatem, inanitatemque illo art. 1. satis ostendimus, iterum nihilominus sigillatim ad exactius examen, revocabimus, & fusiùs, Deo auspice, refellemus, per controversias proximè subsequentes.

ARTICULUS I.

Suppositis principiis capitalibus ad controversiam primam stabilitis, proponitur, & distinctiùs exponitur fundamentum potissimum sententiæ nostræ contra modernam Recentiorum sententiam.

§. I.

Resumitur eorum principiorum compendiaria quadam notitia.

2. **O**mnis actio nostra moralis, utpote ex suo genere defectibilis, ac contingens, ad hoc ut recta sit (idest, honesta, aut bona moraliter), oportet, ut subordinetur, commensuretur, ac conformetur cum aliqua mensura, seu regula ra-

tionis prorsus indefectibili, & essentialiter per se ipsam recta, quæ sit universalis, ac prima regula moralis honestatis. Regula verò hujusmodi est lex æterna, seu voluntas Dei, cui proinde, omnis actio nostra, ut honesta, seu recta sit, conformari absolute debet, alioqui non erit recta, sed obliqua, & mala moraliter.

3. Porro actionem moralem voluntariam simpliciter, & sufficienter deliberatam, indifferentem tamen in individuo, non est opus consi-

fiderare; tum quia absolutè nulla est possibilis, ut nos putamus cum D. Thoma, (quæ est etiam communior Theologorum, immò, & expressa Theologorum Principis, idest, Augustini sententia, agentis, *Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est*), tum quia si forte aliqua sit possibilis, facile sit cum sua proportionem doctrinam traditam, & tradendam, ad eam quoque actionem applicare, videlicet in sensu negativo, in quo solum erit honesta, quia in eo tantum sensu conformis est, regulæ positivæ moralis honestatis.

4. Quoniam verò regula prima non potest per se ipsam mensurare immediate, aut regulare actiones humanas, oportet, ut ad ipsas intentionaliter approximetur, & applicetur, per dictamen nostræ rationis, quod dicitur communiter, & est, formalis, proxima, & immediata regula, per quam regula prima objectivè, & intrinsecè regulat, ac mensurat; primariò tamen, ac principaliter juxta notata sæpè, & exposita. Hoc verò dictamen rationis potest regulam primam (idest, legem æternam, seu voluntatem Dei) nobis proponere, & applicare, vel immediate in se, vel in aliquo potius medio, aut signo creato, quod, ut cognitum, nobis voluntatem divinam sufficienter ostendat, ac manifestet, ut dum illam cognoscimus ex imperio, seu lege Superioris humani, ex doctrina sapientium, ex factis, aut exemplis Sanctorum. Unde patet, signum ejusmodi esse etiam regulam nostræ operationis, non formalem, ac proximam, sed extrinsecam potius, & objectivam: non item primam, & independentem, sed secundam, & primæ subordinatam.

5. De hac proinde regula, sicut etiam de proxima, ac formali (quæ secunda item est absolutè, & regulæ primæ subjecta) illud est certum, & in primis notandum, nempe, totam ipsarum rectitudinem, & boni-

tatem in ratione regulæ, consistere in conformitate cum ipsa prima, ac suprema regula; quia per hanc solam conformitatem reddere possunt operationem nostram conformem ipsi regulæ primæ, unde tota desumitur primariò, ac principaliter, ipsius nostræ operationis honestas. Hæc omnia sunt principia à nobis statuta in controversia prima, tanquam totius Operis fundamenta immobilia, de quibus nemini liceat dubitare.

§. II.

Nostrum argumentum proponitur.

6. **E**X his principiis facile argumentum nostrum conficitur. Omnis secunda regula moralis actionis, sive objectiva, sive formalis, ut sit recta (idest, verè regula), debet esse conformis positivè, ac formaliter primæ, ac supremæ regulæ honestatis moralis. nimirum legi æternæ, seu voluntati Dei. At nulla opinio favens humanæ libertati contra legem, quæ sit directè minùs operanti probabilis, conformis est formaliter, ac positivè regulæ primæ moralis honestatis. Ergo nulla ejusmodi opinio est recta regula actionis moralis. Major, principium est, quod nequeat in quæstionem vocari. Minor videtur evidens ex ipsa terminorum acceptione; nam opinio directè operanti minùs probabilis, judicatur ab ipso, vel falsa, atque contraria legi Dei, idest, regulæ primæ, vel saltem judicatur verosimilius esse, quod sit re ipsa falsa, & contraria: nemo verò opinionem, quam falsam judicat, atque adeò contrariam primæ regulæ, vel quam judicat esse verosimilius, re ipsa falsam esse, & contrariam, potest simul, & semel judicare eidem primæ regulæ conformem, ut ex ipsis terminis patet: ergo nulla talis opinio potest esse conformis positivè, & formaliter (apud operantem, scilicet) regulæ primæ moralis honestatis: ergo nec potest esse regula-

re-

recta: ergo nec licite deduci ad praxim.

7. Hæc omnia per se ipsa prorsus evidentia videntur. Ulterius tamen, si fieri potest, declarantur, & confirmantur. Moralem opinionem conformem esse regulæ primæ, atque adeo regulam rectam, est id ipsum præscribere, ac dictare faciendum, quod ipsa prima regula dictat, atque præscribit. Quid alioqui? Sed opinio, quæ negat legis obligationem, si sit reipsa falsa, non dictat illud ipsum, quod dictat lex, idest regula prima; idè enim est falsa, quia non id ipsum, sed oppositum dictat: ergo reipsa non est conformis regulæ primæ: ergo reipsa recta non est: ergo nec est formaliter recta, hoc est, in conscientia operantis, si nimirum ab ipso cognoscatur ut falsa. Hæc per se patent.

8. Modò sic arguo: ergo opinio directe minùs probabilis operanti, nequit esse formaliter, sive in conscientia ipsius, conformis primæ regulæ, proindeque nec regula recta formaliter. Probatur consequentia: quia operans opinionem ejusmodi, vel judicat absolutè falsam, vel saltem potest proximè, si velit, judicare. Certè ut minimum censet verisimilius esse, quòd sit reipsa falsa, adeoque non conformis primæ regulæ, sed eidem potiùs contraria; alioqui amabò quid erit, aliquam opinionem existimari minùs probabilem? Atqui nemo, dum judicat, aliquam opinionem esse re ipsa falsam, vel saltem esse verisimilius, quòd sit falsa reipsa, potest simul, & semel judicare, eandem opinionem esse conformem regulæ primæ, alioqui judicaret esse veram re ipsa, & simul esse verisimilius, quòd re ipsa sit falsa, quæ sunt judicia palàm sibi contradicentia saltem virtualiter. Ergo nemo opinionem minùs sibi probabilem existimare potest conformem primæ regulæ, proindeque nec regulam rectam. Igitur nulla opinio minùs probabilis operanti,

est regula formaliter recta: igitur nec est regula moralis honestatis.

§. III.

Exemplis explicatur, & illustratur.

9. **R**em nimis de se claram exemplis clariorem faciamus. Regula prima, seu mensura temporum, annorum nempe, dierum, vel horarum, est motus solis, sive sphæræ cælestis: artificialia vero horologia sunt regula, aut mensura secundaria, cujus rectitudo nimirum tota consistit in conformitate, sive consensu cum prima regula, in eo scilicet quòd horologium designet idem tempus, quod sphæræ, vel solis, motus designat. Illud ergo horologium quod semper, & indefectibiliter conveniret cum sole in designando tempore, foret regula temporis secundaria optima omnium, atque rectissima: quod autem ferè semper, & ut in plurimum conveniret, licet quandoque, aut rarò deficeret, esset regula ex suo genere maximè accedens ad rectitudinem, atque adeo moraliter, & quantum ad humanum convicium, diceretur regula recta. Illud demum, quo sæpè non conveniret, maximè, si frequenter, aut frequentius deficeret, nullo modo esset recta, sed regula deficiens, & prava.

10. Pone modò, quod aliquis, ut exerceat in tempore determinato, ac fixo, aliquod opus debitum ex præcepto, seu voto, statuat generaliter apud se sequi signum; aut sonitum hujus tertii horologii, cujus nimirum cursum irregularem, ac frequentius fallentem ab experientia cognitum habeat: is profectò ad agendum præfiget sibi regulam temporis non rectam, sed fallacem, ac pravam, quam scilicet videt non conformari cum prima regula; unde decerneret generaliter agere ex regula, & reipsa, & formaliter mala. Pari-
ter in eventibus particularibus, quo-
ties

ties consuetum opus exerceat ad sonitum horologii prædicti, nullo alio expectato temporis signo, vel conjectura, toties homo ille operabitur ex regula formaliter prava, quam nimirum non potest judicare conformari cum prima temporis regula; signum nanque horologii sapius, ac frequentius fallentis, verosimilius est, quod fallat re ipsa in quolibet eventu determinato.

11. Jam primum horologium comparatur iudicio penitus evidenti, & absolute certo, quod est agendi regula potius Angelica, quam humana. Secundum refert iudicium humanum quadam morali tantum, atque adeo imperfecta rectitudine constans; quod tamen esse prudens, atque verè probabile ex suo genere, juxta sensum nostræ sententiæ, in suo proprio loco ostendemus, ubi consequenter monstrabimus adversus Janсениstas, & Tutoristas, qualiter sit sufficiens, rectaque agendi regula honestatis moralis.

12. Tandem tertium, & ultimum horologium respondet exactissime opinioni probabili in sensu benignæ sententiæ absque ulla, vel minima, differentia formali. Porro opinio directe minus probabilis, est regula objectiva ex suo genere frequentius fallens, & deficiens à prima regula. Ergo, qui generaliter apud se statuit operari in eventibus sibi occurrentibus secundum opinionem directe sibi minus probabilem in sensu Probabilistarum, regulam objectivam sibi præfigit non conformem regulæ primæ, sed potius dissidentem ab ipsa, adeoque agere paratus est ex regula rationis sibi non recta, proindeque non recta formaliter. Hinc in eventu quolibet particulari homo iste operabitur secundum regulam sibi non rectam, sed fallacem potius, ac pravam; nam unaquæque determinata opinio, si sit minus probabilis operanti, hoc ipso sibi verosimilius est, quod re ipsa deficiat à consensu cum prima regu-

la, atque adeo non potest eidem regulæ conformis judicari.

13. Id ipsum potest adhuc haud minus clarè ob oculos cõstitui exemplo fortium, talorum, verbi gratia, aut alterius signi cujuslibet penitus contingentis, & incerti.

Ecce Petrus pertesit tantam in rebus omnibus moralium opinionum, ac iudiciorum hominum varietatem, ut evolvendi libros, aut homines peritos cõsulendi laborem, ac molestiam semel declinet, statuit apud se de his non amplius esse sollicitum, sed dubia quæque sibi occurrentia de licito, aut illicito, in posterum sorte decidere. Eligit ergo sibi numulum aliquem ex hac parte castello, ex parte opposita leone signatum, quales habemus in nostra Hispania. Incidit fortè dubium de honestate contractus, quem inire volebat, & productum numisma jacit in altum ea intentione, & lege, ut si cadens in terram, monstraret castellum ex superiori parte, contractum ineat, si verò leonem ostenderit, abstineat omnino à contractu.

Erit ne quæso aliquis non infans, qui Petrum sic agentem, impium, & scelestum non pronuntiet; quippe qui floci faciat legem divinam, ipsamque nimis temerè contempnat? Non opinor. At quare precor? Res ipsa loquitur. Nimirum, quia ad agendum scienter eligit regulam objectivam indifferentem, ac prorsus absolutam à consensu cum prima regula, quam proinde non potest eidem primæ regulæ rationaliter conformem judicare; nam, cum ex se nullam omnino habeat determinationem ad regulam, sed contingentiam potius, & indifferentiam omnimodam, quod in actu secundo regulæ conformetur, aut opponatur, non est prudentiæ, aut consilii opus, sed fortunæ potius, & casus: hæc est enim fortium natura, in quibus, ut Tullius agebat, *temeritas, & casus, non ratio, & consilium valet.*

Tull. de
Divinat.

14. Abijciamus numisma, & re-

S

po-

ponamus ipsius loco opinionem directam, & minus tutam, & operanti ipsi minus probabilem, immò etiam æquè probabilem, ut exemplum in nihilo dissideat. Certè huiusmodi opinio apud operantem ex illa, non minus est indifferens ad legem, & non legem, atque adeò non minus absoluta à consensu cum prima rectitudinis regula, quàm fors illa numismatis, immò magis, si opinio fuerit minus probabilis. Ergo non magis cõformis est apud operantem ex illa, cum ipsa prima rectitudinis regula. Ergo non minus temerè contemnunt legem Dei, qui scienter eligit opinionem ejusmodi, ut regulam objectivam agendi, quàm Petrus eligens fortem numismatis.

Video, opinionem hominum, de qua modò, & numismatis fortem, quam exempli gratia produximus, magnopere differre naturà suà: at in ratione regulæ objectivæ opportunæ ad honestè agendum, nihilo magis differunt, quàm ulna lignea ab ulna, vel ærea, vel agentea, differat in ratione mensuræ. Porro nihil prodesse Recetioribus recursum ad principia reflexa, ostensum est, & ostendetur adhuc.

ARTICULUS II.

Præcludit evasiones cogitabiles.

15. **U**Tique verosimiles nullæ se mihi offerunt. Quia verò dicere, & cogitare multò ampliorum habet sphaeram, erit, qui dicat, latum esse discrimen; nam, qui opinione utitur minus sibi probabili in sensu benignæ sententiæ, adhibet diligentiam sufficientem ad inveniendam voluntatem divinam, quam tamen invenire non potest; non enim aliter Probabilistæ permittunt usum illius opinionis. At verò Petrus utens forte numismatis (& eadem est ratio de utente signo tertii horologii) nullam diligentiam præmittit, sed merè casualiter agit, adeoque meritò

condendus est temerè Dei legem contemnere. Sed hoc est cogitare, aut dicere, & nihil dicere, aut cogitare.

16. Contrà est primò: quia, juxta Recentiores, undecumque quis habeat opinionem probabilem (hoc est opinionem unius, aut aliquorum gravium Auctorum de improbabilitate non notatam, quamvis falsa communiter existimetur, juxta dicta superius ex Terillo) deobligantem à legis observantia, quam sanè poterit facillimè habere ex indice cujusvis Summæ vulgaris, vel ex aliorum dicto, aut narratione; absque ulteriori aliqua diligentia, & nihil omninò curando, an opinio prædicta sit re ipsa vera, vel falsa, potest intrepidè procedere ad opus, dummodò noverit conscientiam formare ex officio sententiæ benignæ.

Sup. con-
tr. v. 3. a. 1.

Profectò in hoc eventu diligentia præmissa ab hoc Probabilistæ ad inveniendam divinam legem, & diligentia à Petro præmissa, parum, aut nihil inter se differunt: aliunde, verò regula objectiva, qua utitur uterque, æquè absoluta est à consensu cum prima regula, æquèquè indifferens in mente utriusque ad legem, vel non legem, nisi quòd fortè regula Probabilistæ magis determinetur ad non legem, si nimirum opinio fuerit minus probabilis. Et tamen Petri actionem adeò exire diversam ab actione Probabilistæ, ut illa æternum ignem, hæc verò nihil mali, quin immò gloriam mereatur æternam? Mirum! sed nobis haud minus incredibile.

17. Contrà secundò: ponamus, Petrum multum laborasse, & nihil facere præfermisisse ad inveniendam legem divinam, qua tamen non inventa, uti jactu numismatis ad resolvendum dubium. Rogo, an Petrus peccaret, & temerè legem contemneret? (& non agimus modò de peccato superstitionis, quod fortè posset intervenire) Nemo opinor negabit. Unde verò? Profectò non ex diligentia omissione, sed ex regula illa, quam

quam assumit, non conformi regulæ primæ. Atqui Probabilista eadem prorsus regulam utitur, & æquæ ad primam regulam indifferenti, quin, & magis connexa cum transgressione legis, si opinio minus probabilis sit. Ergo non minus peccat, nec minus temerè legem contemnit, quidquid sit, an præmiserit aliquam diligentiam ad inveniendam legem.

18. Discrimen igitur assignatum, primum est de subiecto non supponente, ut ajunt. Deinde, quamvis verè subsisteret, est prorsus importunum, ac inutile; quid enim facit ad honestè operandum, quod, qui opinione utitur minus sibi probabili, præmiserit quamcumque diligentiam ad inveniendam legem divinam, si post præmissam eam diligentiam nihil curat legem violare, quandoquidem voluntariè assumit pro regula objectiva operationis suæ, aliquid omninò contingens, & indifferenter se habens ad legem, & ad ejus carentiam, immò quædoque magis cum legis carentia connexus? Perinde sanè est, ac si in assumpta hypothese magno labore, & cura Petrus quæsierit memoratum numisma, ut per ipsius jactum, & sortem decidat dubia sibi occurrentia circa legis obligationem.

19. Unde hinc rursus patet, hominem illum nullam reverè diligentiam præmittere pro invenienda lege divina, veram, ac seriam, sed apparentem tantum, superficiale, & illusoriam. Enim verò, qui habet opinionem, vel minus, vel æqualiter sibi probabilem, negantem legis obligationem, non habet potius legem divinam, permittentem scilicet, aut approbantem illam actionem, quam carentiam ejusdem legis, sive legem oppositam prohibentem. Ergo, quod attinet ad legis inventionem, non aliter se habet, ac Petrus post jactum numismatis; immò se habet pejùs, quoties opinionis assumptæ non est æqualis, sed minor probabilitas. Aliunde verò, illa opi-

nione inventa, nullam ulterius diligentiam facit pro divina lege invenianda, nec facere tenetur in via Probabilistarum. Igitur nullam absolute facit.

20. Utrique diligentia, quæ tota sistit in aliquo quærendo, per quod, etiam inventum, non habeas potius legem, quam non legem, nequit cum aliqua veritatis specie vocari diligentia seria, quin neque diligentia pro invenienda lege. Patet igitur, illum, qui in dubiis circa licitum, vel illicitum, utitur opinione probabilis in sensu Theologiæ, non magis seriò quærere legem Dei, quam Petrum, qui per sortem numismatis resolvat dubia eadem sibi occurrentia. Sed hæc statim latius urgebimus, & sæpius etià in decursu inculcabitur.

21. At dicat iterum alius quispiam: discrimen manifestum esse, quod, qui utitur opinione probabilis in sensu benignæ sententiæ, regulam sequitur objectivam rationalem, atque prudentem, videlicet, judicium absolutum, quo viri prudentes, ac docti, rationabiliter judicarunt, opus illud, de cujus honestate oppositæ opiniones feruntur, esse re ipsa honestum, & non contrarium legi divinæ; quod idem ipse operans, vel actu judicat, vel potest absolute, si liberè voluerit, judicare. At verò Petrus utens sorte numismatis, utitur regulam planè ineptam, ac penitus irrationali, qua scilicet, nec ipse judicat, nec aliquis judicare potest, per illud opus dubiæ honestatis non violari re ipsa legem divinam. Verum hoc etiam nihil est dictum multiplici ex capite.

22. Primò; quidquid de aliorum judicio sit, falsum est, ut quod maximè, quod operans judicio directo (de reflexo non agimus, nec opportunum est) judicare absolute possit in hypothese, quam versamus, opus esse re ipsa honestum, & non contrarium divinæ legi, ut tota controversia quinta luculenter est demonstratum.

Secundò: illud iudicium, si possibile esset, non fore prudens, & rationale, sed verè imprudens, ac temerarium, ibidem demonstratum est ad finem articuli ultimi.

Tertiò præterea: quidquid de his sit, operans (ut nunc ponimus cum Reflexistis) non iudicat iudicio directo, opus, de quo deliberat, honestum esse, nec aliorum virorum prudentum, ac doctorum iudicium sequitur, ut regulam formalem, aut remotam, aut proximam, per quam, scilicet ipsis assentiat; sed ut regulam tantum objectivam, censens nimium ipse, viros illos prudentes sic iudicasse, ceterum vel esse deceptos, vel saltem esse verosimilium, quod re ipsa decepti sint. An non est hæc hypothesis, quam vertimus? Quid ergo aliò importunè distrahimur?

Tum verò luce clariùs apparet, nullum prorsus esse discrimen, nisi penitus materiale. Porro, qui utitur opinione probabili in sensu Probabilistarum, regulam sequitur objectivam penitus apud ipsum absolutam à consensu cum prima regula, quippe prorsus indifferentem ad legem prohibentem, aut approbantem, vel fortassis ad illam magis determinatam, si opinio scilicet fuerit minus probabilis. Ergo non magis iudicat, se agere conformiter ad legem Dei, quam Petrus utens forte numismatis: ergo non magis quærit divinam legem: ergo non minus temerè contemnit ipsam. Certè omne discrimen excogitabile perinde est materiale, ac importunum, ac sit in regulis purè materialibus, quod altera sit lignea, altera aurea.

Verum hæc, quamvis adeò sint evidentia, quò magis adhuc, ac magis illustrentur, argumentum nostrum potissimum paulò aliter exponamus: fortassis clariùs, atque simpliciùs, atque adeò opportuniùs, ut, vel à minus doctis (quod optaremus) ipsius vis faciliùs percipiatur.

ARTICULUS III.

Ex fidei Catholica dogmate, rationis quoque lumine evidenti, quo docemur, teneri nos voluntatem, & legem Dei serìo, ac diligenter inquirere, ut nostras illi conformemus actiones, iterum demonstratur falsitas benignæ sententiæ.

23. **I**D esse fidei dogma præcipuum, atque nobilissimum, immò dogmatum omnium, quæ morum doctrinam concernunt, veluti animam, & spiritum, indeque universale, ac maximè attendendum totius honestatis moralis fundamentum, atque principium, nemo Catholicus inficietur. Utique leges omnes, atque præcepta, siue humana, siue divina, nisi communi dogmate isto animarentur, ac firmarentur, forent, velut cadavera absque ullo spiritu, aut vira, & (sicut alio sensu agebat Apostolus de præceptis antiquis ceremonialibus) *infirma, & egena elementa*. Quid porro convenientiæ, vel utilitatis haberet, Deum, & per se ipsum, & per Superiores humanos aliquid nobis prohibere, aut præcipere, nisi aliunde districtè generaliter imperaret omnia præcepta sua diligenter inquirere, & fideliter adimplere?

Ad Galat.
4.

§. I.

Ostenditur præfatum principium esse fide, & ratione certum.

24. **I**Deò hanc veritatem tanti momenti, & scitu perquam dignissimam, non semel Deus, aut suboscure, sed sæpissimè, ac signatissimè in Scripturis utriusque paginæ nobis ingeminat, ac commendat: *Non facietis . . . singuli, quod sibi rectum videtur: & rursus: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas. Non sequantur cogitationes suas; sed me-*

Deut. 12.

Num. 15.

Deut. 5. *memores preceptorum Dei faciant ea.*
 Deut. 5. *Facite, quod precepit Dominus Deus*
 Deut. 5. *vester: non declinabitis, neque ad*
 Deut. 5. *dexteram, neque ad sinistram. Hodie*
 Eccle. 6. *Dominus Deus tuus precepit tibi, ut*
 Eccle. 6. *facias mandata hæc, atque iudicia, ut*
 Eccle. 6. *custodias, & impleas ex toto corde tuo,*
 Ezech. 20. *& ex tota anima tua. Cogitatum tuum*
 Psal. 118. *habe in preceptis Dei, & in mandatis*
 Eccle. 1. *illius maxime assiduus esto. In præ-*
 Psal. 118. *ceptis meis ambulate. Tu mandasti*
 Eccle. 1. *mandata tua custodiri nimis. Deum*
 Prov. 7. *time, & mandata ejus observa: hoc est*
 Prov. 7. *enim omnis homo. Fili serva mandata*
 Prov. 7. *mea, & vives: & legem meam quasi*
 Prov. 7. *pupillam oculi tui: liga eam in digitis*
 Prov. 7. *tuis, & scribe illam in tabulis cordis*
 Prov. 7. *tui. Si vis ad vitam ingredi, serva*
 Math. 19. *mandata. Docentes eos servare omnia,*
 Math. 23. *quacumque mandavi vobis. Nolite*
 Ad Eph. 5. *feri imprudentes, sed intelligentes,*
 Ad Eph. 5. *quæ sit voluntas Dei. Omnia autem*
 1. Ad The- *probate: quod bonum est, tenete. Ab*
 sa. 5. *omni specie mala abstinete vos.*

25. Sed, ne diutius moremur in re notissima, sufficit, si vel unicuique citatus Psalmus 118. quem quotidie in Officio legimus, attentamente, & oculis percurratur, ut manifestum sit, quam indefesso studio, quantâ diligentia, ac labore incumbere omnes debeamus in procurandam divinarum legum cognitionem, & obedientiam; vix etenim in omnibus, ac singulis ejus versiculis (qui pauciores non sunt septuaginta sex supra centum), vix, inquam, aliud sonat divinus Psalter, quam discere, cognoscere, intelligere, scire, meditari, perspicere, scrutari, custodire, considerare, non oblivisci, exquirere, diligere, in corde abscondere, servare, concupiscere, desiderare legem, vias, præcepta, testimonia, mandata, justificationes, semitas, disciplinam, veritatem, iudicia, voluntatem, verba, sermones, æquitatem, iustitiam, eloquia Dei. Quorum omnium verborum tanta, tamque mirabili, atque pulcherrima varietate, ac dulcedine, quid agit spiritus Sanctus, nisi ingratis cordibus hominum divina

sua voluntatis, ac legis, notitiam, desiderium, & amorem, & nostræ pariter obligationis memoriam, nunquam abolendam inferere?

26. Eandem insuper veritatem, ex severissimis comminationibus, atrocissimisque suppliciis, nec non ex promissionibus, & præmiis innarrabilibus, quibus Deus movet, & urget ad observantiam suarum legum, & quibus plena Scriptura est, manifestè nobis ostendit.

27. Nec fide tantum constat hæc veritas, verum ratione etiam evidenter est demonstrabilis, immò, & ipso rationis lumine nota, quâdamque naturali cõceptione mortalium omnium mentibus insita.

Nam quis aliquando adeò rudis, ac barbarus inventus est, qui Numen, quod adorat, (qualecumque illud sit) non concipiat, ut aliquid potentissimum, excellentissimum, optimum, ac supremum? Cum ille unus (ait Augustinus) cogitatur Deorum Deus, ab his etiam, qui alios, & suspicantur, & vocant, & colunt Deos, sive in Cælo, sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit, atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere. Pergit deinde ostendere varias, atque stultissimas hominum opiniones de Deorum natura, & qualitate, ortas esse ex diversa uniuscujusque affectione, atque bonorum existimatione: post quæ tandem concludit sic, Omnes tamen pro excellentia Dei certatim dimicant, nec quisquam inveniri potest, qui hoc credat esse, quo melius aliquid est.

Atqui Deum ita concipere, est concipere ipsum, ut summè reverendum, timendum ab hominibus, & amandum; cui proinde, vel in re minima, displicendum minimè sit, sed ipsius potiùs voluntas in omnibus summè attendenda, omnesque ejusdem leges, ac directiones summo studio quarendæ, & observandæ. Evidens ergo est, & rationis lumine notum teneri nos in omnibus voluntatem, & legem Dei diligenter sem-

Aug. li. 1.
de Doctr.
Christia. c.
7.

semper inquirere, & fideliter adimplere. Patet ergo, dogma præfixum, esse non modò fide divina certum, sed ipso etiam lumine naturali evidens, & notissimum apud omnes.

28. At dicat aliquis, frustrà nos tempus terere in ea veritate, vel ostendenda, vel inculcanda, de qua nemo ambigere potest, immò vix potest aliquis oblivisci. Sed qui sic sentiat, peregrinus sit, in nostra, quam versamus, controversia. Constabit illi ex Operis decursu (si nobiscum progredi velit), non esse aliquid ita necessarium. Interim, mihi crede, si hæc notissima veritas ab hominum memoria non longè abiret, vel, si mediocriter attenderetur, nemo Probabilissimo fidem præberet. Quod nisi luce ipsa lucidius fecerimus, licet tibi, ut inutilem, laborem nostrum irridere, & contemnere.

§. II.

Conficitur demonstratio nostra contra modernum Probabilismum.

29. **N**emo operatur licitè, aut honestè, nisi qui, quandoque vult operari, diligenter, seriò, & ex animo inquirat voluntatem, & legem Dei, ut suam illi conformet actionem. At quisquis utitur opinione negante legis obligationem, & suæ libertati favente, quam ipsemet agnoscit æquè tantum, aut etiam minùs probabilem, non inquirat seriò, & ex animo voluntatem, & legem Dei, nec eidem intendit operationem suam conformare. Ergo nec licitè, nec honestè operatur: ergo violat formaliter legem Dei, adeòque formaliter peccat. Utrique consequentia est evidens. Major constat ex præfixo principio.

30. Minor ex dictis facilè demonstratur, aut potiùs multipliciter explicatur. Quisquis in ordine ad aliquem finem eligit medium, quod ipsemet agnoscit esse prorsus ineptum ad talis finis cōsecutionem,

is profectò non quærit seriò, & ex animo finem illum, sed magis, vel irridet, vel cōtemnit. Quis id non videat? Ita verò se habet qui in hypothese nostra utitur opinione minùs sibi probabili; etenim ejusmodi opinio potiùs habet avertere operantem à voluntate Dei, quàm ad ipsam illum perducere, cum sit verosimilius, quòd talem opinionem sequendo transgrediatur re ipsa legem Dei, idque cognoscat operans ipse: medium autem hujusmodi, ineptum medium est apud ipsum ad assequendam voluntatem divinam: quin non ineptum modò, sed, & repugnans, & oppositum tali fini, ut ex ipsis terminis patet. Ergo, qui talem opinionem amplectitur non quærit seriò voluntatem Dei, sed magis illam fugit, atque voluntariò contemnit.

31. Explicatur ulteriùs, & confirmatur ex subiecta hypothese. Titius laborans morbo quodam ignoto, cujus subito insultu corripitur, nec leviter torqueri, absque aliquò tamen vitæ discrimine, magno pretio, & labore comparavit ex quodam celeberrimo Medico duas valde præciosas, nec minus efficaces medicinas, quarum altera, scilicet pro morbo illo præsentaneum remediù est, altera non pro illo, sed pro alio morbo diverso, qui fortasse Titio imminebat, & in quem præsens morbus mutandus timebatur. Admonuit autem Medicus Titium, ac seriò protestatus est, ne fortè per errorem consueto suo morbo correptus postremam medicinam sumeret aliquando, alioqui sine mora infallibiliter periturus. Titius utranque simul coram multis aliis domesticis fideli famulo servandam tradit, & medicus discedit ab illo.

Eàdem Titius nocte consueto suo morbo corripitur, & medicinà, seu potionem suam, instanter sibi postulat afferri. Utranque famulus protinus offert, singulas singulis manibus tenens, ingenuè tamen domino fassus, se certò non scire, utra ex il-

illis sit potio salutaris, utra verò lethifera; se tamen credere, sinistram esse noxiam, & dexteram esse sumendam. Id ipsum alii denuò advenientes ex domesticis contestantur, quamvis alii non desint, qui oppositum affirmant. Hæret Titius perplexus, & formidat, ne dum doloris quærit levamen, certam sibi mortem adsciscat. Famulus ille prudenter monet, ferendum dolorem, tantisper, & consulendum interim, Medicum, si fortè nondum loco discesserit, alioqui abstinendum ab utraque potione, nisi discrimen certò confiterit.

Sed Titius doloris impatiens arripit ex potionibus alteram; nec tamen dexteram, quam censebat, & ipse verosimilius esse tutam, & sanam, sed alteram, quæ colore magis, vel odore sibi arridebat, & quæ gustui jucundior futura videbatur. Vix autem illam haurit intrepidus, cum subitis impetitur mortis doloribus, & seram pænitentiam cum anima, pariter agit. Hæc est hypothesis, quæ sub tot circumstantiis idè prolixa narratione descripsimus, quia non hic tantum nobis, sed etiam alibi fortè deserviat.

32. Modò verò non quærimus directè, utrùm Titius peccaverit, aut imprudenter egerit, quod extra dubium est. Illud solum inquirimus determinatè, quod immediatè facit ad rem nostram, & quod non minus est extra dubium: an scilicet Titius sincerè amaverit salutem, & vitam, eamque diligenter, & ex animo in eventu proposito quæserit? Nullus erit, ut reor, qui quæstioni cunctetur respondere, cum sit evidentissima pars negativa: ratio verò non alia, nisi quia Titius positus in magna illa perplexitate, liberè elegit medium, quod non magis, immò minùs habebat apud ipsum inferre, aut conservare sanitatem, & vitam, quàm illam perdere; quod est vitam contemnere, atque prodigere, per evidentem temeritatem.

33. Conveniamus jam Recentiores, in quorum benigna sententia non major diligentia, sed multò minor per se loquendo, necessaria est ad quærendam, & inveniendam aliquam opinionem, & minus tutam, & minus operanti probabilem, nec urgentior occasio ad aggrediendum tantum periculum, violandi scilicet legem Divinam, nec difficilior via, ad illud declinandū exigitur. Aliundè verò operans per illam opinionem, quam eligit, non minùs videt esse verosimile, aut pariter verosimilius, quòd violabit reipsa legē Dei, & ab ipsius voluntate recedet: ergo non magis illam sincerè amat, nec magis ferid, & ex corde quærit, quàm Titius amaverit vitam, illamve sincerè quæserit.

ARTICULUS IV.

Præcluduntur effugia: ubi directus etiam Probabilismus Recentiorum aperta falsitatis denuò convincitur.

AD hæc adeò patentia non apparet, quid dici possit cum aliqua veritatis specie ex doctrina moderni Probabilismi, post eversum utrumque capitale utriusque viæ principium. Sed, ut nihil, quod posset utcumque cogitari, vel à minus intelligentibus, in re ista prætermittamus, ecce subiicimus effugia quædam, quæ posset aliquis invenire.

§. I.

Reflexistarum evasiones præcluse.

34. **P**Rimò ergò reponat quis vulgare Recentiorum effugiū, quo pleraque argumenta nostra facillimè se solvere putant. Ajunt scilicet, dum ab exemplis medici, judicis, & similibus urgentur; disparitatem esse evidentem, & ut ajunt, planè palmariam; etenim medici-

na exempli gratia, de cujus sanitate medicus habet æquè, aut minus probabilem opinionem, si reverà sit noxia, re ipsa nocet, & mortem præmaturat, vel absolute infert ægroto, nihil obstante medici judicio, à quo non pendet effectus medicinae. At verò opinio de honestate objecti, licet directè minus probabilis, si ex illa formetur conscientia per artificium Probabilismi, nihil reverà nocere potest; nam esto falsam esse, contingat, nihil re ipsa sequitur, nisi legis violatio materialis duntaxat, & minimè operanti imputabilis, quæ nemini proinde re ipsa nocet, nec prohibet, quominus operans prudenter operetur, & laudabiliter, atque adeò honestè formaliter. Ideò opinionem illam medici, & similes appellant improbables practicè, & probabiles purè speculativè: cæteras verò practicè probabiles.

35. Sed in primis doctrinam, istam verè vulgarem, esse absolute falsam, & apertè in se ipsa implicatorem, quæque nullam producat disparitatem, sed apertissimè principium petat, ut reliqua præcipua fundamenta Probabilismi, & ex doctrina tradita sufficienter colligitur, & distinctius postea monstrabitur.

36. Et verò quisnam erit verè cordatus, qui non valdè miretur prudentiam istam, juxta quam diligentius cavendum est damnum temporale, quàm violare re ipsa legem divinam, eò quòd Deus ex violatione ista nullum revera damnum patiatur? Sanè eodem discursu possent concludere, parum, aut nihil esse curandum, vel hostiam consecratam pedibus conculcare. Utrique Christus Dominus nihil verè doleret, nec pateretur verum aliquod damnum, sed ab Angelis potius interim laudaretur cum ineffabili, ac plenissimo gaudio. Sed de his infra uberim. Id duntaxat celeriter adnotasse modò sufficiat, ut videas quanti fiat voluntas Dei in principiis moderni Probabilismi.

37. Nunc, quòd ad præsens atinet, doctrinam Recentiorum esse importunam, & ex qua nullum valeant effugium querere pro nostro argumento solvendo, manifestè patet ex dictis. Porro nos illud medicinae exemplum, & innumera alia similia, ea intentione modò producimus, ut ostendamus, cum, qui utitur opinione æquè, vel minùs sibi probabili in sensu Probabilistarum, non amare sincerè, nec quærere voluntatem divinam, neque reverà intendere seriò, & ex corde operationem suam cum illa conformare. At hoc exempla illa evidentè ostendunt, quidquid nunc sit de disparitate, aut distinctione vulgari Recentiorum, neque id ipsi negare possunt, nisi velint luci resistere. Nullum ergo opportunum doctrina illa præstat effugium pro nostro argumento solvendo.

38. Erit præterea fortè, qui dicat, exemplum illud nimium probare, atque adeò in nos etiam retorqueri; nam Titius in hypothesi facta, adhuc temerè ageret, neque sincerè quæreret sanitatem, & vitam, si medicinam alteram sumeret, quam nimirum censebat verosimilius esse salutare. Hinc verò sequitur contra nos ipsos, nunquam licitum esse uti opinione aliqua minùs tuta, quamvis sit probabilior operanti.

39. Sed verò Recentiores concedant nobis, quod unicè intendimus, & quod negare, licet vellent, non possunt, nempe, cum, qui utitur opinione quacumque minùs tuta, & æquè, aut minus sibi probabili, non quærere sincerè legem divinam, quod illo exemplo, & aliis evidentè convincitur, immò ex terminis ipsis evidens est; & nihil aliud modò curamus.

Certè argumentum nostrum, & exemplum productum cum doctrinam contineat non modò veram, sed evidentem ex acceptione ipsa terminorum, nihil absurdum potest
le-

legitimè probare : quare quidquid ex illo potest deduci, vel non rectè deducitur, vel absurdum esse non potest. Non est verò hujus loci exponere accuratè, & exactè, quæ probabilitas opinionis sit regula sufficiens agendi, quod ad postremam partem per se spectat, & de quo haud pauca in decursu dicere, doctrinæ ipsius ordo nos coget, præsertim in postrema libri sequentis controversia, ubi rem istam satis de se difficilem, & arduam ex professo propemodum exponimus, & medium designamus necessariò tenendum inter extrema omninò vitanda Probabilissimi, & Tutorissimi, secundum rectam prudentiæ legem; quæ pro conditione materiæ, & circumstantiis propriis actionis mensuram taxat diligentia adhibenda in quaerenda lege Divina, & cavendo erroris periculo, adeoque regulam agendi præscribit eandem in quacumque materia formaliter, & quoad substantiam, cum aliqua tamen diversitate quoad modum, adeoque accidentali, & quasi materiali duntaxat secundum propriam materiæ qualitatem. Vide, si placet, ibi dicenda : fortasse, Deo Auditore, rem non satis ab aliis elucidatam exponimus non prorsus ineptè.

§. II.

Præcluditur effugium ex Probabilismo directo.

Espar. 3. p. 2. 191.

40. SED dicat tandem aliquis ex P. Esparza, hoc nostrum argumentum adversus Reflexistas esse insolubile, & evidenter demonstrativum; non ita verò contra Probabilistas, quos directos supra appellavimus, qui scilicet sic docent formare conscientiam ex opinione aliqua directa antecederet minùs probabili, ut illa debeat esse non tantum objectivè in intellectu ipsius operantis, verum etiam formaliter, ac subjectivè. Porro, qui judicio directo

determinatè judicat, quamvis ex fundamentis antecederet sibi levioribus, objectum esse honestum reipsa, hoc ipso judicat absolute, & simpliciter, actionem suam legi conformari, atque adeo spem bonam concipit assequendi reverà voluntatem Divinam, quamvis conjunctam cum timore aliquo discedendi reipsa ab illa. Igitur non contemnit Divinam voluntatem, sed illam potiùs sincerè amat, & satis diligenter inquit pro miseria, & caligine præsentis incolatus, quandoquidem non poneret talem actionem nisi absolute crederet, & consideret, se nihil reverà facturum contra voluntatem Divinam.

41. Verumtamen Esparza, & cæteri directi Probabilistæ, si qui reverà sunt (ego enim, qui scripto sententiam ejus doceat saltem expressè, vidi neminem præter ipsum) quiescere profectò deberent, dum pro suo principio Philosophico de indifferentia proxima intellectus ad opinandum æquè, aut minùs probabilia, cui unice innituntur, urgentiora argumenta non produderint, quibus de veritate principii oppositi à sæculis recepti, vel dubitare saltè possimus. Hoc, ut nos credimus, nunquam præstabunt, adeoque non jure repugnant, introducetes in hypothese nostra per nimis falsam suppositionem, & jam abundè à nobis reprobata, judicium absolutum, atque directum ipsius operantis, quo judicet, actionem suam reipsa non opponi Divinæ voluntati, sed conformari potiùs eidem.

42. Introducatur verò, si placeat. Quid inde habebunt, quod ad præsens spectat? Profectò nihil: nam judicium illud foret imprudens, & irrationale, ut sæpè jam notavimus, & ostendimus, quare non aliquam spem bonam, sed præcipitem tantum vanam, ac temerariam gignere posset, de voluntate Dei assequenda.

43. Utiq; si momenta rationum,

T

num,

num, quibus ex libero voluntatis imperio intellectus inducitur ad iudicandum actu, objectum esse re ipsa honestum, pro priori ad ipsum iudicium non superant motiva partis opposita in intellectu ipsius operantis, sed vel æqualia sunt, vel leviora, non potest operans, nisi per insignem, & evidentem temeritatem, iudicare in actu secundo, objectum esse re ipsa honestum, & conforme divinæ voluntati. Quo enim fundamento? Planè nullo; nam fundamenta partis illius, inspectis etiam fundamentis contrariis, non magis connectuntur, sed forte minùs (quando nimirum leviora sunt) cum honestate objecti, quàm cum ipsius inhonestate. Quid verò potest esse magis imprudens, ac temerarium, quàm affirmare determinatè alteram partem contradictionis, absque motivo ullo, seu fundamento, quod illam ostendat præ altera?

44. An non foret insigniter imprudens Medicus, qui ex indiciis undique inspectis, non minùs apud se portendentibus mortem, quàm vitam, aut salutem ægroti, præfagiret determinatè, & affirmaret vitam futuram? Similiter Astronomus, qui ex indiciis similibus determinatè pluviam prædiceret, an non foret stultus, & temerarius? Non ne isti erubescerent, & exhiberentur, si internum suum iudicium cum fundamento ejus cogerentur palàm ostendere?

45. Fingamus alioqui Astrologum sic discurrentem: *ego quidem deprehendo indicia plura secundum se non levia, quæ pluviam portendant in crastinum: sed pariter deprehendo ex opposito indicia non leviora, aut etiam urgentiora, quæ portendant serenitatem. Ex his verò præfagio, & absolute affirmo pluviam futuram.* Ecquis hominem istum prudentem dicat, & non potius vanissimum, ac ridiculum? Hoc verò quid est aliud, quàm explicare exactè præfagium ejus, & iudicium determinatum,

quod totum hunc discursum virtualiter saltem involvit? Sanè ipse, si vellet sincerè mentem suam aperire, totum hoc fateri deberet. Foret igitur vanum, adeòque temerarium, & imprudens, iudicium huius hominis in hypothesi dicta.

At nihil prorsus ab hoc iudicio differt iudicium operantis in hypothesi nostra, nisi ex parte tantum materiæ, quæ ob gravitatem suam, & momentum eximium multò majorem imprudentiam argueret: ergo iudicium illud determinatum, quo se tuetur P. Esparza, etsi fingamus esse possibile, prudens tamen esse non potest, adeoque nec fundare spem aliquam bonam de voluntate Dei assequenda, sed præcipitem tantum, vanam, ac temerariam. Repete quæ tradidimus ad controversiam quintam art. ult. §. 2.

§. III.

Refellitur omnino ex argumento nostro directus Recentiorum Probabilismus.

46. **S**ed age, cum Esparza, & reliquis directis Probabilistis (si qui forte sunt præter ipsum) ut semel totam litem finiamus, perscrutemur intimius, ac subtilius speculemur hypothesim propositam, sub qua procedit argumentum nostrum.

Enim verò, qui videns æqualia, vel majora fundamenta ad iudicandum, opus, de quo deliberat, esse verè prohibitum, & contrarium re ipsa divinæ voluntati, ex libera sua electione nihilominus iudicaret oppositum, is profectò non potest non videre, & rogatus fateri cogeretur, opus illud ex se, & inspecta naturâ ipsius, esse prorsus indifferens (quantum potest ipse cognoscere) ad voluntatem Dei, approbantem, vel prohibentem; aut etiam esse sibi verosimilius, quòd re ipsa opponatur divinæ voluntati. Consequenter agnoscit, contingens esse, aut verosimilius,

lius, cum, qui tale opus exequi audeat, transgressurum de facto legem Dei, & acturum re ipsa contra voluntatem divinam. Hoc loquendo de objecto secundum se, & prout iudicium ipsum procedit, omnemque voluntatis affectum, evidens est ex hypothese ipsa.

47. Aliunde verò nemo non amens existimare potest, se per iudicium suum nullo subnixum speciali motivo præter illa, quæ præcesserunt, aut per affectum suæ voluntatis, posse immutare objecti naturam, & facere, ut re ipsa conforme sit divinæ voluntati antecedenti (reflexam isti Recentiores non fingunt) id, quod ex se conforme non erat, sed indifferens potius ad ipsam, aut verosimilius contrarium. Porro alioqui, cum iudicium oppositum, pro suo libitu potuisset habere, potuisset etiam facere oppositum, quare credere posset, voluntatem suam reverà esse plusquam Omnipotentem, quæ solo suo nutu, aut imperio variare posset rerum naturas, quod voluntas Omnipotens facere nequit.

48. Hinc verò quis non videat sequi evidenter, hominem istum, omnibus inspectis, non posse non absolute cognoscere, & rogatum, etiam fateri, se dum objectum illud amplectitur, indifferenter omnino se habere ad voluntatem, & legem Dei, aut esse etiam verosimilius, quod transgrediatur re ipsa legem. Utique negare non potest, objectum pro priori ad iudicium, verosimilius sibi, aut æquè verosimile apparuisse, quod sit re ipsa malum, & contrarium divinæ legi. Aliunde, verò evidens sibi est, iudicium proprium suum, & propriæ suæ voluntatis imperium, nullum omnino fundamentum novum præcedentibus superaddere, ut objectum credatur esse re ipsa legi conforme. Ergo post omnia demum considerata non potest non agnoscere, & fateri, verosimilius esse, aut æquè verosimile, se, dum amplectitur objectum illud, re ipsa

transgredi legem Dei. Ad quid ergo deservit iudicium actuale, quod fingitur?

49. Dices fortasse, actuale iudicium nullum novum motivum superaddere, ut objectum credatur esse re ipsa honestum, & divinæ legi conforme; præstare tamen, ut præcedentia clariùs, atque vividius cognoscantur, indeque, ut detegatur major connexio ipsorum cum honestate objecti. Transmittimus doctrinam satis absolute difficilem. Quam verò sit inutilis ad propositum Recentiorum, facili negotio ostendetur.

50. Sanè connexio major fundamentorum antecedentium, quæ detegitur per iudicium actuale, inerat ipsis pro priori ad iudicium, & hoc iudicans ipse censere debet; nisi velis, ut intellectus variare possit rerum essentias, & facere connexas intrinsecè, quæ non erant ex se connexæ, quod foret insigne delirium. At eadem est ratio de fundamentis utriusque partis: ergo idem de utriusque necessariò credere debet. Certè per iudicium oppositum, quod potuit homo ille liberè ferre, tantundem connexionis detexisset in fundamentis partis contrariæ, nimirum cum objecti turpitudine; non enim puto dicere audebunt, alterum iudicium præ altero habere illam specialem energiam ad detegendam connexionem novam: ergo censere debet, hæc fundamenta non minorem ex se connexionem habere cum opposita parte, quam habeant cum objecti honestate fundamenta, quibus movetur: ergo non potest existimare, altera fundamenta præ alteris habere in se maiorem connexionem cum suo extremo determinato: ergo post omnia considerata necessariò videre debet, esse absolute non minus verosimile, quod objectum sit in se turpe, quam quod honestum, re ipsa sit: ergo, dum illud liberè amplectitur, non potest operans non videre, esse omnino contingens, & æquè verosimile, quod transgrediatur re ipsa legem.

T 2

At,

At, qui sic operatur, non querit diligenter legem Dei, nec voluntatem ejus sincerè amat, sed illam parvipendit, expressèque contemnit, ut constat evidenter ex supra dictis, & Recentiores isti non negant, immò nobiscum facillè contra Reflexistas demonstrant. Ergo.

§ 1. Patet ergo, recursum ad illam Philosophicam sententiam de indifferentia proxima intellectus ad opinandum æquè, vel minùs probabilia (licet opinio illa Recentiorum, omnibus antiquioribus ignota, & moderno coæva Probabilismo gratis à nobis transmitteretur) esse prorsus inutilem, & importunum ad scopum præsentis controversiæ.

Espar. par.
2.2.146.

§ 2. Et verò grandi nobis admiratione dignum existit, quod, cum Esparza, vir inter Recentiores haud vulgariter doctus, & eruditus, ingenue confiteatur, immò probet efficacissimè, nullum patere Reflexistis effugium, ne exiguam quidem *rimam* (ut ipse loquitur) ad vim insuperabilem nostræ demonstrationis declinandam; ipse tamen ab illis in re tanta non aliter discedat, quam ex eo quod velit, ut ille, cui placuerit eligere partem minùs probabilem, & minùs tutam, quamvis post factam debitam diligentiam ad inveniendam voluntatem divinam, inveniatur non minora, aut etiam urgentiora fundamenta ad credendum, obiectum esse malum, & contrarium reverà eidem voluntati divinæ, pro solo suo libitu, & absque ulla peculiari ratione, determinatè judicet, obiectum esse bonum, & non contrarium divinæ voluntati, cum possit æquè facillè in eodem instanti, neque minùs prudenter, immò etiam faciliùs, ac prudentiùs, oppositum, si velit, judicare. Iste ne, precor, voluntatem divinam, & legem Dei sui in corde suo habere censeatur? Iste ne apud tribunal æterni Judicis verè, ac legitimè se tuebitur, secus verò, qui utitur opinione minùs probabili juxta principia Reflexista-

rum? Id verò nobis magna admiratione, & stupore dignum apparet.

ARTICULUS V.

Ergo Probabilistis nullum restat effugium absolute.

Conclusio hæc ex hæcenus dictis adeò spontè descendit, legitimèque sequitur, ut non sit opus multis illam ostendere, sed per brevem duntaxat reflexionem, & velut compendiarium dictorum recapitulationem.

§. I.

In hac, & præcedenti controversia tradita doctrina synopsis.

§ 3. **P**orrò, excluso directo Probabilismo, (de quo ex professo non ultra disputare, immò ne meminisse quidem oportet, cum, & à nobis affatim rejectus, & ipsis etiam Probabilistis caperit esse invivus): hæc, inquam via omnino præclusa, unicum Recentiorum effugium, & refugium sunt principia reflexa supra directam probabilitatem suam, ad quæ proinde semper appellant, ut opinio directè minùs probabilis, quæ ex se (ut fatentur, ac per se constat) non est conformis regulæ primæ, adeoque neque rectæ conscientiæ regula, recta demum reddatur, & ipsi primæ regulæ conformis.

§ 4. Principia autem reflexa omnium potissima, & ad quæ cætera revocantur, sunt tria illa supra memorata: nimirum, vulgarissimus ille discursus petitus ex lege prudentiæ, cui opinio omnis verè probabilis necessariò conformis est: possessio libertatis in dubiis probabilibus contra legem divinam: ac demum tertium aliud, quod ex duobus sequitur, aut in eisdem potius imbibitur, de lege Dei reflexa, & consequenti, per quam Deus per accidens (nem-

(nempè ex suppositione opinionis directæ, etiam minùs probabilis, libertati faventis contra legem directam, & per se) approbat, aut permittit illud ipsum, quod lege antecedenti, atque directæ prohibebat, ac reprobabat, aut saltem erat verosimilius, quòd reprobareret, aut prohiberet.

Cæterùm omnia hæc, non tam esse principia, quàm absurdas, & claras principii petitiones, quæ probandum semper supponant, & nihil proinde concludant, luculentissimè demonstratum est toto art. 1. proxime præcedentis controversiæ, & est sanè demonstratu facillimum.

55. Enim verò principia omnia reflexa non possunt affirmare, aut intendere licitum usum opinionis directæ operanti minùs probabilis, sine respectu, & ordine debito, ad legem Dei primariam, ac directam, quam sincerè, & ex toto corde quærere omnes ubique debent; alioqui non falsa tantùm, sed, & impia, ac blasphema essent. Per se ergo supponunt conformitatem illius opinionis cum lege antecedenti, atque directæ, & omnia ex hac suppositione procedunt.

At suppositio ista est evidenter falsa, & quæ neque probetur aliquando, neque ulla ratione probari possit, cum sit evidens, vel ex terminis ipsis, opinionem alicui minùs probabilem negantem legis obligationem, potiùs esse contrariam apud ipsum, quàm conformem eidem legi; quid enim aliud est aliquam opinionem ejusmodi, esse alicui minùs probabilem? Terminos non intelligat necesse est, qui huic veritati repugnet. Ergo reflexa omnia Recentiorum principia supponunt id, quod unicè probandum erat, & quod est evidenter falsum, nimirùm opinionem directam operanti minùs probabilem, esse positivè conformem legi directæ, & antecedenti: ergo non aliud reverà sunt, quàm vitiosa, & absurda petitiones

principii: ergo nullam omninò conferre possunt opinioni directè minùs probabili conformitatem cum regula prima: ergo nulla opinio directè operanti minùs probabilis potest per aliqua reflexa principia constitui recta conscientiæ regula.

56. Unicum ergo effugium reliquum est, quod certè videretur per se ipsum ab humano intellectu non cogitandum, videlicet legem ipsam divinam antecedentem, atque directam non tantùm impedire, vel utcumque suspendere, aut enervare, sed & omninò de medio tollere, ut sic opinio illa minùs probabilis (quæ totius reflexi Probabilissimi, omniumque reflexorum principiorum, basis, & primum fundamentum est) penitus absolvatur ab omni attentione, ac respectu, adeoque ab omni conformitate ad ipsam legem antecedentem; quandoquidem hac lege persistente, nullo artificio, nulla reflexione, nullo demum molimine fieri possit, ut opinio directè operanti minùs probabilis, evadat positivè conformis regulæ primæ moralis honestatis, idest, eidem divinæ legi; quod tamen unicè necessarium est, ut sit recta conscientiæ regula.

57. Hoc cum Terillus primus advertisset, intrepidè hanc provinciam aggressus est, Dei legem primariam, ac directam de medio tollere nixus, quòd non sit sufficienter promulgata, hoc ipso quòd existat contra illam opinio aliqua, etiam minùs probabilis, dummodò verè probabilis sit in sensu Probabilistarum. Lex verò sufficienter non promulgata, non est re ipsa lex, nisi purè Grammaticaliter, (idest, solo nomine tenus), adeoque nullam vim ex se habet ad inducendam obligationem aliquam, ut fert Doctorum omnium communis, ac recepta sententia.

58. Verumtamen hoc Terilli molimen adeò efficaciter repulsum est per totam controversiam præcedentem, ut si opposita veritas, ante

Te-

Terillum nunquam in quaestione adducta, evidenter non maneat demonstrata, nulla in Theologia nostra universa demonstrari aliquando possit. Quod an possimus jure confidere, te ipsum, Lector, judicem appellamus.

§. II.

Concluditur inevitabilis nostra demonstrationis efficacia.

59. **H**is verò constitutis, jam absque ullo obice procedit demonstratio nostra contra modernum Probabilismum.

Quisquis, dum operatur, non utitur regulâ rectâ, tam objectivâ, quàm proximâ, sive formali, non operatur rectè, & honestè, sed turpiter potius, ac pravè; quod est principium nemini non exploratum. At quisquis utitur opinione quacumque, & minùs tutâ, & simul minùs sibi probabili, non utitur regulâ rectâ, neque objectivâ, neque formali; nam tota rectitudo cujuscumque secundæ regulæ sumitur ex conformitate cum prima regula rectitudinis, idest, cum voluntate, seu lege Dei: opinio verò illa operanti minùs probabilis, (quæ est regula objectiva operationis suæ) non est apud ipsum conformis voluntati, seu legi Dei, cum sit sibi verosimilius, quòd falsa sit re ipsa, adeoque eidem legi positivè contraria; unde fit consequenter, ut regula formalis, nimirum ultimum dictamen conscientiae, quod nihil aliud dicat, quàm illam opinionem esse regulam rectam, & conformem divinæ legi, sit manifestè falsum, adeoque regula non conformis, sed eidem legi contraria. Patet igitur, eum, qui utitur opinione quacumque, & minùs tutâ, & simul minùs sibi probabili, non agere rectè, & honestè, sed turpiter potius, ac pravè.

60. Vel aliter. Quicumque le-

gem Dei ultrò, & voluntariè contemnit, proculdubio peccat formaliter. At quisquis operatur ex opinione aliqua minùs tutâ, & minùs apud ipsum probabili, voluntariè contemnit legem Dei: igitur formaliter peccat. Suadetur Minor: quisquis per suam operationem non quærit legem Dei diligenter, seriò, & ex corde, is legem ipsam voluntariè contemnit, quod opinor nemo negabit. Sed quisquis operatur secundum opinionem prædictam, non quærit legem Dei diligenter, seriò, & ex animo. Patet hoc: nam, qui agit id, quod, inspectis omnibus, verosimilius est apud ipsum, quòd sit re ipsa contra, quàm juxta legem Dei, non quærit diligenter ipsam legem, neque seriò desiderat secundum illam agere. At quisquis agit ex opinione illa, agit id, quod post omnes reflexiones, & considerationes possibiles, fateri, velit, nolit, tenetur, verosimilius apud se esse, quòd sit re ipsa contra, quàm juxta legem Dei; cum non sit aliud ex terminis ipsis, præfatam opinionem esse sibi minùs probabilem, quàm esse sibi verosimilius, quòd sit falsa re ipsa, ac per hoc, id, quod agit ex illa, re ipsa contra legem Dei: ergo, qui agit ex opinione illa, non quærit legem Dei diligenter, seriò, & ex corde: ergo contemnit illam voluntariè, adeoque formaliter peccat.

61. Hæc de lege divina antecedenti, sive directâ; quam omnes quærere per se tenemur juxta principium fide divina, & rationis lumine notum, intelligenda sunt, ut nemo negat. Et, quamvis per se ipsa nimis patentia sint, explicari adhuc possunt, & illustrari exemplo sortium, horologii nō recti, & ejusdem generis aliis. Utrique, qui per istas, & alias id generis regulas secundarias, & objectivas, vellet actiones suas regulari, non quæreret sincerè legem Dei, sed magis illam impiè contemnere, & irridere meritò censeretur. Non ob aliam rationem, nisi quia,

ex

ex se sunt prorsus indifferentes, & non magis connexæ cum lege ipsa, quàm cum ipsius legis carentia: unde, dum actu se ad agendum determinaret, non posset non videre esse omninò contingens, & æquè verisimile absolutè, quòd re ipsa legem violaret, quàm quòd ageret juxta illam; quod est legem divinam nihili facere, adeòque voluntariè contemnere.

At quisquis utitur opinione quacumque, & minùs tuta, & sibi minùs probabili, regulà utitur objectivà non minùs apud ipsum, immò magis connexa cum transgressione reali legis, quàm cum ipsius adimplerione: quapropter (si per ipsam opinionem lex ipsa non deficiat reverà, ut non deficere jam supponimus plusquam evidenter ostensum), dum actu se ad agendum determinat, non potest non videre, etiam post omnes reflexiones possibiles, & rogatus etiam fatebitur, si nolit imprudenter mentiri, contingens prorsus esse, immò verosimilius, quòd per suam actionem transgrediatur re ipsa legem Dei. Ergo non illam sincerè amat, sed voluntariè potiùs contemnit.

62. Ad hæc, quæ fusiùs jam explicata sunt, & ostensa, non video (novit ille, qui scrutator est cordium) quid Recentiores Probabilistæ, non dico solidè, aut probabiliter, sed vel cum aliquali verosimilitudinis specie, reponere, aut opponere possint: omnia nanque ex principiis non incertis, abstrusis, suboscure, aut difficilibus; sed firmis, communissimis, atque notissimis; nec item per remotas, aut difficiles consequentias, sed per valdè immediatas, obvias, ac faciles, velut sponte sua procedunt.

§. III.

Refelluntur superficiales, & vulgares quorundam solutiones.

63. **N**ihilominùs juvat, non nihil adhuc his immorari, & quam non possint Probabilistæ nostræ demonstrationi parare solutionem, quæ solutio dici mereatur, productis etiam levibus, & inconsideratis quorundam dictis, ob oculos tibi statuere. Porro varios, tum doctos, tum indoctos, vario loquentes, & obloquentes, etiam passim licet audire; quorum attamen dicta, solutiones ego non dixero, sed magis nescio quid: quin immò opinor nec sciunt ipsi.

Ajunt nimirum, non nisi falsò, & gratis à nobis supponi, ut honestè quis operetur, debere judicare determinatè, regulam objectivam, qua utitur, & actionem, quam elicit juxta ipsam, conformari re ipsa positivè, & formaliter cum lege Dei primaria, ac directà; sed satis esse, quod præcisivè tantum, seu negativè, conformis judicetur. Præterea satis esse, quòd operans sequatur opinionem directam gravium Doctorum de actionis honestate, quam scilicet illi veram existimarunt, atque adeò conformem legi directæ, nihil ipse sollicitus, an sit re ipsa vera potiùs, quàm falsa. Item: opinio militans pro lege, licet sit æquè, aut magis probabilis, poterit esse re ipsa falsa, sicut opinio, quæ favet libertati: cur ergo illa præferenda erit, & non potiùs utralibet pro libito amplectenda? Tandem, ut multa similia prætereamus, ecce inquirunt, in terminis præsentis controversiæ utrinque sunt Auctores: utrique dubium illud particulare diligenter examinarunt, legem primariam Dei inquirentes: utrilibet re ipsa falli potuerunt, & à lege Dei aberrare: utri sint falsi, certò saltem non novimus.

Quo-

Quoniam igitur jure alteros alteris præferre debebo, & non quibus maluero, conformari mihi licebit?

64. Hæc, & alia quàmplura vulgaria dicta, quæ eò proferuntur confidentiùs, quò sunt, qui proferunt, imperitiores, in idem cuncta recidunt sub terminis paulò diversis. De cunctis verò nihil benignius generaliter censerì potest, quàm per nimiam tantummodò oscitantiam, ac vix ulli credibilem in considerationem proferri. Non enim aliter proferri possunt pro nostro argumento solvendo, si proferre prudenter nemo potest, licere legem Dei contemnere, & nihil omninò curare. Id verò palàm facere, prolixioris laboris certè non sit, quàm terminos ipsos exponere, & vocum, si quam habent apud loquentes, genuinam significationem oculis ipsorum objicere.

65. En ergo tibi, Probabilista meus, tuarum locutionum, aut solutionum (si placeat eas sic appellare) sensum immediatum, ac planum ob oculos tibi statuiamus. Nempè argumentum nostrum nihil te urget, quia falsò, inquis, & gratis supponimus, quòd operans teneatur judicare, regulam objectivam, (idest, opinionem, quam sequitur), & actionem ex illa procedentem, conformari re ipsa positivè, ac formaliter, cum lege Dei primaria, ac directà: sufficit ei, si judicet conformari cum illa, negativè duntaxat, aut præcisivè.

66. Sed rogo te, quid est opinionem faventem libertati, arque adeò negantem legem Dei conformari re ipsa positivè cum ipsa lege? Dices opinor, si quidquam dicis, nihil aliud id esse, quàm opinionem illam esse re ipsa veram: hoc est, verè non dari legem, seu voluntatem directam Dei prohibitivā talis actionis (quam nempè legem negat opinio illa), sed oppositam potius approbativam, aut saltem permissivam ejusdem. Rectè. Nunc perge mecum. Idem igitur est, quòd operans non debeat judi-

care, opinionem, qua utitur, & actionem, quàm elicit, conformari formaliter, ac positivè, cum voluntate directà Dei, sed negativè tantum, aut præcisivè, ac quòd judicare nò debeat, nullā dari re ipsa voluntatem directam actionis suæ prohibitivam, potius quàm voluntatem approbativam, aut saltem permissivam ejusdem; sed posse ab hoc præscindere, & nihil omninò curare. Non dissenties opinor, si terminos tuos intelligis.

Ecce igitur tuæ locutionis, aut solutionis, sensus planus, ac proprius: *Operans, ut honestè operetur, judicare non debet determinatè, nullam dari re ipsa voluntatem divinam prohibitivam actionis suæ, sed præscindere potest ab hoc, quòd detur, vel non detur re ipsa, & nihil id attendere, seu curare.* Placet ne tibi quæso locutio tua sub vocibus istis expressa? Puto non placet. Tu verò seriò videris, an sub vocibus aliis placere debeat? vel an vocibus Deus sit deludendus.

67. Ipsissimus est sensus locutionum aliarum. Nempè opinionem faventem libertati, esse re ipsa veram, aut falsam, & Auctores ipsius falli, aut non falli, nihil aliud significat, si quid significat, quàm dari, vel non dari legem Dei, seu voluntatem prohibitivam objecti, quam dari negat opinio illa. Ergo nihil curare, an opinio probabilis, quam sequeris, re ipsa, & coram Deo, vera sit præ opposita militante pro lege; sed posse, pro tuo arbitrato, utramlibet earum amplecti, & conformari Auctoribus, quibus malis, non aliud est, quàm posse nihil curare, an detur, vel non detur voluntas Dei prohibens actionem, quam elicis. Non nisi voces tuas exponimus simplicissimè, atque planissimè: nec rem negare potes, si vocibus quidquam significas.

Omnium ergo tuarum locutionum, aut solutionum, unus omninò, & ipsissimus sensus est: nempè, *ut honestè quis operetur, nihil debet esse*
so-

solicitus, nec ullo modo curare tenetur, an detur, an non detur re ipsa, lex, aut voluntas Dei, prohibens actionem, quam elicit; sed ab hoc licet præscindere potest. Unde argumentum nostrum oppositum statuens, tanquam principium fide, & ratione certum, fallax omnino, & contemnendum est.

68. Quæso te, possunt ista ab aliquo proferri, qui aliqua pietate, aut prudentia, immò vel sola ratione utatur? Negabis incunctanter, & meritò, si non inadvertenter profe-

rantur. Attamen proferuntur passim, ut nosti, & securissimè, & confidentissimè, & à non paucis, saltem acumine, & ingenio non destitutis: quin immò, & à quibusdam alioqui doctis, verbis quidem sono diversis, idem tamen, ut vides, significantibus. Quid ita? rogas. O quanta, & qualia nobis ad hanc quæstionem tuam reponenda se offerunt, quæ tamen locus, tempusque non ferant! Dicemus plurima in postrema parte. Immò in hac ipsa, multa sæpè dicendi opportunior veniet occasio.

CONTROVERSIA OCTAVA.

Examinatur denuò accuratius, & refellitur multipliciter, celebre principium reflexum de prudenti electione opinionis minùs probabilis, quo Recentiores sententiam suam patenter à priori demonstrare se jactant.

1. **Q**UAMVIS omnium omnino reflexorum argumentorum, seu principiorum, quibus Probabilistæ suam sententiam suadere nituntur, signanter verò trium illorum, quæ sunt inter omnia potissima, manifesta fallacia, & nullitas satis à nobis ostensa sit per necessariam eorum connexionem cum illo capitali principio de insufficienti legis promulgatione, cujus falsitatem insignem adèd evidenter demonstratam reliquimus: tamen, ut veritas nostræ sententiæ, longius fugatis nebulis reflexionum inanum, quibus ubique impediri solet, placidior cunctis, & illustrior affulgeat, utquè liquidius pariter constet, qualis sit sententia benigna, & quibus innitatur principiis; tria illa superius memorata, quæ ab ipsis Recentioribus potissima censentur, & quæ argumentis nostris fidentissimè opponunt, operæ pretium duximus iterum ad examen seorsim revocare eodem illo ordine, quo ibidem sunt à nobis adducta, & eorum inanitatem paulò diligentius exponere. Id verò ex jam præmissis haud magnoperè nobis operosum, existet; neque prolixam sibi disputationem depolcet; etsi non cursim agendum nobis sit.

Primum igitur illud, quod ex prudentiæ lege depromitur hac controversia tractandum est.

ARTICULUS I.

Proponitur Terilli verbis principium illud Probabilistarum, & qualiter in duplici conscientia statu ab ipsis propugnetur, exponitur.

2. **T**ERILLUS igitur fidentissimè, sic arguit pro benigna sententia. Omnis doctrina certò probabilis, etiam in contradictione partis oppositæ probabilioris, est doctrina certò

prudens. Ergo, qui cuius doctrinæ certò probabili se accommodat, prudenter agit. Ergo certò non peccat; quæ enim prudenter operatur, & idè sic operatur, quia reflexè cognoscit se

prudenter agere, procul dubio non peccat. Subdit verò immediatè: Hac ratione omnes benigna sententia Auctores utuntur, tanquam valido, & irrefragabili argumento, quale reverà est, ad stabiliendam suam sententiam. Hactenus ille.

3. Quàm verè autem Terillus affirmet, omnes Auctores benignæ sententiæ uti hoc argumento, tanquam irrefragabili, facile constat ex libris eorum, in quibus alii *principium certissimum*, alii *ex terminis notam veritatem*, alii *apertissimam demonstrationem*, alii *commune Theologorum dogma*, & id generis alia memoratum principium dicunt. Immo, si paucos admodum Recentiores exceperis, qui controversiam nostram ex professo tractarunt, vix apud reliquos, maximè Summistas, argumentum aliud invenias præter rationem illam his terminis conceptam: *Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter operatur: qui prudenter operatur, non peccat: ergo qui sequitur opinionem probabilem non peccat.* Majorem verò intelligit de quavis opinione verè probabili in sensu suo, scilicet, estò sit minùs tuta, & operanti ipsi minùs probabilis. Præmissas dicunt certas, & evidentes: discursum infallibilem, & ideò nihil ultra morandum. Adhuc tamen (Deo sint gratiæ) principium istud suum infallibile, divinæ fidei dogma nondum dixere: quare jure non poterunt hæreseos saltem notam nobis inurere, si fidem illi firmiter denegemus.

4. Loquimur autem modò cum Recentioribus unicè de opinione non propria, sed aliena; tum quia iudicium præstitum objecto antecedenter æquè, aut minùs probabili, est absolutè, & omninò impossibile; tum quia licèt non esset, nec foret prudens, nec deservire ullo modo posset ad conscientiam ritè formandam, ut hic supponimus, & constat manifestè ex iis, quibus directum Probabilissimum semel, & iterum expugnativimus.

5. Opinio verò aliena minùs probabilis operanti, adhuc in ipsius conscientia duplicem potest habere statum. Vel enim illam actu iudicat falsam, quatenus opinatur cum contrariis Auctoribus, partem oppositam esse veram; vel nihil actu iudicat absolutè de ipsius veritate, vel falsitate, quia nihil opinatur circa objectum ipsum directum, sed omne potiùs iudicium suspendit, licèt agnoscat, verosimilius esse, quòd objectum sit in se turpe, adeòque opinio illa re ipsa falsa.

6. Non nimis multi sunt Probabilistæ, qui circa hoc distinguant, aut expressè determinent, in quo duorum sensu loquantur. Tamen, Valentia, Granados, Bresserus (qui tamen aliàs satis confusè, nec nimis consequenter loqui videtur) Palaus, Aversa, & alii nonnulli, expressè cavent, propriam opinionem directam deponendam omninò esse, alioquin actum iri contra conscientiam. Et hic videtur sensus communior, maximè apud modernos hujus temporis, qui licèt doceant, licitum esse agere contra propriam, atque probabiliorem opinionem, adeòque juxta alienam minùs probabilem, per opinionem propriam non intelligunt opinionem actualem, sed habitualem, quam videlicet operans habuit antecedenter, aut poterat habere, etiam quando operatur; illam tamen actu non habet, quia liberè suspendit omne iudicium circa objectum directum, ut rectam possit conscientiam formare.

Quin immò vidi multos Probabilissimi sui satis amantes (quantvis non ita nimis intelligentes), qui tamen iniquissimè ferrent, nec sine ingenti horrore possent audire, quod aliquis conscientiam formare valeat juxta directam opinionem aliorum de bonitate morali objecti, quam opinionem ipse iudicat actu falsam.

7. Nihilominus tamen non desunt plures, neque vulgaris notæ Probabilistæ, qui non renuant ad-

Valent. to. 3. d. 51. p. 4. verit. Alios modo, Granada in 1. 2. contr. 1. tr. 12. d. 4. f. 3. n. 30. Bresser. li. 4. c. 13. n. 137. Pala. to. 1. tr. 1. d. 2. n. 4. Aver. 1. 2. d. 14. f. 3. conclus. 1.

non quod

et al.

et al.

mittere, immò affirmant etiam expresse, licitum esse agere contra opinionem propriam tutiorem, & probabiliorem, etiam actu perseverantem, adeoque juxta aliorum opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, quam quis actu judicat falsam.

Ita docent cōceptis verbis Vazquez, Azor, Oviedo, Mendo cum aliis, licet nō ita clarè rem explicantibus.

8. Eundem sensum tenet sine dubio Terillus q. 30. de Consc. proba. assert. 2. n. 9. & 10. ubi disertè affirmat, ac probat, licitum esse agere contra judicium proprium actuale antecedens, atque directum de inhonestate objecti: quod idem assert.

5. & 6. de consulente asserit, & consequenter. Quem verò sensum habeat judicium illud proprium juxta eundem Terillum, exponemus inferiùs ex verbis ejus. Neque contra hoc facit, quod assert. 3. ponit, & probat, *Simplicitèr loquendo nulli unquam licet operari contra sententiam propriam*; hic enim per propriam sententiam intelligit judicium ultimum, & reflexum, idest, conscientiam ipsam, contra quam certum est nunquam operari licere, adeoque otiosum illud probare. Hanc eandem doctrinam repetit, & latè propugnat 1. p. de Regu. mo. q. 22. per totam.

9. Notat verò Terillus in ipso quæstionis ingressu, cujus titulus est, *Utrum liceat operari contra propriam sententiam, aut contra eam consilium dare*? Notat, inquam, quæstionem parvi momenti esse, per hæc verba, quæ transcribere libuit: *Plures putant quæstionem hanc summi esse momenti; verum pro praxi ejus resolutio parum refert; nam in rebus obscuris unusquisque suspendere potest judicium ulli parti affixum. Ergo, licet peccatum esset agere contra propriam sententiam actu existentem, facillimum esset se à peccati periculo eximere, quia suspendendo actuale judicium de veritate objecti, quod habitualiter habetur pro vero, formari posset conscientia per principia reflexa de absoluta ejus ho-*

nestate; atque ita posset operans à peccato excusari. Ita, hoc est operantem procedere compressis ciliis, seu tegminibus oculorum, ne det aditum luci, qua videat actu legis Dei violationem. Denique, nolendo intelligere, ut bene agat. Hæc est ars se facillimè à peccati periculo eximendi. Immò prætermittendi, & contemnendi legem divinam; attamen laudabiliter, & honestè. Verum de arte istà citò, & clarè dicemus, Deo favète.

10. Fateor quidem & ego, quæstionem absolutè exigui, vel nullius momenti esse; utrumvis enim dixeris, idem est artificium, eademque constantia, aut firmitas ipsius, in ordine ad formandam conscientiam rectam, ut paulò post ostendendum est. Placuit tamen utrumque Recentiorum sensum distinguere, quia procul dubio sèsus posterior plusculum, saltem ad speciem, præsefert horroris, & difficultatis, nonnihique vividius ponit ob oculos falsitatem Probabilismi, & benignæ Theologiæ Recentiorum.

ARTICULUS II.

Prætensa demonstratio Recentiorum non nisi inane sophisma est, & insignis hallucinatio.

E Am sanè non unico, sed multiplici vitio laborare haud difficile sit ostendere.

§. I.

Conclusionem probandam non probat, sed absurdè supponit.

11. **E**T in primis quis, precor, si terminos intelligat, & absque omni affectus præjudicio ad illam contemplandam accedat, non statim mirabitur artificium ipsius, nisi prorsus ignoret, etiam naturalem Dialecticam?

Vazq. 1. 2. d. 62. c. 4. n. 14. Azor. li. 2. instit. moral. c. 17. q. 7. Ovie. 1. 2. tr. 5. contr. 3. p. 2. n. 17. Mendo State. opinio. benign. d. 13. q. 15. n. 198.

Terill. illa q. 30. de consc.

Terill. illa q. 30. de consc.

Nempè ad hanc conclusionem demonstrandam, *qui sequitur opinionem minus tutam, & simul minus sibi probabilem, licet agit, seu* (quod eodem redit) *non peccat, sed honestè operatur*, quæ est in propriis terminis benigna Recentiorum sententia, quam constanter negamus, & cujus evidentem falsitatem multipliciter demonstrare nos credimus, ita tuitur, ut evidens principium, *Omnis opinio certò probabilis, etiam in contradictione tutoris, & probabilioris, est certò prudens*: vel aliis vocibus idem ipsum significantibus: *Qui sequitur opinionem minus tutam, etiam minus sibi probabilem, prudenter operatur*. Sed rogo vos, quodnam est hoc principium? Quenam est certitudo, aut evidentia ejus? Est ne certius, aut notius conclusione, quam ex eo deducitis, aut differt in aliquo ab illa, ut qui conclusionem negaverit, principium illud negare non audeat? Quid ergo vestram ipsam conclusionem, quam, ut falsam negamus, & abjicimus, pro principio nobis obtruditis, ut nos ad ipsam admittendam cogatis? Præclaram certè nobis opponitis demonstrationem.

12. Nobis, inquit, idem omnino est, aliquam opinionem esse alicui certò probabilem, etiam si minus probabilis sit, ac esse eidem certò prudentem. Fatemur: sicut vobis idem omnino est agere ex opinione minus tuta, & operanti certò, licet minus probabili, ac agere honestè, ac prudenter. Verum quid inde? Quid hæc ad nos, quibus utrumque, cum sit unum, & idem, pariter falsum est, & ideo eadem facilitate pariter utrumque negamus? Unde nobis, amabo, cōclusionem vestram suaderis? Videlicet ex eo, quod propositio illa, quæ nihil differt à vestra conclusione, & quam non aliunde probatis, vobis sit principium certissimum. Bellissime! Erit vobis discursus vester syllogismus demonstrativus, & si velitis, veritas ex termi-

nis nota: nobis verò vanissimus paralogismus, & nimis frivola argumentatio.

13. Sed nos, reponunt, propositionem illam aliunde etiam probamus. Unde precor? Scilicet ex eo, quod quælibet opinio verè probabilis, etiam in conspectu contrariæ tutoris, & probabilioris (nam de hac semper loquimur) sit conformis rectæ rationi, innitatur motivo gravi, fundamento non levi, non contemnendo, gravis ponderis, gravis momenti. Audivimus quidem vos ita passim loquentes, atque ratiocinantes: sed nihil his movemur ad assentiendum vobis. Et verò quid moveamur, cum eos omnes discursus vestros non nisi circulos vitiosos censeamus? Nimirum omnia hæc æquè prorsus ignota, æquè incerta, æquè falsa, æquè inpersuasibilia nobis sunt, ac conclusio ipsa vestra, & ideo omnia non secus, ac cōclusionem ipsam, à qua non differunt, nisi vocibus, incunctanter omnes negamus.

14. Verum ecce principium, quod nemo, inquit, jure negaverit, & in quod omnia illa solide resolvantur. Nempè omnis opinio, cui viri sapientes, & graves, aut absolute præbere possunt, aut etiam præbent de facto assensum, probabilis procul dubio est, & prudenter à quolibet eligi potest, ut non semel docet Philosophus: immò esse expressam Augustini sententiam, & communem omnium consensum, tam peritorum, quam imperitorum, constat ex dictis contrav. 3. art. præsertim 2. ubi nu. 3. ejusdem Augustini dedimus verba. At hujusmodi est quæcumque opinio, etiam minus probabilis in sensu Probabilistarum: non enim ut probabilem admittunt ipsi, nisi opinionem illam duntaxat, cui plures viri graves, atque sapientes, vel ut minimum unus, absolute præbere possunt, aut de facto præbent assensum. Ergo omnis opinio verè probabilis in sensu Probabilistarum, est absolute verè probabilis: ergo est verè prudens: er-

go

Arist. 1.
Topic. c. 1.
2. Ethic. c. 6.
& alias sæpè.

Aug. supra
adductus l.
de utilitat.
cred. c. 12.

go est recta operandi regula. Quid evidentius? Quid solidius isto discursu? Sed sustine tantisper, oro te, & videbis adeo patenter, ut quasi manibus possis contrectare, quantum valeant in regno Probabilisimi æquivocationes palpabiles, quas tamen ut patentes demonstrationes sine examine ullo suscipere debeamus.

§. II.

Appellatio ad sapientes, & prudentes, in quam tandem resolvunt Probabilistæ communem suam demonstrationem, nimis absurda, & importuna est sub terminis, quibus interponitur, totaque per omnia contraria Augustino, & certissima doctrina ejus.

15. **E** Nim verò non unico, sed multiplici titulo. Primum enim appellationem ad viros sapientes, & graves, generalem, atque confusam, qualis hic interponitur, esse absurdissimam, & quæ mille probet errores nulli Catholico tolerandos, per totam illam controversiam tertiam dilucidè nimis ostendimus. Immo, & restrictam conditionibus illis, quas aliqui ei adhibent, nulla ratione sustineri posse, quippe quæ multa inferat prorsus absurda, & intoleranda, ibidem quoque monstratum est.

16. Præterea satis nobis mirabile videtur, quod adeo facile Probabilistæ obvios ubique habeant viros prudentes, atque sapientes, quorum auctoritati sibi indulgenti tuto se committere possint; vix enim ulla est, aut ne vix quidem, quæstio moralis, in qua non sit opinio benigna (id est, quæ liberet ab onere legis) inter ipsos Probabilistas communiter probata, ac recepta, tanquam verè, & certò probabilis, utique per respectum ad assensum prudentium, ac sapientium, vel possibilem, vel actua-lem, ad quem demum appellant, ut in illum resolvant benignam suam probabilitatem.

17. Certè Augustinus ipse, quando immanibus illis dubitationum fluctibus jactatus, quales latè describit, tum in libris suarum Confessionum, & in libris contra Academicos, tum in aureo illo libro de Utilitate credendi, quem postea scripsit ad Honoratum, apud se tandem aliquando conclusit, non aliam sibi viam ad veritatem inveniendam restare, quam quærere prudentes, & sapientes, quorum auctoritati fidere posset, Nihil (inquit) nobis restare amodò vides (Honorate) quādiū stulti sumus, si nobis vita optima, & religiosa cordi est, nisi, ut quæramus sapientes, quibus obtemperando dominationem stultitia, neque ita multum sentire, dum inest nobis, & evadere aliquādo possimus: quando Augustinus, inquam, huc venit, hinc rursus quasi è portu iterum in altum jactatus incidit in ingentem, ac fermè insuperabilem difficultatem, de inventionem videlicet sapientis, prout ipsemet exponit sequenti cap: Hinc rursus (inquit) oritur difficillima quæstio (immanem paulò inferiùs illam appellat), quonam enim modo stulti sapientem invenire poterimus?

18. Videlicet, supponit S. Doctor, omnes, qui inquirunt aliquam veritatem, quādiū illam inquirunt, esse stultos, seu ignorantes, seque, & amicum suum Honoratum (quæ mira ipsius modestia est) inter hujusmodi recensere non pudet: agnoscit autem maximam, & immanem difficultatem in inveniendis viris sapientibus, à quibus possint veritatem doceri. Quis verò non agnoscat, si prorsus hominem non ignoret?

19. Audi modò Bernardum (eundem Augustinum mox auditurus) difficultatem istam plangentem: *Vae* (inquit) *nostro generi ab imperfectio-
ne sua! Vix in multitudine hominum
unum reperias in utraque gratia consummatum, nempe bonitate, & sapientia, quæ ad rectè consulendum, atque docendum in materia morum, requiritur.* Subjicitque post pauca:

Aug. de
utilit. cred.
cap. 11.

Bern. epist.
42.

Enl-

Eccle. 6.

Pulchrè quoque per alium quendam sapientem, cum sine consilio nihil agendum consulat (divina sapientia), virorum tamen consilii intuens paucitatem, ita loquitur: Multi sint tibi amici: unus autem sit tibi consiliarius de mille: Unus, inquit, de mille. Hæc Bernardus.

20. Sed beati Probabilistæ, quibus nullo discrimine, nullo labore, nulla difficultate, turmatim, ultrò etiam occurrunt viri prudentes, atque sapientes, quorum auctoritate, eaque irrefragabili, opiniones morales passim obviam humanæ libertati faventes reddantur verè, ac certò probabiles, indeque earum usus certò, & infallibiliter honestus, liberque, vel à minimo periculo, aberrandi à via salutis. Adeò felicia sunt tempora nostra præ temporibus Augustini, & Bernardi.

21. At unde precor tantam Augustinus in eo ipso, quod moderni Theologi adeò sibi proclive, facileque experiuntur, difficultatem expertus est? Non opinor ingenii Augustiniani hebetudinem causabuntur, neque suam sagacitatem, industriam, aut prudentiam exquisitam præferre audebunt Augustini prudentiæ, industriæ, vel sagacitati. Unde ergo discrimin tantum? Profectò non aliunde, quàm ex summadoctrinæ oppositione, & principiorum contrarietate, quibus ipse Augustinus innitebatur, & Recentiores modò innituntur, ut jam exponimus luculenter, utraque inter se còferendo.

§. III.

Prosecutio ejusdem propositi, & collatio doctrinæ communis Recentiorum ad doctrinam Augustinianam.

22. **I**gitur Augustinus supposebat in primis, totam quantam sapientium auctoritatem in rationem tandem resolvi, qua nobis persuadeamus rationabiliter, ipsos vera docere; quod est principium lumi-

ne naturæ notum; alioqui sapientia ipsorum quid prodesset quærentibus ad inventionem veritatis? Sanè non aliter se haberet ad ipsam, ac musica ad ædificandum. Hinc Augustinus ipse universaliter asserbat, tantum, & nihil plus Auctori cuilibet esse deferendum, quantum meriti (inquit) *ad faciendam fidem habere perceperis.* Aug. epist. 112. c. 1.

23. Hinc rursus ad Hieronymum idem Augustinus agebat. *Ego solis iis Scripturæ libris, qui jam Canonici dicuntur, didici hunc honorem deferre, ut nullum eorum Auctorum scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinæque polleant, non idèò verum putem, quia illi ita sentiunt; sed quia mihi per illos Auctores Canonicos, vel probabiliter ratione, quòd à vero non abhorreant, persuadere potuerunt.* Hæc Augustinus, qui de se ipso hoc idem consequenter docet: *Neminem velim (inquit) ita amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit.* Subditque opportunè, & acutè: *Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepì, ut nec me ipsum in omnibus me secutum esse demonstrè.* Talis ego sum in scriptis aliorum: tales volo esse intellectores meos, inquit epist. 111. ubi eandem doctrinam repetit. Epist. 111.

24. Notent hæc Recentiores, & desinant, si placet (saltem propter se ipsos) per æquivocationes indigestas, ac futiles, quæ risum faciant viris cordatis, sententiæ nostræ invidiam apud vulgus creare velle, quasi nos nimis multum deferamus proprio iudicio, eò quod constanter doceamus, nullius opinionem Auctoris, quantumvis sapientissimi, licere alicui amplecti, nisi quam ipse veram esse putaverit. Quid alioqui? Dictum cujuslibet absque examine aliquo suscipiemus? Et hæc vera docilitas, hæc prudentia, hic verus amor veritatis est? Et ubi est illa doctrina Dei toties in Scripturis ab ipso nobis tra-

De bono persever. c. 21.

tradita, ut attendamus à falsis Prophetis, & à doctrina Magistrorum fallacium, ut non credamus omni spiritui, neque circumferamur omni vento doctrinæ, ut omnia diligenter probemus, ac dijudicemus, & alia id generis propè innumera?

25. Quid hæc, precor, significant? Pudor est, quod viri aliqui Theologi, & docti, res tantas, & tam serias adèd superficialiter cogitent, & loquantur. Quis est mediocris intellectus homo, qui facili non noverit, vel ex solis vulgaribus libris spiritualibus, quid sit iudicium proprium, à quo, tanquam à peste, immò ut ab ipso diabolo, fugiendum nobis sit, sicut à nostra propria voluntate? An non hæc est, quæ infernum adimplet, ut nemo ignorat, vel ex celebri illa, & vulgatissima sententia Bernardi? Concludat ergo quis, non debere nos facere, vel omittere, quod voluntate nostra velimus, vel omittere, vel facere, ne nostram propriam voluntatem sequamur, quod est damnabile, atque mortiferum; sicut Recentiores concludunt non nos debere fugere, vel amplecti, quod iudicio nostri intellectus malum, aut bonum esse judicemus, ne proprium nostrum iudicium sequamur; sed ex iudicio potius alieno, quod nos non approbemus iudicio nostro, bonum, aut malum nobis amplectendum esse, aut fugiendum.

26. Ex quo debent insuper, & quidem evidenter concludere, quod alienum iudicium, neque probabile, debeamus, aut possimus, iudicare iudicio nostro; aliàs jam proprium iudicium sequeremur, quod est superbum, atque damnabile. Non ergo sequi possumus, nisi quod falsum esse censeamus. Immo nec hoc, sed illud, de quo nihil censeamus. Nisi intellectum fortè commodatum ab aliquo acceperimus, quo semper iudicemus, & nunquam proprio iudicio utamur. Sed intellectum nobis commodare poterit nemo, quia nemo proprium intellectum habebit, ne-

fiat superbus, & pereat. Nugæ sunt istæ planè indignissimæ ab omni seria Theologia alienæ. Et tamen nugis istis non pauci Recentiores seriò oppugnare Theologiam nostram, & apud vulgus diffamare non cessant.

27. Cæterùm audiant saltem Bernardum veræ docilitatis, veræque prudentiæ magistrum: *Utilis* (inquit) *est frater, qui tibi loquitur, sapiens est, religiosus, ac timens Deum: plus dico, Angelus est, & Angelus lucis: etiam sic cave tibi, ne audias, unde ledaris. Nec personam tibi velim suspectam esse, sed linguam, præsertim in sermone communi. Bona quidem columbæ simplicitas, sed in hac parte quoque serpentis astutiam non omittas. MARIA, ne Angelicum quidem verbum sine discussione præteriens, cogitabat, qualis esset ista salutatio. Abeant nunc Recentiores, & Augustinum, Bernardumque, immò & Matrem ipsam Sapientiæ, accuserent apud vulgus, si placet, de æstimatione proprii iudicii, eò quod nos docuerint verbis, & factis, nihil unquam ab aliquo suscipiendum, quantumque sancto, ac sapiente (exceptis Scriptoribus Canonicis, aliisque legitimam auctoritatem habentibus), nisi, quod discussione præmissa, verum esse compererimus.*

28. Igitur ex præmissa doctrina, quam sæpè aliàs Augustinus inculcat, tanquam omninò certum concluderat, Auctores de re aliqua dissentientes, & invicem sibi contrarios, sapientes nobis esse non posse, nimirum in re illa, de qua dissentiunt. Id Augustinus continenter ad ea, quibus summam difficultatem sapientes inveniendi proposuit, affirmat per hæc verba: *Cum hoc nomen* (id est sapientis), *tametsi nemo ferè audeat palam, plerique tamen ex obliquo sibi vendicent; cum de rebus ipsis, quarum cognitione constat sapientia, inter se ita dissentiant, ut aut nullum eorum, aut certum unum, necesse sit esse sapientem. Quia videlicet illi, qui contraria affirmant, aut*

Bern. serm. de tripl. culto ma. lingu. & cord.

Aug. illo cap. 12. de utilit. cred.

docent, utrique errare possunt re ipsa, utrique autem verum docere non possunt, sed alterutros saltem, falli necesse est, nisi nos Dialectica fallit.

29. Ii verò, qui falluntur, non sunt sapientes in re illa, de qua falluntur; nisi fortè sunt aliqui, apud quos error sapientia sit, quibus consequenter non erit aliqua stultitia possibilis, quo nihil posset stultius cogitari. Interim ergo, dum nobis non constiterit, utri dissidentium fallantur, neutros habere possumus ut sapientes, quia de neutris determinatè, quòd à verò re ipsa non abhorreant, prudenter nobis persuadere possumus.

30. Hæc enim verò principia sunt, quibus Augustinus persuasus, immanem illam, quam ipse ostendit, experiebatur difficultatem inveniendi sapientes, & prudentes, quibus tutò fidere posset. At verò Recentiores Probabilistæ, praxi saltem, & factò ipso principia extremè opposita supponunt, unde mirum non est, si nullam experiantur, sed oppositam potius facilitatem. *Praxi*, inquam, & *factò*: nam alioqui principia, quæ Augustinus supponit, traditque, adeò sunt evidentiæ, ut nemo videatur futurus, qui, si maturè ad illa reflectat, eorum veritatem negare, quin neque in dubium vertere possit. Sed enim Recentiores ex benigna sua sententia sic loquuntur communiter, eas passim statuunt assertiones, eas ubique conclusiones deducunt, supponuntque, ut communes, & certas, quæ præfatis principiis evidenter repugnent, & necessariò opposita supponant.

31. In primis enim, licèt abstractè, & speculativè quasi loquendo, Probabilistæ cavere soleant, Auctores illos, quorum auctoritate morales opiniones reddantur verè, & practicè probabiles, debere esse non vulgares homines, neque de trivio Scriptorum, ut ajunt; sed viros sapientes, ac probos, quique in rebus, & Ethicis, & Theologis, diù sint

strenuè versati: aliunde verò, licèt primi generis inveniri quàm plurimos hoc nostro sæculo non diffiteantur (immò, & *innumerabiles* inveniri Terillus ipse testatur, & dolet in prologo ad Tractatum de Consc. proba. cujus sensum, & verba, quæ maximè de re sunt, alibi producemus): licèt hæc, inquam, sæpè Probabilistæ quique doctiores spontè sua fateantur, ut doceant, cum datà operâ hoc argumentum versant; nihilominus tamen, si in omnibus, ac singulis dubiis particularibus occurrentibus stylum communissimum, & praxim ipsorum attendas, comperies, quòd vix aliquem, aut ne vix quidem aliquando excipiant, sed quotquot inveneri potuerunt, sine ullo discrimine ubique proferantur, & referantur ad opiniones benignas comprobandas, etiam puri Summistæ, etiam meri Compilatores, quorum aliqui credo, nec auderent, nec possent, edere Commentarios, etiam simplices, in Dialecticam Aristotelis, quin fortè nec Dialecticam didicerunt.

32. Rursus Probabilistæ Auctoribus, quos referunt pro suis opinionibus suadendis, adeò liberaliter deferunt, ut quamvis illi sententiam suam nullo testimonio Scripturæ, nulla Sanctorum Patrum auctoritate, nulla efficaci ratione ostendant, quin, licèt falsa communiter habeatur, ut aiebat supra Terillus, cujus verba distincta dedimus; licèt rationes contra se habeat, quæ absolute insolubiles mihi videantur, ut affirmabat Rhodes ibidem, & affirmant alii non pauci, neque vulgaris notæ Probabilistæ, licèt non ex professo retractando sententiam illam doceant, sed *perfunctoriè*, & aliud agendo, ut Joannes Sancius ibidem assererat: licèt, inquam, hujusmodi sententiam tradant, illam attamen reddant certò probabilem, adeoque rectam, tutam, & infallibilem regulam honestatis.

33. Denique Recentiores Probabilistæ

Sup. contr. 3. a. l.

babilistas nihil prorsus morari, quod Auctoribus, quos producant ad suas opiniones comprobandas, totidem alii, aut etiam multo plures, non inferioris notæ, sed quandoque melioris, in illa ipsa quæstione repugnent, patet non modo ex praxi communissima (scribendi videlicet, aut docendi), sed etiam ex communibus eorum assertionibus, quas velut certas passim propugnant.

34. Hæc autem omnia, & alia similia communi stylo, & praxi recepta apud neotericos Probabilistas, quæque velut legitima consuetudine ad suam benignam sententiam (uti revera sunt) ubique proferuntur ab ipsis, & acerrimè propugnantur, Augustinianæ doctrinæ præsuppositæ nimis evidentius repugnant, quàm ut à nobis egeat ostendi: unde necesse pariter est, ut principia extremè contraria principiis, quæ Augustinus & tradebat, & supponebat, vel involvant, vel præsupponant.

35. Sed enim Augustini principia (præterquàmquod Augustini sunt) procul dubio sunt evidentiæ, & quæ negari possint à nemine, nisi qui fortè terminos non intelligat.

Patet ergo vulgarem Recentiorum appellationem ad iudicium sapientum, ac prudentum, in quod tandem resolvunt totam doctrinam suam de prudenti electione opinionis minùs probabilis in terminis nostræ quæstionis, valde importunam, & inutilem esse ad protegendam causam Probabilismi, quippe quæ multis titulis absurda nimis sit, multamque involvat falsam doctrinam Augustino, & doctrinæ ejus apud omnes certissimæ, per omnia repugnantiem.

§. IV.

Demonstratur ulterius præfata appellationis absurditas in terminis præsentis controversiæ.

36. **A**uctores, in quorum iudicium, vel possibile, vel

actuale, suam tandem Probabilistæ probabilitatem resolvunt, non debere supponi verè sapientes, ac prudentes, ne quidem absolutè magna ex parte, nullos verò in quæstionibus particularibus, in quibus appellatur ad ipsorum iudicium, constat, tum ex præmissis Augustini principiis, tum ex doctrina, & praxi communi ipsorum Probabilistarum. Porro ejusmodi hominum auctoritas non potest resolvi in rationem, qua quis sibi persuadeat ipsos vera docere; neque enim habent sufficiens meritum, ut possint per se ipsos fidem facere de absoluta rei veritate, neque sententiam suam ita defendunt, ut alii sibi, vel plures, vel doctiores in re illa non contradicant. Non ergo constat neque supponi debet, aut potest eorum vera sapientia, & prudentia, ut patet ex doctrina, & principiis productis ab Augustino.

37. Verùm age, ut absurditas præfata appellationis Recentiorum, evidentius adhuc appareat, largiamur ipsis gratis, Auctores illos, de quibus loquimur, esse verè sapientes, ac prudentes non tantùm absolutè (hoc est, inspectâ eorum peritiâ secundùm se, & abstractâ ab hac, vel illa ipsorum opinione particulari) verùm etiam pro aliis determinatis dubiis, in quibus appellatur ad ipsorum auctoritatem. Adhuc ramen in terminis præcipuæ controversiæ, quam versamus, sub quibus appellatio interponitur, non solum est absurda, & importuna, sed quæ neque credibilis, neque possibilis videretur, si dubitari posset de ipsius existentia. Immò credimus, neminem, qui terminos intelligat, & consideret, posse illam corde usurpare, sed ore duntaxat, & vocibus, quibus alios velit decipere.

38. Enim verò, qui sequitur aliquam opinionem, quam ipsemet agnoscit minùs probabilem, & quam, vel actu judicat falsam, vel saltem potest, si velit, judicare, consequenter, vel judicat, vel judicare potest,

X

cos

eos omnes Auctores (quicumque de-
mum sint), qui talem opinionem,
aut docuerunt, aut docent, aut de-
inceps docebunt, falli re ipsa, & di-
cere malum bonum, vel vice versa.
An non est hæc hypothesis, sub qua
cum Recentioribus disputamus, & in
qua dicunt ipsi, præfatam opinio-
nem esse verè probabilem operanti
propter auctoritatem eorum homi-
num (utique gravium, atque sapien-
tium), qui ipsam, vel docuerunt,
vel possunt aliquando docere?

Quid verò absurdius cogitari
potest, quàm sapientes eos appella-
re, quos tu ipse in re illa, de qua ip-
sos appellas judicas actu, seu (quod
tantundem est) potes, si velis, judi-
care prudenter, non sapuisse re ipsa,
sed errasse? Hoc precor quid est
aliud, quàm adhibere testes dor-
mientes, judice illo ipso, qui adhi-
bet? Vel, ut significantius dixerim-
us, quid aliud est (si res secundum
se attendatur) quàm de industria fin-
gere velle, & alios studiosè deci-
pere?

39. Alioqui non aliud adire vo-
lo, quàm tuæ ipsius conscientiaæ tri-
bunal, nec alium, quàm te ipsum
judicem appellare. Dic obsecro, an
non credis, eos ipsos Auctores, quos
allegas, licet alioqui graves, ac sa-
pientes, in ipsa tamen tua quæstio-
ne re ipsa desipuisse, & errasse? Cre-
dis utique actu, aut, quod perinde
est, credere potes; hæc est enim hy-
pothesis, quam versamus. Tu verò
eos, qui desipiunt, & errant, putas
esse verè sapientes in illa ipsa pecu-
liari quæstione, in qua errant, atque
desipiunt? Non audebis opinor affir-
mare, nisi fortè sunt idem apud te
error, & veritas, sapiens, & desi-
piens. Jam ergo tu te ipsum in tua
causa judica, & nobis precamur edis-
sere, quid intendere possis, cum ejus-
modi Auctores, tanquam verè sa-
pientes, producis, & allegas? Con-
tingat quidem non infrequenter, ut
quis in sui favorem producat inscius
testes, qui re ipsa fallantur: at testes,

quos re ipsa falli crediderit, nemo
sanè producat, nisi qui velit studiosè
decipere.

§. V.

*Vulgaris Recentiorum discursus,
quo appellationem suam ad
sapientes instaurant.*

40. **S**ed audiamus clamores recen-
tium Probabilistarum. Viri,
in quorum iudicium nostram, in-
quiunt, resolvimus probabilitatem,
sapientes sunt, & graves absolutè, &
simpliciter. Bene: de hoc non nihil
jam nos diximus; & sine ullius inju-
ria credimus, non omnes esse illos,
de quibus dicit Deus, *Multitudo...* Sap. 6.
Sapientium sanitas est orbis terrarum,
& rursus, *lingua sapientium sanitas* Prov. 12.
est. Sed, quod ad præsens attinet,
sint per nos sapientissimi, atque gra-
vissimi, non pauci, non plerique,
non plurimi; sed omnes, nullo ex-
cepto, quos allegatis. Jam ultra per-
gite: quid inde concluditis? Illi, in-
quiunt, viri sapientes quæstionem
istam particularem (& eadem est ra-
tio de reliquis) diligenter examina-
runt, & utriusque partis momenta
feriò, atque maturè librarunt: tum
verò illam opinionem benignam,
quam nos minus probabilem, aut
falsam judicamus, ut veram absolu-
tè, docuerunt: fortè etiam ad pra-
xim deduxerunt: certè potuerunt ab-
absolutè deducere; cur enim homo
sapiens, & prudens exequi aliquan-
do non possit, quod post maturam
deliberationem, & diligens examen
veritatis, existimat honestum, &
nulla sibi lege prohibitum?

Quis porro viros istos, & peri-
tos, & probos, hoc modo se gefisse
non credat? Quis reprehendere
audeat? Quis non vereatur de im-
prudencia notare eorum, seu judi-
cium, seu factum, nisi sit nimium
temerarius, & audax? Certè oportet
bit homines plures apud omnes piis-
simos, ac prudentissimos frequentis
im-

imprudentiæ, atque improbitatis damnare, quod nemo pius audire possit, nemo non impudens proferre. Ergo quilibet potest, quin & debet omnino prudenter judicare, eorum opinionem esse verè prudentem, atque adeò verè probabilem.

41. Vulgaris hic discursus sanè mirabilis (ut statim ostendimus) mirum est quantum Recentioribus placeat, maximè verò maximè imperitis, qui verba omnia sine examine accipiunt, quando ipsis sonant ad placitum. Illum non modò proferunt tanquam certissimum, ac penitus irrefragabilem; sed & vehementer succensent, obstupent, & scandalizantur, si quempiam videant ipsi repugnare.

Sed ecce nucem frangimus, & latentem nucleum exerimus, ne quis inani verborum sonitu à rerum veritate moveatur.

§. VI.

Retorquetur in primis in Recentiores vulgaris ipsorum discursus.

42. **S**apienter olim protulit Augustinus, *Tanta est vis consuetudinis, ut ea inveterata, si falsa opinione genita est, nihil sit inimicius veritati.* Ejus etiam vim maximam, & in primis timendam, mirificè describit Philosophus 2. Met. c. ult. ubi D. Angelicus subtiliter rationem investigat, ac reddit. Vividissimè item Bernardus, & alii etiam nimis frequenter.

Aug. li. 5. de Musi. qui habetur tot.

Bern. l. 1. de Confid. statim ab init.

Plal. 116.

Sed, si sapientum deesset auctoritas, id nos luculentissimè, vel experientia sola doceret. Nullibi verò magis, quàm in moderno Probabilismo, ubi, cum consuetudini accedant jura humanæ libertatis, quam homines communiter adeò perditè amant, & insuper tutissimæ benignitatis prætextus, sit funiculus triplex, qui difficilè rumpitur. Sed verò præ his omnibus, & supra omnia Veritas

Domini manet in æternum. Porro præfatum Recentiorum discursum hæc tantum præjudicia veritatis tam altè persuadere potuisse, quippè qui nihil aliud contineat præter egregiam æquivocationem, sit sanè demonstratu facillimum.

43. Id, ut perspicuum fiat, in primis retorquemus argumentum. Quid enim dicent Probabilistæ de totidem, aut pluribus viris non minus, aut fortasse magis gravibus, ac sapientibus, qui post maturam etiam deliberationem, & diligens veritatis examen, opinionem oppositam ut absolutè veram docuerunt, & benignam, ut falsam reprobaverunt? An non & isti Auctores sapientes absolutè sunt? Cur ergo in illa particulari quæstione apud operantem non sint? Nunquid quia non benignè opinati sunt, sed pro lege Dei steterunt? Immo sunt etiam, inquit, sapientes, & prudentes haud secus quàm Auctores partis benignæ. Sed hoc esse possibile Augustinus, ut vidimus, constanter negat: & quidem ex principio evidenti, quòd alterutri necessario fallantur. At, qui falluntur, non sunt sapientes, nisi error sapientia sit. *Deus enim est veritas* (inquit ipse Augustinus), *nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat.*

Aug. ibid. p. 109. infirmitas.

Cum igitur incertum sit operanti, utri ipsorum fallantur in re illa determinatè, erit eidem pariter incertum, utri ipsorum sapientes sint. Immo erit sibi verosimilius, aut etiam absolutè verum, quòd Auctores benigni in subiecta materia non sint sapientes, quia vel judicat actu, vel saltem potest proximè judicare, eos falli re ipsa in illa quæstione directa. Ubinam ergo sunt sapientes illi, quorum auctoritate, ac judicio, ea opinio benigna minus probabilis operanti, verè, ac certò probabilis ipsi redditur, ac per hoc recta operandi regula?

44. Præterea urgentur Probabilistæ. Ponamus, aliquos, aut etiam plu-

X 2 plu-

Teril. g. 6.
de conf. n.
24.

Idem Terill. i. p. de
Regu. mo.
g. 16. n. 13.

plurimos Auctores sapientes, & graves, docere opinionem benignam, tenuiter tantum probabilem, aut etiam omnino improbabilem, quod facile posse contingere, & frequens experientia probat, & Terillus ipse supponit. *Non solum (inquit) plures, sed unus vir doctrina, ac pietate praestans, si de novo in dubium vocet probabilitatem cuiusvis sententia, etsi communissima, & profiteatur, se novis, magnisque rationibus ductum id facere, sua auctoritate efficit, ne illa opinio sit amplius certo probabilis quoad nos.* Et rursus: *Quoties viri graves magna probitatis, & peritiae fama celebres novis magni momenti rationibus contra communem sententiam insurgunt, illamque improbabilitatis arguunt, illa per hoc ipsum, quoad nos perdit probabilitatem suam.* Has Terilli assertiones ideo produximus, non solum, ut appareat, quam obvia sit, ac facilis hypothetesis assumpta; verum etiam ut obviter Lector advertat, quo loco Recentiores, Auctores nostros, nostramque sententiam reponant, qui post asserta ista apud ipsos communia, suam passim appellant, atque supponunt non probabilem tantum, sed etiam absolute certam, & evidentem. Ea est temperies styli Recentiorum. Sed patitur, ut alios Iudices appellemus.

45. In hac ergo Terilli hypothese inquiri à Recentioribus, quare non possit operans opinionem illam communem, aut communissimam, gravium Doctorum judicare certo probabilem, adeoque rectam agendi regulam? An non potest, & debet prudenter judicare, Doctores illos graves, aut aliquos saltem eorum, post sufficientem deliberationem, & diligens veritatis examen, opinionem illam benignam, ut absolute veram tenuisse? forte etiam ad praxim deduxisse? Quid alioqui? Viros quamplurimos piissimos, ac prudentissimos, hoc modo se gessisse non credat? Eos ne audeat impudenter notare, vel de temeritate in judican-

do, vel de improbitate in agendo? Quis audiat? Quis sustineat? Quilibet ergo poterit, quin & debebit, ipsorum opinionem judicare verè prudentem, atque adeo verè probabilem.

46. Hic jam Recentiores expecto. Respondebunt opinor, cetera vera esse, sed consequentiam nullam, & consequens omnino negandum. Quare? Quia licet illi graves, & sapientes Auctores nullo modo peccaverint, neque docendo opinionem illam, neque eandem ad praxim fortasse deducendo (ut pie credi potest, ac debet), eò quod, sufficienti diligentia praemissa, illam putaverint absolute veram non temerè, sed inculpabiliter, quamvis ut homines decepti sint; nos tamen, quibus aliter ipsorum opinio proponitur, aliter possumus, ac debemus, quantum ad nos spectat, de illa judicare: unde non illam possumus judicare prudentem, subindeque nec nobis verè probabilem. Porro ipsi post diligentem veritatis inquisitionem, censuerunt opinionis illius fundamenta esse reipsa gravia, adeoque, & ipsam veram absolute, & (ut supponimus) inculpate censuerunt. Nos verò ex aliis novis fundamentis jam oppositum judicamus: quid ergo mirum, si opinio illa, quae non eundem habet, sed diversum omnino (immò, & oppositum) in conscientiis nostris statum ab illo, quem habebat in conscientiis talium Auctorum nobis non sit probabilis, estò probabilis ipsis fuerit? Nihil profecto rationabilius; quia immò nihil aliud verè reponi potest. Sed quaeso, cur tantundem reponere non liceat ad certissimum illum, prorsusque intemerandum Recentiorum discursum?

§. VII.

Ergo praefati discursus Recentiorum nulla est vis, sed insignis equivocatio.

47. **E**N igitur Probabilistarum æquivocatione palmarem adeo

adeò de se visibilem, ac pinguem, ut mirum planè sit, quòd acutissimorum hominum aciem fugere aliquando potuerit.

Videlicet ex eo, quòd aliquis, aut aliqui viri sapientes opinati sint absolute post diligens veritatis examen, objectum aliquod esse honestum, sive nulla lege prohibitum, arguunt Probabilistæ infallibiliter, si superis placet, ejusmodi opinionem esse prudentem, atque adeò verè probabilem (practicè nimirum, ac proximè) respectu singulorum, & omnium, qui talem opinionem actu non habent; quin, & respectu eorum, qui oppositum actu opinantur, aut opinari proximè possunt: quo nihil evidentius repugnat legibus rectæ argumentationis. Quis alioqui nesciat, si Logicam omninò non nesciat, ab uno ad aliud particulare, vel à particulari ad universale, non valere argumentum, ne quidem materialiter, si materia contingens sit, qualem esse in præsentis dubium non est? Quantò ergo importuniùs, & ineptiùs, ducetur argumentum affirmativum ab aliquo particulari ad aliud, vel ad omnia, in materia non simili, sed omninò contraria?

48. Ecce tibi argumentum recentium Probabilistarum: *Hoc objectum est proximè visibile respectu Titii habentis oculos expeditos, & intentos: igitur proximè visibile est respectu Caii cæci, & aliorum omnium cæcorum, aut habentium oculos clausos.* Quis non rideret hominem sic arguentem, aut potiùs sic ridiculè delirantem? At arguendi formam in utroque discursu esse prorsus eandem, nimis evidens est.

49. Nam, sicut objectum sit proximè visibile respectu Titii per hoc quòd Titius habeat potentiam expeditam ad videndum in proportionata distantia, & objecti visibilis specie instructam; ita etiam objectum est proximè probabile respectu Petri viri sapientis ex hoc precisè, quòd intellectus ejus aliquas inveniat ra-

tiones, quæ post præmissam congruam diligentiam appareant ipsi graves, & efficaces ad ipsius objecti veritatem suadendam. Rursus, sicut in Titio dispositio illa ad videndum, non necessaria est, sed contingens, & quæ fortassè in Cajo, aut cæteris hominibus non reperiatur eadem, sed opposita potiùs; sic etiam dispositio, quæ reperitur in intellectu Petri ad opinandum objectum illud, contingens prorsus est, & quæ in aliis hominibus facilè possit non reperiri, aut etiam reperiri contraria. Quis id neget?

Ergo, sicut ineptè, & ridiculè arguitur, objectum esse Cajo, aut reliquis hominibus visibile, ex eo quòd visibile sit Titio; multò autem ineptiùs argueretur, si in Cajo, vel in aliis supponatur contraria dispositio: ita similiter ex eo, quòd objectum, vel judicium de ipso opinativum fuerit Petro probabile, aut aliis sapientibus viris, ineptissimè argueretur esse probabile respectu aliorum, in quorum intellectibus alia longè diversa, immò, & contraria dispositio invenitur. Pater igitur, eandem esse formam, eandemque fallaciam utriusque discursus, vel potiùs utriusque paralogismi.

50. Itaque Recentiores Probabilistæ insigniter decepti sunt, dum probabilitatem opinionis moralis comminiscuntur adeò absolutam, communem, atque generalem, ut talis sit relatè ad singulos, & omnes intellectus; cum tamen probabilitas practica, sufficiensque ad conscientiam ritè instituendam, sit ex natura sua relativa, restricta, atque determinata ad aliquem, aut aliquos intellectus particulares habentes illam dispositionem specialem, & contingentem circa objectum ipsius opinionis probabilis.

Sanè vix reperiatur judicium aliquod adeò clarum, & evidens, ut tale sit relatè ad omnem intellectum pro hoc misero statu nostræ mortalitatis, in quo vix aliquod invenire sit prin-

principium usque adeò per se notum, ut nemo ipsi repugnet aliquando, cum *nulla sit fatuitas sine patrone*, ut habet vulgaris paremia; quantò igitur minùs iudicium aliquod incertum, & obscurum, quale est iudicium omne purè probabile, ac opinativum, simili privilegio gaudere poterit, ut omnibus, & ubique probetur? Omne ergo iudicium merè probabile per se, & naturà suà est relativum, atque restrictum ad aliquem, aut aliquos intellectus determinatos. Unde ex eo, quòd sit alieni intellectui probabile, non nisi ineptissimè arguitur esse verè probabile respectu singulorum, & omnium intellectuum: multò autem ineptius respectu eorum, in quibus reperitur dispositio contraria.

§ 1. At nemo, cui iudicium de suà operationis honestate probabile verè non est, licetè potest illud amplecti, ut est omnibus in confessio. Perperam ergo inducitur à Recentioribus probabilitas practica, sufficiensque ad honestè operandum, opinionis minùs probabilis, ex hoc quòd illa probata sit, aut etiam in praxim deducta, ab aliquo, aut à multis viris absolute sapientibus.

Pater ergo, quàm sit inanis Recentiorum discursus, quàmque importunè passim appellent ad iudicium sapientum, ac prudentum, ut suam probabilitatem cum vera prudentia connectant.

§. VIII.

Amovetur obiectio.

52. **A**T dicat quis: quid igitur Antiprobabilistæ recentiores distinguere solèt frequenter moralem probabilitatem in absolutam, & relativam, ut & nos ipsi supra distinximus, si probabilitatem absolutam modò refellimus, & insectamur?

Resp. distinctionem illam minime obitare doctrinæ modo tractatæ, sed optimè cum illa congruere.

Nam, ut opinio in aliquo sensu dicatur absolute probabilis, sufficit, quòd habeat pro se rationes aliquas absolute non leves, contra quas nihil certum, aut convincens appareat, & propter quas ut vera probari possit, aut etiam de facto probetur aliquibus sapientibus viris citra temeritatis, aut imprudentiæ notam, licet ab aliis reprobetur ut falsa. Denique opinio huiusmodi iis, quibus non probatur, non erit relative probabilis; *Id, quod merito visum est* (inquit Esparza) *principium per se notum Augustino propterea exclamanti lib. de Utilit. cred. c. si bene memini* 11. (fideliter), Quomodo est illud, quod sequuntur, si non probatur probabile? *Nempe illi, cui non probatur, & à quo iudicatur probari non debere?* Illis verò, quibus probatur, erit relative probabilis; quod equidem, & eadem ratione, & ex ipsis terminis patet.

§ 3. At, ut opinio aliqua dicatur absolute probabilis, sufficit, quòd sit talis intuitu aliquorum, quamvis respectu aliorum sit improbabilis; ut enim absolute improbabilis sit, nemini debet esse probabilis, improbabilitas namque absoluta omnem omnino negat probabilitatem. Quod explicari potest eodem illo exemplo, quod paulò ante producebamus. Certè, ut obiectum aliquod sit absolute proximè visibile, sufficit, quod re ipsa tale sit aliquibus ad videndum paratis, nec dicitur absolute invisibile, ex eo, quòd non possit videri ab aliis. His ergo à quibus videri non potest, erit relative invisibile invisibilitate coherere cum absoluta ipsius visibilitate. Idem ergo dicendum ob eandem rationem de opinionis moralis improbabilitate relativa, & absoluta ejusdem probabilitate. Unde tandem concludes, moralem opinionem esse improbabilem relative, & simul absolute probabilem, nihil aliud esse re ipsa, quàm probabilem esse aliquibus, aliquibus verò improbabilem.

54. Hæc autem probabilitas absolute

Espar. Ap.
pend. par. 1.
2. 145.

soluta, quam nos tribuimus opinioni morali, non est ea, quam modò Recentiores intendunt, & quam nos hic, & ubique negamus: neque se sola sufficiens est ad rectam conscientiam formandam. Utrique probabilitas, quam nos damus, & absolutam dici non abnuimus, non est sic absoluta, universalis, & illimitata, ut sit talis relatè ad omnes, & ad singulos intellectus: immò verò, vel semper, vel sapissimè saltem, invenitur conjuncta cum relativa improbabilitate, scilicet in omnibus illis, quibus opinio opposita apparet æquè, aut magis verosimilis. Ii verò, quibus aliqua opinio (minus tuta videlicet) apparet relativè improbabilis, licet probabilis absolute sit (quia nimirum aliis probatur), non possunt eam licitè uti, ut cunctis debet esse exploratum.

55. At verò recentiores Probabilistæ cuilibet opinioni probabili, eò ipso quod talis sit relatè ad aliquos viros sapientes, ac probos, attribuunt probabilitatem adeò absolutam, & illimitatam, ut sit talis respectu omnium, ita ut nemini debeat esse improbabilis, etiam illis, à quibus falsa putatur, aut potest proximè falsa putari. Quo fit, inquiunt, ut possit quilibet eam uti, cum cuilibet fas sit uti opinione sibi verè probabili.

Hanc probabilitatem absolutam, vel nunquam, vel rarissimè, absolute loquendo, cadere in opinionem merè probabilem; in hypothesi verò nostræ quæstionis esse prorsus fictitiam, & quæ discursu æquivocatione, atque multiplici fallaciâ pleno à Recentioribus adstruatur, assatim demonstratum relinquimus, & uberius statim demonstrabimus.

Patet ergo, quæ sit probabilitas absoluta, quam ex communi sensu tradidimus, & ea quam à Recentioribus cõfictam efficaciter refutamus.

ARTICULUS III.

Eadem Recentiorum vulgaris demonstratio, in opinione propria, contra quam formatur conscientia per artificium Probabilismi, nullum permittit sensum, nisi nimis absurdum, aut repugnantem.

56. **A** Ntequam principium reflexum, & argumentum irrefragabile recitum Probabilistarum, ex principiis à nobis stabilitis nullo negotio tandem refellamus, juvat ejusdem sensum legitimum intimius adhuc eviscerare, ut plures, & ingentes, quas involvit, absurditates clariùs detegamus. Ponimus autem modò quòd conscientia formetur ex opinione minus probabili contra tutiorem, & probabiliorem subjectivè, & actu existentem in intellectu ipsius operantis, juxta postremum sensum Reflexistarum, quem plures Recentiores cum Terillo defendunt, prout exposuimus art. 1., hic enim sensus clariùs, & faciliùs absurditatem prodit, ut ibidem advertimus. Ex illo tamen faciliè mox constabit absurditas nò minor alterius sensus, quem priori loco exposuimus. Cæterùm duos adhuc in hac hypothesi potest opinio propria sensus habere, non vocibus duntaxat, sed re ipsa diversos, alterum categorematicum, sive absolutum, alterum hypotheticum, aut virtualiter saltem conditionatum, restrictum, & secundum quid, quem suo loco clarè exponemus.

§. I.

Prior sensus apertam contradictionem involvit.

57. **S**ensus scilicet absolutus, sive categoricus est, ut qui operatur contra opinionem sibi magis probabilem, & magis tutam actu perseverantem in intellectu ipsius, judicet actu, omnibus inspectis, & un-

undecunque consideratis, contractum, verbi gratia, esse usurarium, & consequenter non esse licitum; & simul sibi licere contrahere propter oppositam opinionem probabilem. At sensum hunc involvere contradictionem evidentem, vel ex ipsis terminis patet, & demonstrari facile potest:

58. Enim verò iudicium particulare discrepare non potest ab universali iudicio, nisi utriusque objectum diversum sit, alioqui posset quis idem objectum simul affirmare, & negare, quod est evidens contradictio. Ratio facilis est ex principiis Dialecticis: nam quisquis per iudicium universale aliquid affirmat, aut negat de multis, vel de omnibus individuis sub communi ratione acceptis, id ipsum affirmat, aut negat de omnibus, & singulis determinatè, quæ in illa ratione includuntur: unde enuntiatio hæc *omnis homo peccat*, habet descensum istum determinatum, ergo *Petrus peccat*, *Joannes peccat*, & sic de reliquis, ut est in Dialectica notū. Ergo, qui retinet assertionem illam communem, & universalem, de nullo homine determinato poterit negare quod peccet, aliàs de eodem numero homine id ipsum affirmaret, & negaret.

59. Tum sic: quisquis affirmat, contractum aliquem sub certis circumstantiis generali ratione acceptis, usurarium esse, & illicitum, perinde omnino est, ac si iudicet, vel affirmet, *contractus hic illicitus est Petro, Joanni, Antonio, Paulo, Francisco*, & sic de cæteris, nullo excepto: ergo, si simul neget esse illicitum Joanni, exempli gratia, seu, quod eodem redit, affirmet esse licitum; simul, & semel affirmat, & negat, eundem omnino contractum esse illicitum Joanni, sive, quod idem, affirmat esse licitum, & illicitum.

Tum ultra: Qui absolute, & omnibus inspectis, adeoque inspecta etiam opinione contraria, & tota ejusdem probabilitate, iudicat pro-

babiliter, contractum esse illicitum, iudicat esse illicitum, adhuc inspecta opinione illa, comparative ad omnes, & singulos, adeoque, & ad ipsum determinatè. Ergo, si simul iudicat, licitum esse propter oppositam opinionem probabilem, simul, & semel iudicat, licitum, & illicitum sibi esse sub eisdem omnino circumstantiis; quod est evidens contradictio.

60. Apponamus exemplum magis determinatum. Joannes Theologiae Doctor, & pietorix non imperitus, postquam omnia consideravit, inspecta etiam opinione contraria nonnullorum gravium Auctorum, affirmat absolute, *non licet pingere in die festo*: deinde innitens eadem opinioni (supponimus, non alium titulum esse) per principia Reflexistarum concludit, *mibi licet pingere in die festo*: hic profectò tenebitur duas contradictorias simul concedere: nam prior propositio habet sensum universalem, idest, *non licet Petro, non Paulo, non Francisco, non mihi*, & sic de reliquis, atque adeò *nemini licet*: ergo si affirmet simul, *mibi pingere licet*, enuntiare simul tenetur, *nemini licet*, & *mibi licet*, quæ sunt aperte contradictoriae.

Ob eandem rationem duas contrarias concedere tenebitur; si enim iudicat sibi licere propter oppositam opinionem probabilem, iudicare tenetur propter eundem titulum licere Petro, Paulo, Antonio, Francisco, & sic de reliquis, atque adeò licere omnibus: ergo iudicare tenetur, *omnibus licet, nemini licet*, quæ sunt enuntiationes contrariae.

61. Evidens ergo est, priorem sensum principii Recentiorum, nimirum categoricum, & absolutum, manifestam involvere implicationem in hypothese, qua procedimus, in sententia videlicet Reflexistarum, qui cum Terillo docent formare conscientiam contra opinionem propriam, etiam actu perseverantem, de inhonestate propriæ operationis.

Videri potest P. Thomas Sanchez li. 1. in Decal. c. 9. n. 3: & 2. de Matrim. d. 41. n. 5. ubi demonstrat facile, & clarè ex communi sensu Doctorum, iudicium generale (quod vocat speculativum) nullibi debere, nec posse, discrepare à particulari (quod ipse appellat unice iudicium practicum) nisi varietur aliqua circumstantia, quæ nempe reperiatur in unius objecto, & in objecto alterius non reperiatur. Eandem etiam in eadem hypothese utriusque iudicii necessariam concordiam, ut exploratam, & indubitabilem, egregiè P. Vazquez ostendit, uti revera est apud omnes, qui penitus Dialecticâ non ignorant.

§ II.

Posterior sensus ejusdem principii ineptus admodum, & absurdus est.

62. **A**SSERTIO hæc procedit, ut monuimus, sub eadem hypothese, & juxta eundem modum formandi conscientiam ex opinione minus probabili, nempe contra opinionem tutiorem simul, & probabiliorem actualiter perleve: antem. Sensus verò posterior principii Recentiorum, seu potius opinionis, contra quam ex illo principio formari posse conscientiam docent, erit in hac hypothese saltem virtualiter hypotheticus, restrictus, & secundum quid.

63. Iudicium itaque, quo quis, dum operatur, opinatur actualiter, non licet, verbi gratia, pingere in die festo, si foret absolutum, non permetteret secum iudicium alterum, quo quis actu concluderet, licere sibi pingere in festo, ut proximè demonstrabamus. Oportet ergo, ut aliqua ratione conditionatum sit, aut restrictum, ita ut affirmet non de toto objecto, vel de objecto, prout subest omnibus circumstantiis, etiam extrinsecis; sed de ipso directè, ac secundum se inspecto, & præscin-

dendo à circumstantia extrinseca opinionis probabilis opposita, ipsius honestatem affirmantis.

Denique sensus memorati iudicii erit, inspecta solùm ratione, & præscindendo ab auctoritate, non licet pingere in die festo, vel, non liceret pingere in die festo, nisi Doctores graves oppositum docerent probabiliter. Et ita exponit sensum huius iudicii, & reflexi principii Recentiorum, Terilius ubi supra allegatus: alii autem, Sup. a. 1. exponere non curaverunt, sed confusè locuti sunt.

64. Cæterum sensum istum nimis absurdum esse, & ineptum, haud difficulter ostendi possit. Profectò universaliter, & in quavis materia hic modus opinandi ridiculus videtur, ac nugatorius. Nemo enim in dubiis sibi occurrentibus, nisi pueriliter ludere velit, determinatum iudicium profert non attendens ad omnia fundamenta, quæ sibi undique proponuntur, sed ad aliqua tantum eorum. Sanè intellectus est iudex veritatis, quam velut finem proprium ubique quærît: unde omnia, quæ sibi undecunque obijciuntur pro veritate, vel falsitate, attendit, & considerat tanquam iudex in suo tribunali, antequam definitam sententiâ ferat.

Sicut igitur iudex in foro externo, qui pro altera parte sententiâ ferret non attendens ad omnia, quæ utrinque sibi allegata sunt, sed ad aliqua tantum eorum: deinde verò ad omnia respiciens, pro opposita parte absolutam ferret sententiâ, nugari, & ineptire meritò censetur; haud secus de intellectu sentiendum est, si per sua iudicia non absolutas prius, sed quasi dimidiatas sententiâs ferat, eò quòd nolit respicere ad omnia, etiam actu sibi occurrentia: postea verò absolutè oppositum enuntiet, inspectis omnibus fundamentis.

65. Est autem multò absurdior, & ineptior restrictus hic opinandi modus in quæstionibus practicis, præcipuè verò in rebus moralibus, ubi

Aristo. 2.
Eth. c. 3.

quæstiones omnes, atque dubiorum resolutiones propter operandum quærentur, & propter honestè operandum, aliàs foret inutilis, & importunus labor, inspectâ materiæ naturâ. Cum autem (ait Philosophus) *præsens tractatio* (ethica nimirum) *non contemplationis sit, ut ceteræ, gratiâ (non enim ut sciamus quidnam sit virtus, sed ut efficiamur boni, consideramus; nam nulla ipsius esset utilitas), de actibus quonam modo sint agendi, considerare necesse est.*

66. Quid verò, precor, refert ad honestè operandum, si ut boni efficiamur per morales operationes, quòd hoc, aut illud liceat ex hoc, vel illo capite, si omnibus inspectis, absolute non licet? Aut vice versa, quid facit ad honestam operationem opinari, quòd aliquid non liceat ex hac, aut ex illa ratione, si post omnia considerara concludo tandem mihi licere? Certè opiniones illæ restrictæ, ac dimidiatæ neminem unquam ad agendum dirigunt. Sunt ergo inutilis, ac nugatoriæ, præsertim in rebus moralibus, adeoque ab omnibus prociendæ. *Faceessant igitur (ajebat Tullius), qui docere nihil possunt, quomelius, sapientiusque vivamus.*

Tull. in
Horten.

67. Præterea non hunc esse re ipsa nostrarum opinionum moralium sensum, modus ipse communis loquendi, & scribendi videtur manifestè convincere. Nam Doctores quique, præsertim sapientiores, & graviores, dum tractant, & resolvunt dubia moralia, de quibus varix utrinque opiniones feruntur, non loquuntur restrictè, aut hypotheticè, sed categoricè, & absolute dicunt, *hoc licet, id non licet, hoc opus est honestum, illud turpe, hic contractus est Simoniacus, illicitus, insus, usurarius; ille verò justus, honestus, nulla malitia infectus, & sic de aliis.*

Atqui, si sensus mentalium opinionum non foret absolutus, aut de objecto simpliciter, & omnibus consideratis, sed restrictus duntaxat, & de secundum quid, non deberent

sic loqui, quin neque possent licetè, nam locutiones illæ fallaces essent, immò forent mendaces, quippè quæ aliud significarent ab eo, quod mente concipitur: ergo non sic interiùs opinantur, qui absolute dicunt exteriùs, aliquid esse licitum, aut illicitum. At modum hunc loquendi, & scribendi frequentissimum esse notorium est: ergo sensus communis moralium opinionum non est restrictus, sed absolutus.

S. III.

Refellitur solutio Terilli.

68. **R** Epones ex Terillo, sensum verborum in hac materia quanvis absolutus videatur, accipiendum esse hypotheticè, & cum debita restrictione, nempe de objecto secundum se, & præscindendo à circumstantia extrinseca opinionis probabilis oppositæ. Ratio est: nam Auctores, de quibus constat tenere sententiam benignam, si, quando dicunt, aliquid esse licitum, quod tamen vident alios negare, sensum absolutum intenderent, apertè contradicerent sibi ipsis, quod præsumendum minimè est de viris doctis, atque prudentibus. Nullum ergo argumentum fieri potest pro assertione, nostra ex communi modo loquendi, licet quoad sonum vocum absolutus videatur. Porro voces significant secundum intentionem loquentis, & ideo verba non sunt curanda, quando de intentione constiterit.

Terill. r. p.
de Regu.
mo q. 22. n.
4.

69. At contrà est primò: quia non semper ac fuerint ex parte oppositâ Doctores alii, etiam plures, & graves docentes, aliquid esse licitum, opinio ipsorum probabilis censetur, sufficiensque ad reddendum objectum licitum, adhuc in via Probabilistarum, ut satis patet ex his, quæ diximus, præsertim controv. 3. Immo nullam omninò præscribi posse regulam ex principiis moderni Probabilismi, nisi mirum in modum per-

perplexam, & ancipitem, ad discernendam opinionum moralium firmam, ac certam probabilitatem, patet ex ibi dictis, & ex postea dicendis clariùs patebit. Unde igitur nobis constare poterit de intentione Doctorum dicentium absolutè, aliquid esse illicitum, quanvis videant, id ipsum ab aliis tanquam licitum defendi, nisi expressè fateantur, eorum opinionem esse probabilem; quod tamen plerunque non dicunt?

70. Contrà secundò: nam, licèt id expressè faterentur, adhuc maneret dubitandi locus, num intelligi vellent de relativa, num de absoluta probabilitate. Sanè neminem posse, si satis supra terminos reflectat, opinionem (præsertim, quam falsam judicat) appellare probabilem, relativè ad omnes, & singulos, neque ratione illius objectum, quod alioqui judicat turpe, existimare licitum omnibus, abundè constar ex doctrina tradita per totum superiore articulum, præsertim §. 5. & 6. Hinc multos, & graviores, etiam ex Recentioribus qui recenferi solent pro Probabilissimo moderno, alienos fuisse ab illius sensu; & ex dictis colligitur non obscurè, & in secunda parte ex professo palàm faciemus.

71. Certè, vel ex hoc uno constare debet, quod alioqui totus labor, & opera, omnesque ipsorum resolutiones morales, pro dirigendis hominum conscientis inutiles omnino, ac vix non ridiculæ forent. Rogo enim quid faciat ad directionem moralem hominum disputare longam quæstionem, multisque, ac validis argumentis propugnare, & ostendere sententiam negativam de alicujus contractus honestate, si, vel in ipso disputationis ingressu, vel ad finem tandem ipsius pronunties, opinionem affirmativam, quam tantis reprobis, esse verè probabilem, & sensus hujus assertionis sit, esse ita probabilem, ut prædictum contractum reddat simpliciter omnibus licitum, adeoque sensum tuæ opinio-

nis, quam adeò operosè firmasti, non esse categoricum, & absolutum, sed restrictum, & hypotheticum, hoc est, de objecto secundum se, & non considerata opinione contraria, qua redditur simpliciter licitum respectu singulorum, & omnium?

Profectò labor tuus atramentum, & chartam, & quod majoris dispendii est, pretiosum tempus frustra consumpsit, nec quidquam tandem contulit ad directionem meam præter plurima verba inania, ac delusoria: idque (quod est mirabile) ex directa tua intentione. Nempe, denuntias mihi verbis expressis, & absolutis, contractum esse iniquum; vis tamen, ut intelligam licitum mihi esse. Quid ineptius? Quid potest absurdius cogitari? Atqui non decet ita sentire de viris doctis, atque prudētibus. Igitur censendi non sunt opinari restrictè, aut hypotheticè, dum dicunt aliquid esse illicitum, etiam quando expressè fatentur, contrariam opinionem esse probabilem. Igitur non loquuntur de probabilitate relativa, vel absoluta, in sensu, quem intendunt Recentiores, sed juxta sensum, quem exposuimus §. 6. præcedentis articuli.

§. IV.

Modus iste loquendi, & opinandi, ingentia producit absurda, totamque in re morali Christianam Veritatem, ac sinceritatem corrumpit.

72. **C**ontrà denique tertio, & urgentius: etiam si sensus Theologorum moralium in suis opinionibus internis, de secundum quid, & restrictus, non foret adeò, ut minimum, dubius, sed qui posset utcumque conjectari ex aliis diversis indiciis, tolerandum adhuc non esset, quòd ita loquerentur, ut de facto loquuntur, nimirum absolutis, & expressis verbis docentes, aliquid esse licitum, aut illicitum. Patet; nam alioqui quæ non sequetur rerum con-

fusio, si liceat modus iste loquendi, & opinandi? Sanè nullum errorem, nullum delirium, nullam stultitiam, nullam denique hæresim, aut blasphemiam, non liceret cuique proferre, scribere, vel propugnare, verbis expressis, & absolutis. Attende, quæso te.

73. Ecce prodit in medium Doctor pius, & gravis apud omnes Catholicissimus, & qui, si placet, etiam in ipso suæ disputationis ingressu expressè profiteatur, se nihil credere, vel docere, crediturumve unquam, aut docturum, contra sensum Catholicæ Matris Ecclesiæ, aut sacrorum, ejus Doctorum. Hic, semel hac præmissa protestatione, jam in decursu poterit intrepidè, ac impunè affirmare quid quid libuerit, verbis simplicibus, & absolutis. Unde, si occurrat loqui de Incarnatione Verbi Divini, poterit illam rotundè negare, opinando mentaliter de objecto illo secundum se, ac restrictè, præscindendo videlicet à divina revelatione, & prout subest præcisè rationi naturali: poterit cum eadem restrictione, & in eodem sensu negare Trinitatem absolutè, affirmare, quòd Angelii non existant, aut saltem, quòd incertum id sit, vel quòd, si existant, fuerint ab æterno: poterit item, quando occasio se dederit, negare eodem modo Purgatorium, universalis iudicii diem, Indulgentias, & alia quæque dogmata, quæ, vel ex Fidei revelatione, vel ex communi Fidelium sensu, vel ex SS. Patrum auctoritate in Ecclesia Catholica recepta sunt, opinando videlicet in his omnibus, restrictim, dimidiatè, & de objecto secundum se, sive attenta præcisè ratione naturali, & non divina revelatione, traditione, aut Sanctorum auctoritate.

74. Quis dicat, hunc loquendi, aut scribendi modum, tolerandum, esse in Ecclesia, vel Doctorem prædictum jure posse à nobis exigere, ut memoratas ejus assertiones, quantumvis absolutas quoad verba, restricti-

tim accipiamus, aut dimidiatè, & non absolutè quoad sensum? Nullus opinor ita desipiat: nam stylus ejusmodi neque magistros decet, etiam artium mechanicarum, nec doctrinalis est, sed captiosus, nec utilis, sed aptus ad decipiendas animas innocentes, neque Christianam sapit sinceritatem, sed magis hujus mundi sapientiam, cujus est *sensum verbis velare, & cor machinationibus tegere*, ut aiebat Magnus Gregorius, id artificii genus procul esse à vera sapientia, contestamur.

75. Nullibi verò magis requiritur, sicut doctrinæ puritas, sic etiam & verborum sinceritas, quàm in dubiis moralibus decidendis, ubi errores non theoreti, aut exigui momenti, sed practici omnes sunt, diligentissimèque cavendi. Quid porro absurdius, aut perniciosius moribus, quàm ut Doctor moralis responsa sua præbeat instar Delphici Oraculi verbis adèò ænigmaticis, ac perplexis, ut cogat, vel legentes, vel consulentes, uti discursibus, ac conjecturis ad proprium ejus sensum venandum? Quid verò, si absolutis verbis affirmet, quòd non ipse absolutè, sed restrictè duntaxat opinatur? Certè, nisi qui id ipsum in ipsa responsione disertè protestetur, & exprimat, non docere videbitur, sed deludere, immò studiosè fallere, velle.

76. Denique quæro abs te, nunquid hoc sit *ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loqui*, ut loquendum Christianis, atque docendum, verbo, & exemplo suo, Apostolus nos docet; an potius, ut ibidem ipse ait, *adulterare verbum Dei*? O via benigni Probabilismi, quantum differs à via veritatis, adeoque ab omnibus viis Domini, quæ universæ quidem benignitas, sed & veritas simul sunt, *Universe viæ Domini misericordia, & veritas*. Jam verò benignitas illa, quæ procul est ab omni Dei via, procul sit etiam, necesse est ab omni vera benignitate.

At,

Greg. Mag.
li. 10. Mo.
ral. c. 16.

2. ad Corin.
c. 2.

Phil. 22.

77. At, modum hunc loquendi, & scribendi apud morales Theologos, etiam Probabilistas, usitatissimum semper fuisse, & cōmuni praxi receptum, notorium est ex ipsorum libris, ut ostendi à nobis non debeat. Ergo non est credibile, eorum opiniones esse restrictas, aut hypotheticas, sed absolutas potius, & de objecto prout subest omnibus circumstantiis, etiam diversis Doctorum opinionibus. Cur alioqui doctis, ac prudentibus viris modum opinandi tribuamus, & ex se valde ineptum, ac absurdum, & repugnantem ipsorum verbis, indeque fallacem, ac noxium? Enim verò non debent Recentiores cum tanta gravium Doctorum injuria suæ doctrinæ patrociniū querere.

78. Constat igitur, sensum opinionum de secundum quid, & restrictum, in rebus præsertim moralibus, neque rationi, neque prudentiæ, neque recto, ac connaturali opinandi modo congruere. Id, quod à posteriori ex praxi ipsa, & ex usu cōmuni apud Doctores, etiam modernos Probabilistas, videtur satis clarè convinci.

Ex quibus omnibus licet nobis concludere, sensum opinionis actualis, contra quam formatur conscientia ex reflexo principio Recentiorum, si non sit categoricus, & absolutus, sed restrictus, aut hypotheticus, legitimus non esse, sed ineptum, absurdum, prorsusque irregularem, adeoque ab omnibus repellendum. Aliunde verò sensum absolutum implicatorium esse jam constitit. Nullum igitur sensum in eo eventu opinio propria potest habere, præterquam, vel absurdum, vel repugnantem, adeoque nullum absolute tenendum.

S. V.

Concluditur absurditas alterius sensus.

79. **I**dest, quando suspenditur iudicium proprium de inhonestate objecti, ad formandam conscientiam ex opinione aliena operanti minus probabili, juxta priorem modum, quo Recentiores docent formare conscientiam ex suo principio reflexo.

Hunc ergo sensum propriæ opinionis esse re ipsa haud minus absurdum, ex dictis etiam satis apparet. Porro artificium hoc, seu modum formandi conscientiam, unice differt à præcedenti, per id quod operans, dum operatur, licet possit prudenter (utique ex fundamentis sibi gravioribus) judicare, si velit, objectum, quod amplectitur, esse re ipsa turpe, & divina lege prohibitum; tamen ut possit uti opinione contraria apud ipsum minus probabili, voluntariè, ac de industria, proprium iudicium cohibet, nihil enuntiando de objecto secundum se, ac directè considerato, ne per ejusmodi iudicium directum impediatur iudicium practicum, quo possit tandem absolute concludere ex reflexo principio Recentiorum licere sibi amplecti memoratum objectum, prout affirmat opinio sibi minus probabilis. Et hoc est artificium Probabilismi, jam hodie prævalens apud Recentiores, & magnificis verbis ab ipsis commendatum, quo janua cæli panditur hominibus, & quo absolute *facillimum* est à peccati periculo se eximere, ut agebat supra Terillus.

80. At quis non videat, artificium hoc non esse veræ prudentiæ opus, sed artis cavillandi cum Deo? Porro ignorantia legis voluntaria, quam videlicet quis facile posset, & debebat cognoscere, moraliter, & æquivalenter est notitia, & scientia legis ipsius, ut constat ex Jure Ca-

no-

Terill. adduct. supra art. 1. §. 1.

Cap. ultim.
dist. 37. &
cap. Cum in-
bibitio de
clandestin.
desponsat. c.
2.

D. Iusti. M.

nonico, & probat optimè D. Iustinus in explicatione quæstionum Gentium respons. 140. ex illo Joan. 7. *Et me scitis, & unde sim, scitis: id est, scire (inquit), & cognoscere potestis; nam de facto illi ignorabant Christum*, Quare ignorantia huiusmodi excusare neminem potest à transgressione legis voluntaria simpliciter.

81. Multò verò minùs excusat, dum ideò quis ignorat, quia ex consilio, & de industria avertit oculos ab ipsa lege, & à malitia actionis ipsi contrariæ, ut non ab illa abstinere cogatur. Hæc utique ignorantia planè affectata est, adeoque dolo, & fallaciâ plena, unde meritò in Jure sæpè appellatur dolo. Denique artificium huiusmodi non aliud videtur ab illo, quod Deus per Psalmistam detestatur, ac reprobatur in homine impio, ac dolofo, *Verba oris ejus (inquit) iniquitas, & dolo: noluit intelligere, ut benè ageret: id est, ut malè ageret, & scientiam benè vendi contempsit*, ut V. C. Bellarminus exponit.

Psal. 35.

Bellarm.
ibi.

82. Adde, quòd hic in hypothesi nostra affectat quidem legis ignorantiam, re tamen ipsa legem non ignorat; quia, licet nolit actu judicare, legem prohibentem existere; actu tamen agnoscit verosimilius esse, quòd existat re ipsa: hæc autem est sufficiens, & abundans notitia legis, ut ipsius transgressio dicatur, & sit voluntaria, ut cernitur in eo, qui operatur cum dubio practico. Sed hoc post pauca.

83. Nunc verò, quòd spectat ad sensum opinionis, contra quam formatur conscientia ex illo principio reflexo, patet nò evacuari absurditatem ejus per voluntariam suspensionem judicii circa quæstionem ipsam directam. Enim verò in hypothesi, de qua agimus, licet operans opinionem directam tutiorem, & probabiliorem non faciat sibi propriam per actualem ejus assensum, quia de industria suspendit omne judicium

determinatum circa objectum ipsum directum; nihilominus tamen, cum actu judicet, opinionem illam tutiorem esse re ipsa probabiliorem, consequenter non potest actu non judicare, verosimilius esse, quòd objectum re ipsa sit inhonestum, & contrarium legi divinæ. In hoc autem judicio eadem est absurditas, ac in judicio actualem determinato de inhonestate objecti directi; quia pariter non potest sensum ullum habere, nisi vel nimis ineptum, & absurdum, vel certè repugnantem omnino, & absolute contradicentem ultimo conscientie dictamini.

84. Suadetur eodem discursu. Vel judicium, quo judicas, verosimilius esse, quòd objectum re ipsa turpe sit, est categoricum, & absolutum, hoc est, de objecto adæquatè sumpto, prout subest omnibus circumstantiis suis, sive intrinsicis, sive extrinsecis; vel est potiùs quasi hypotheticum, de secundum quid, ac restrictum, id est, de objecto secundum se, & non prout subest opinioni Doctorum tuentium, etsi minùs probabiliter, ipsum non esse turpe, nec divina lege prohibitum? Posteriorem hunc sensum esse importunum, contra consuetum modum opinandi, ac loquendi, etiam graviorum Probabilitatum, indeque valde ineptum, irregularem, & absurdum, ostensum est §. præcedenti. Sensum verò priorem non esse absurdum tantum, sed etiam repugnantem, apertamque involventem contradictionem, saltem virtualem, ex dictis etiam clarè colligitur.

85. Equidem duo hæc absoluta judicia, *verosimilius est, objectum hoc esse re ipsa contra legem Dei, adeoque illicitum, & inhonestum: objectum hoc non est re ipsa illicitum, nec alicui legi contrarium*, apertè sibi invicem contradicentia sunt, saltem virtualiter, atque adeò non minùs mutuo sibi impossibilia, quàm duo illa sibi expressè, atque formaliter contradictoria, de quibus egimus §. 1.

etc-

etenim contradictio virtualis non minorem inducit, aut supponit incompossibilitatem extremorum, absolutamque repugnantiam, quam expressa, & formalis contradictio, nec aliud intelligimus per virtua-lem contradictionem, ut constat ex principiis metaphysicis. Quod verò duo illa judicia contradictoria virtualiter sint, per totam controversiam quintam demonstratum à nobis est, & Terillus ipse non negat, quin ex professo docet, & probat; quanvis apertè sibi contradicens, ut ibidem ostensum est, productis verbis ipsius Terilli, quibus utranque affirmat contradictionis partem in Opere primo, & secundo.

86. Immo verò, etsi operans suspenderet actuale iudicium (quod tamen sæpè facere non poterit) circa maiorem probabilitate n opinionis tutioris, contra quam vult formare conscientiam, & solum apprehenderet simpliciter, verosimilius esse, inspectis omnibus, quòd objectum re ipsa sit inhonestum, adhuc non posset per ullam reflexionem formare ultimum conscientiae dictamen de absoluta honestate objecti; quia non modò iudicium absolutum, verum etiam simplex apprehensio maioris, aut æqualis verosimilitudinis unius partis contradictionis, impedit essentialiter iudicium de veritate partis oppositæ, ut ibidem ostensum est cōtra directos Probabilistas, & deinceps supponimus cū Reflexistis, prout admonuimus ad controversiæ initium.

87. Patet igitur, sensum propriæ opinionis, contra quam formatur conscientia ex reflexo principio Recentiorum, pariter esse absurdum, aut repugnantem, etiam quando suspenditur omne actuale iudicium de inhonestate objecti, juxta priorem sensum, modumve formandi conscientiam, quem Reflexistæ docent, nisi quòd modus iste novissimè reiectus dolosum (sed frustraneum) superaddat conatum affectandi igno-

rantiam legis, & avertendi oculos à luce veritatis sibi objectæ. Uterque igitur sensus, seu modus formandi conscientiam ex reflexo principio Recentiorum, apertam repugnantiam, vel absurditatem præferebat.

Unde tandem concludere facile liceat, principium illud in opinione propria, contra quam docet formare conscientiam, nullum non repugnantem, vel absurdum sensum, permittere, quo præsentis articuli scopus spectabat.

ARTICULUS IV.

Ex principiis jam statutis evidenter tandem, & facile concluditur absurditas, & falsitas insignis, prætermissa Recentiorum demonstrationis à priori pro moderno Probabilismo.

88. **S**ilicet non idè in hac demonstratione refellèda tandiù morati sumus, quòd falsitas ipsius, & absurditas nimia, statim evidenter non appareat ex capitalibus fundamentis, seu principiis à nobis stabilitis. Sed principium adeò speciosum, cuique tantopere plauditur, & fiditur, evolvere diligentius oportuit, ne quem posset deinceps species ejus, vel turbare aliquatenus, vel decipere. Utique veritas dives est, ac copiosa, & cui plurima suppetant argumenta, quibus errores sibi contrarios disicere multipliciter possit. Jam ergo reflectamus supra doctrinam à nobis statutam, & minimè timeamus, ne cui fortè, videamur excessisse, dum præfati principii Recentiorum absurditatem, falsitatemque, nimiam diximus, & insignem.

§. I.

Falsitas, & absurditas ejus principii juxta secundum sensum, seu modum formandi conscientiam ex Probabilismo reflexo.

89. **N**imirum contra propriam opinionem tutiorem, & ope-

operanti ipsi probabiliorem, actu existentem in intellectu ipsius, adeoque juxta alienam opinionem directam, quam ipse reputat actu falsam. Sed quis precor exemplo luce ipsa, clarius non videat, agentem ex ejusmodi conscientiae non querere sincerè legem directam Dei, sed illam potius irridere, ac contemnere?

Non hic longis discursibus opus sit: res ipsa loquitur. Ecce sensum legitimum, & statum, quem habet operantis conscientia, fidelibus verbis expressum: *Ego quidem existimo, contractum hunc, quem inire volo, esse re ipsa injustum per se, & divina lege prohibitum: sed quia video nonnullos graves Auctores, quos tamen ego decipi judico, docentes, illum licitum esse, licitum mihi absolute est hujusmodi contractum inire.* Peto modò abs te, Lector, per Deum immortalem, an qui sic operatur, querat sermò, & ex animo legem Dei, ut suam illi conformet actionem? Legem, inquam, divinam directam, & antecedentem hominum opiniones, & sensa? Non pium, non sincerum, non sapientem: iniquissimum hominum, & mortalium stolidissimum, si qua tamen ratione utatur, judicem appellare licebit.

90. Sed verbis vividioribus, si fieri possit, reddamus eundem ipsissimum sensum: *Ego per hanc actionem re ipsa violo legem Dei, & facio contra ipsius voluntatem, quam actionem istam mihi prohibet severissime, sub pena scilicet mortis aeternae: quia tamen viri graves, ac docti oppositum affirmant (falsò, ut existimo), licitum mihi absolute est, & ideo volo actionem istam exequi.* Horrebit hic non ambigo, omnis Probabilista, omnis Catholicus, omnis homo. Neque enim fore credimus hominem verè hominem, qui audeat affirmare, vel concedere, conscientiam, quam expressimus, esse rectam, aut eum, qui operatur secundum illam, prudenter, & honestè operari. Sed voces sono tantùm differentes au-

dientes quidem possunt confundere: variare non possunt objecta.

Intende amabò te, candide Lector, & manibus errorem tenebis. Eò videlicet jam devenimus, ubi non facile reflexionum, tenebrae veritatis lucem abscondant. Non de rebus abstractis, aut inexplicabilibus, sermo vertitur. Conferamus voces cum vocibus, & excipiant legitime Probabilistae, si quid protulerimus, quod diffiteri possint.

91. Petrus post diligentem rei discussionem (id enim damus) opinatur pluribus, ac peritioribus, contractum, quem intendit inire, usurarium esse re ipsa: quia tamen videt, alios, quorù opinio probabilis habetur, oppositum tenere, contractum init retinens actu suam opinionem, in hunc modum formans conscientiam ex reflexo principio Recentiorum: *Omnibus, atque adeò mihi, agere licet ex directà opinione legi contraria, & meae libertati indulgente, dummodò certò probabilis sit, & licet ego contrariam teneam: sed opinio, quae docet, contractum sub his circumstantiis usurarium non esse, sed potius licitum, licet mihi sit falsa, est opinio certò probabilis: igitur licet mihi secundum illam agere, atque adeò inire hunc contractum, ideoque placet ipsum inire.*

92. Exponamus nunc sensum, & statum conscientiae Petri. Ipse judicat actu, contractum à se initum naturam suam, & secundum se inspectum, usurarium esse re ipsa: ergo judicat actu, esse re ipsa illicitum: ergo judicat actu esse re ipsa contra legem Dei, & sanctam voluntatem ipsius: ergo judicat actu, se, dum contractum init, violare legem Dei, & agere re ipsa contra voluntatem divinam: ergo dum init, sic apud se dicit, *Ego per hunc contractum, quem in eo, re ipsa violo legem Dei, & ago contra voluntatem ipsius, quam hunc contractum mihi severissime prohibet, sub pena scilicet damnationis aeternae: sed quia viri graves, ac docti probabili-*
ter

ter docent (falsò me iudice) contractum ipsum licitum esse, & non contrarium legi divinae, & mihi licet agere secundum opinionem legi contrariam, & meae libertati faventem, etiam, quam actum iudico falsam, licet mihi absolute contractum hunc inire, ideoque ipsum inire volo.

93. Dispiciant modò, & quaerant quid hic excipiant Probabilistae. Nullam profectò inveniant propositionem non evidentem ex ipsa terminorum acceptione, nisi amovere velint, & tollere de medio re ipsa, & quoad substantiam, legem antecedentem, atque directam Dei, quasi non sufficienter promulgatam, ne Petrus videat, dum operatur, se violare re ipsa legem istam, neque ad ipsam teneatur operationem suam conformare. Hoc principium de legis insufficienti promulgatione, quoties datur opinio, etiam minus probabilis, negans ipsius legis obligationem, (quod certè videretur non cogitandum) Terillus totis viribus, ut jam vidimus, adstruere molitus est inevitabili necessitate compulsus, ne tota machina novi Probabilismi nullo fundamento consisteret. Sed quàm inefficaciter, quàm sine fundamento, sine patrono, sine consequentia, demonstratum jam manet, ultra quàm foret opus, per totam controversiam sextam: quare nullum omninò Probabilistis, vel appetens effugium patet.

94. Porro, principio illo non subsistente, & lege Dei primaria, seu directa, in hypothese nostra verè perseverante, aut re ipsa non deficiente, protinùs evidenter apparet, Petrum in data hypothese, dum init memoratum contractum, non posse, vel invitum, non videre, se per actionem illam violare, atque contemnere legem Dei, atque adeò formaliter peccare. Nisi velis, ut iudicet, contractum usurarium, & injustum esse re ipsa, & non esse re ipsa illicitum, ac turpem; aut turpem, & illicitum esse, nec tamen esse contra legem Dei;

aut se re ipsa agere contra legem, nec tamen ideo legem ipsam violare; aut denique se violare legem, & tamen non peccare formaliter: ex quibus si quis aliquid desiperet, non refellendus esset, sed miserandus.

95. Jam ergo, prudens Lector, contemplare tandem attentè rectissimam conscientiam Petri nostri ex tenebrosa reflexionum caligine ad lucem veritatis productam. Nempè ex reflexo principio Recentiorum, inspectis omnibus, concludit tandem sic, licet mihi hunc contractum in his circumstantiis inire, & quiescere jubetur à Recentioribus, quippè cui nihil ultra timendum sit. Sed perge, Petre, mecum, & adde, quod negare non potes, & quod tua ipsius conscientia, te licet invito, reclamat: at qui contractum hunc in his circumstantiis inire (scilicet, quem iudico usurarium esse re ipsa) est violare formaliter legem Dei: violare autem formaliter Dei legem est peccare formaliter: igitur licet mihi formaliter peccare. At, cui peccare licet, nihil non licet: cui verò licent omnia, peccare nequit. Jam ergo, Petre, factus es impeccabilis ex nimia peccandi licentia. Quiesce ergo: quid ultra times? O monstra!

§. II.

Nihilò minor est, quin & multò major videtur, absurditas, & falsitas memorati principii, juxta alteram viam Recentiorum, seu modum formandi conscientiam.

96. **I**D est, contra opinionem operanti probabiliorē, adeòque propriam, sed tamen non actualem, de inhonestate objecti intrinseca, ac directa; ac per hoc juxta alienam opinionem de ejusdem objecti honestate operanti minus probabilem, quam scilicet posset falsam judicare, si vellet; sed ut rectam conscientiam formare possit ex reflexo Probabilismo, omne actuale iudicium immedia-

Z

dia-

diatum circa objectum ipsum directum liber è, ac de industria suspēdit.

Hæc est altera via Reflexistarum ad controversiæ initium primo loco proposita, quæ jam hodie communior inter ipsos videtur, & per quam horror alterius viæ, quam proximè præclusimus, maximus, & asperrimus, mitigari quadantenus videatur. Reverà tamen non ita esse, sed potius viam istam Recentiorum haud secus esse horridam, & absurdam; immodò fortassè magis, quam alteram, ex eisdem nostris principiis facillimum sit demonstratu.

Sed juvat illam prius vividis lineamentis depositam dare politissimò penicillo illius (heu!) nobis immaturè, nimisque alieno tempore desiderati, eximii planè viri, P. Ægidii Estrix, pietate, acumine, eruditione, facundiaque mirabili satis noti, qui in quodam suo Scripto (an magis pulchro, quam docto, nescias), quod superiori anno 93. de controversia quadam nostræ simillima, Summo Pontifici Innocentio XII., necnon Eminentissimis DD. Cardinalibus S.R.E. legendum edidit, sententiam Probabilistarum, quam benignam appellant ipsi, suis propriis coloribus sic expressit.

97. Homo Deum timens, & non tam doctus, quam bono præditus intellectu, invitatur ad incundum contractum, qui ipsi suspectus est de vitio usura, ac Simonia: de hoc igitur inquirat pro captu suo, expendens momenta rationum, ut potest, consulens Doctores &c. Comperit, Doctores multo plures damnare contractum, & horum rationes ipsi videnter fortiores, judicat igitur & ipse, contractum esse usurarium, aut Simoniacum, adeoque renuit contrahere.

Theologus benignus ipsi dicit: quid times? An nescis septem esse Doctorum opinionem, quod contractus non sit Simoniacus? Scio, inquit ille: sed viginti Doctores dicunt esse Simoniacum, & horum rationes videntur mihi validiores. Nihil refert, ait Theologus,

quia licet tibi sequi opinionem minus probabilem. At ille: etiam ne opinionem, quam judico esse falsam? Etiam, inquit Theologus, modo nitaris probabilitate opinionis contraria, quamvis minore. Ego ne, inquit ille, ut ineam contractum, quem judico esse Simoniacum? Non est, cur timeas, ait Theologus: quia illud tuum judicium nascitur ex principiis directis de contractu secundum se, cum quo bene consistit aliud judicium ex principiis reflexis de licito contractu, ut subsistat probabilitati, quamvis minori. Ille vero: ego reflexiones illas non novi, nec curo nosse: nimis certum habeo, non esse mihi licitum contractum, quem judico esse Simoniacum.

Age, age, inquit Theologus, eximiam omnem scrupulum. Illud tuum judicium, cum sit opinativum, est tibi liberum: illud igitur suspende tantisper, dum absolvis contractum. Sed ille: quaeso, quid hoc me juvabit, si rationem, & auctoritatem pro Simonia contractus clarè videam prævalere? Ad hæc Theologus: ad plenam, ait, securitatem tantisper etiam animum avertere à consideratione rationis, & auctoritatis, intentus in solam probabilitatem opinionis contraria: quid facilius? Abrumpo hoc filum, ne satyra scripta videatur. Verum sic est res, si obijciatur oculis sine fuce.

Hæc Pater acutissimus, in prælaudato Scripto, quæ, cum sint fidelissima, ac mera expressio sententiæ benignæ, sufficiens tamen sunt, nimisque efficax ejusdem impugnatio. Cui verò eadem satyra videbuntur, is benignam sententiam, & artificium ejus, judicio suo accusat, ac damnat: alioqui offendat petimus, quid in præmissis verbis per imposturam, aut calumniam dicatur?

98. Equidem per se ipsum incredibile apparet, è duobus hominibus idem opus, & in eisdem circumstantiis facientibus, alterum legem Dei contemnere, ac violare, præ altero, ex eo tantum quod hic præ illo à consilio, & de industria,

su-

suspendat actuale iudicium, quo judicare poterat, opus suum esse re ipsa legi contrarium; cum tamen eadem omnino motiva, easdemque rationes habeat, atque cognoscat, quas alter habet ad ita iudicandum.

Immo dolosa hæc oculorum aversio à luce veritatis sibi observante videtur clarè operantem ostendere pejùs affectum erga legem Dei, multòque impensius ad peccandum propensum. Ecqua nanque deterior affectio cordis erga Deum, & ejus legem, quàm hominis, qui ab illa, & à notitia ipsius, ita sibi timet, & cavet, ut ab ipsius legis ignorantia, & contemptu, timere sibi, & cavere debebat? Profectò longè is abest, ut cum Propheta oret, *Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua*, & cum eodem rursus exultabundus canter, *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos... judicia Domini vera justificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & favum*. Non ergo potest operans excusari à violatione formali legis per voluntariam illam iudicii, itudiosamque suspensionem; sed potiùs multò pejùs operari videtur, quàm alter, qui iudicium non suspendit, ut notabamus præced. art. §. 5. n. 2. & 3.

99. Porro, quòd absolutè violet formaliter legem Dei antecedentem, atque directam, atque adeò peccet formaliter, per evidentem consequentiam colligitur ex principiis superiùs stabilitis. Etenim quisquis videns, verosimilius esse, operationem suam non conformari cum ipsa lege, sed eidem potiùs opponi, nihilominus illam exequitur, proculdubio non quærit seriò, & ex animo, cõformitatem suæ operationis cum prima regula moralis honestatis, idest, cum ipsa lege, seu voluntate Dei, nec Deum ipsum, & ejus voluntatem sincero corde amat, sed magis voluntariè contemnit: quod ex terminis ipsis videtur evidens, &

luculentè demonstratum relinquimus per totam præcedentem controversiam, ubi multis exemplis horologii, fortium, & aliis, ob oculos id constitutum. At quisquis operatur ex directa opinione minùs tuta, & simul minùs sibi probabili, quanvis suspendat actuale iudicium, quo posset ipsam falsam, si vellet, judicare, agit id, quod agnoscit verosimilius esse, quòd sit re ipsa contra legem Dei antecedentem, atque directam: ergo non quærit illam sincero corde, sed voluntariè violat, & contemnit: igitur prudenter non agit, sed turpiter, ac imprudenter.

100. Ecce igitur nudam ab omni reflexionum involucri conscientiam hominis operantis ex artificio Probabilisimi, juxta viam, quam hic obstruimus: *Sive contractum hunc Deus per legem suam prohibeat, sive non prohibeat, tanquam illicitum, & usurarium; immò etsi mihi verosimilius sit, Deum de facto prohibere illum, sub pena damnationis eterne: cum tamen viri graves, ac docti (quorum ego opinionem veram non censeo, sed potiùs falsam esse verosimilius puto) probabiliter doceant oppositum, & mihi liceat agere secundum opinionem minùs tutam, etiam mihi minùs probabilem, licitum mihi absolutè est hujusmodi contractum inire*. Sed licet nobis addere, atque subsumere: *At inire contractum, de quo verosimilius sit operanti esse re ipsa contra legem Dei, est legem ipsam seriò non querere, sed violare potiùs formaliter, atque voluntariè contemnere: legem verò divinam contemnere, ac violare formaliter, nefas est, & formale peccatum: ergo absolutè licet formaliter peccare*.

Tu verò, Lector, diligenter considera, quid in toto discursu Probabilista negare possint, rejecto semel illo suo principio de insufficienti legis promulgatione? Vide, an conscientia hominis operantis ex reflexo artificio Probabilisimi, verè placeat, & Christiana? Ac demum, an di-

Etamen absolutum, quod ex reflexo principio Recētorum legitimè tandem concluditur, sit verè prudens, atque Catholicum?

§. III.

Concluditur multò major absurditas hujus communis via Reflexistarum.

101. **P**atet igitur, liberam suspensionem judicii de inhonestate objecti intrinseca, ac directà, nihil operantem juvare ad formandam rectam conscientiam, quia nullatenus impedit divinæ legis notitiam, sufficientem ad ipsam violandam, formaliter. Præterea, estò impediret, non ideo excusaret à culpa; quia talis ignorantia non foret inculpabilis, sed voluntaria, immò directè volita, studiosèque procurata: ignorantia verò hujus indolis peccatum non excusat, quin nec diminuit, sed augere potius videtur. Denique, ut sapienter Bernardus, *Frustrà sibi de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberiùs peccent, libenter infirmantur, vel ignorant.*

Bern. de
Gra. ii. hu-
mil. c. 2.

D. Tho. 1.
2. q. 76. a. 4.
corp.

102. Audiatur S. Thomas: *Contingit autem quandoque, quòd talis ignorantia directè, & per se est voluntaria, sicut cum aliquis sua sponte nescit aliquid, ut liberiùs peccet: & talis ignorantia videtur augere voluntarium, & peccatum: ex intensio- ne enim voluntatis ad peccandum provenit quòd aliquis vult subire ignorantia damnum, propter libertatem peccandi.* Id verò intelligi necessariò debet, non de ignorantia secundum se precisè, & formaliter considerata; sed de ipsa prout volita, seu voluntaria, ut inducta videlicet directè per illum intensiorem, propensio- remque affectum ad peccandum. Nam, alioqui ignorantia formaliter accepta, cum sit mera scientiæ privatio, nunquam formaliter, & ratione sui, voluntarium augere potest, sed potius aliquo modo semper diminuit: cæterum scientiæ defectus compen-

satur, ut diximus, cum excessu per intensiorem voluntatem peccandi.

103. Ex quibus clarè demùm apparet, modum hunc formandi conscientiam ex reflexo principio Recētorum, quantunvis primo aspectu tolerabilior, & minùs absurdus videatur, multò tamen esse pejorem, multòque absurdiorē re ipsa, quàm modum alterum priùs rejectum. Ratio verò patet ex dictis: nam ille, qui, ut utatur opinione directà minus sibi probabili de bonitate suæ operationis, liberè cohibet actuale judicium, de falsitate ejusdem opinionis, & (quod eodem redit) de intrinseca malitia operationis suæ; in primis non sincerè, sed fraudulentè potius se habet adversus legem Dei, affectando nempe de industria, & procurando ignorantiam ejus, ut contra illam liberiùs agat: aliunde verò infelix, & dolosus ille conatus irritus tandem est, nec assequitur, quod intendit, quandoquidem actuali deficiente judicio, non deficit propterea notitia actualis, quæ sufficere posset, ac deberet, ut abstineat ab illa operatione, quam proinde non ponit ex ignorantia, sed ex malitia potius, & contemptu divinæ legis.

104. Unde, qui ex simili conscientia operatur, ex una parte ostendit pravū cor suum adversus Deum, & ejus legem, & intensiorem voluntatem peccandi, ut ajebat D. Angelicus, dum lumen veritatis studiosè declinat, & non venit ad lucem, ut non arguatur opera ejus: ex alia verò, licet invitè, impingit in lucē, quam odit, & scienter demum committit, quod ignoranter patrare cupiebat. Videtur igitur unus ex illis, de quibus Job, *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & sic in tenebris, quasi in luce ambulant:* de quibus item olim Bernardus, *Quanto expetius sum agnita veritate tristiores, & ideo magis, quòd iam confugere ad ignorantia excusationem non liceret, scientes, & non facientes, quod veritas hortaretur.*

Joan. 3.

Job. 4.

Bern. ferm.
47. in cant.

Con-

105. Concludamus ergo jam licet, utrumque sensum Probabilistarum, seu modum formandi conscientiam ex suo reflexo principio, quod à priori vocant, & evidenter demonstrativum pro benigna sua sententia, esse maximè absurdum, & nimis evidenter falsum, quique conscientiam generet non rectam, sed iniquam omninò; atque adeò neminem posse prudenter, aut licetè agere secundum opinionem minùs tutam, & simul minùs sibi probabilem contra tutiorem, ac probabiliorum, seu illam operans actu retineat, seu liberè potiùs suspendat.

§. IV.

Corollarium de Theologo consulente, sive aliis consilium dante.

106. **D**E Theologis moralibus, Confessariis, & generaliter de Consultoribus, seu Directoribus conscientiarum, dum alios actu dirigunt ad usum opinionum probabilium, satis consequenter discurrunt, uno excepto, vel altero, Recentiores Probabilistæ, quando de hoc ex professo disputant, licet alias, ob propriam conditionem principiorum Probabilismi, in multis nimis claras de hac eadem re, inconsequentias sæpè labantur, quas suis propriis locis adnotare non omitemus.

Ajunt videlicet ex eodem principio, unicuique licitum esse consilium dare alteri secundum opinionem minùs tutam, & consilianti ipsi minùs probabilem, sive quam judicat actu falsam, sive quam potest, si velit, judicare; hic enim Reflexistæ similiter divisi sunt in duplicem viam, ac sensum, circa modum, quo debeat director formare conscientiam, vel deponendo scilicet necessariò, vel etiam retinendo, dum actu dirigit, opinionem suam directam, contrariamque opinioni benignæ, cujus usum consulit alteri.

107. Coharet procul dubio assertio ista doctrinæ Probabilistarum de usu licito opinionis benignæ, etiam minùs probabilis operanti; quod enim sibi, & omnibus licitum quis prudenter existimat, quare non possit alijs approbare, aut consulere, sub eisdem omninò circumstantiis? Immò, Probabilistam, si consequentiam teneat, aliter non posse resolvere dubia moralia sibi proposita, evidens prorsus est ex Probabilismi principiis; quomodo nanque poterit alteri denuntiare, seu intimare, absolutam obligationem solvendi, aut restituendi, exempli gratia, si noverit esse opinionem, licet sibi minùs probabilem, quæ neget talem obligationem, & ipse censeat absolutè licitam ejusmodi opinionis praxim? Sanè dum alii diceret, *restituere teneris*, egregiè mentiretur eidem, mendacio utique gravi, ac pernicioso, atque adeò occidente animam.

108. Hinc (quod magnopere notandum est) ego nunquam capere potui praxim multorum hominum valdè doctòrum, ac timoratorum, qui cùm modernum Probabilismum ubique pugnacissimè doceant, & sustinendum esse contendunt; ipsi tamen, dum dubia particularia sibi occurrentia, præsertim de re gravi, verbo, vel scripto resolvunt, dum docent, dum scribunt, dum concionantur, passim denuntiant obligationem gravem, cùm probè sciant non deesse opinionem, licet æquè, vel minùs, verè tamen probabilem juxta sensum benigni Probabilismi, quæ neget talem obligationem. Id esse factum certum, atque notorium, vix sit, qui nesciat; neque semel, aut iterùm per me ipsum expertus sum, multosque de se ipsis id palàm profitentes sæpiùs audivi. Quid hic verò dicendum, ignoret fortè quis.

109. Cæterùm factum istud efficacissimè apud me convincit, aliam esse rationem, & admodum dissimilem de docentibus, & utentibus in materia Probabilismi. Porro, moder-

dernus Probabilissimus fallaci specie benignitatis suæ multorum intellectus non vulgares, incautè tamen nimium præoccupatos plurimis veritatis præjudiciis, (de quibus supra nonnihil diximus; & in decursu multò plura dicemus) facillimè fallit, & obrinet, quòd ad assensum attinget quasi speculativum, & contròversia ista generaliter, & quasi abstractè consideratà; quorum tamen conscientias timoratas, atque fideles, non ita facillè decipere potest, dum propius venit ad praxim. Veruntamen viri isti prudentes, qui, quam incautè verbis docuerant, Probabilissimi praxim, factis retractant, hujus laudabilis praxis suæ, qua sibi prudentissimè consulunt, meminisse sane deberent, dum verbis suis multos decipiunt non ita cautos in operando; qui scilicet plus verba, quam eorum facta considerant, non quia majoris momenti sint, sed quia magis sibi placentia. Verùm de hoc in secunda parte latius à nobis agendum est.

110. Nunc, quod spectat ad assertionem, qua Probabilitate communiter principium suum reflexum, quod proximè impugnavimus, consequenter, ut diximus, extendunt ad consulentes, ac dirigentes; nobis, qui praxim Probabilissimi totis judicii viribus illicitam absolutè censemus, & dicti principii reflexi, quo Recentiores illam à priori suadent, absurditatem, & falsitatem maximam adeò patenter jam demonstravimus, opus item non erit dictis aliquid addere, aut argumenta nova producere ad assertionem istam, & extensionem ejus principii efficaciter confutandam. Sufficit igitur doctrinam nostram huc etiam breviter applicare, ut extensionis hujus, doctrinæ Recentiorum eadem falsitas, & absurditas statim evidenter appareat.

111. Sanè, si mihi non licet agere secundum opinionem minùs rutam, quam judico minùs probabilem, sive retineam actu contrariam

opinionem, sive illam pro libitu deponam, consequens planè est, ut neque id liceat aliis suadere; quid enim aliud foret, quàm positivè illos ad peccandum inducere, quod nūquam potest licitum esse? Neque reflexio ulla prodesse mihi potest in ordine ad consilium potiùs præbendum, quàm in ordine ad meam operationem. Alioqui cur mihi appellare non licet pro operatione mea ad prudentiam aliorum, qui opinionem illam benignam minùs probabilem tradiderunt? Certè, quia nequeo illos prudentes judicare in illa re, de qua delibero, licet absolutè prudentes, cum vel judicem actu, ipsos deceptos esse re ipsa, vel saltem esse verosimilium, quod re ipsa decepti sint: neque fieri potest per reflexionem ullam, ut prudenter mihi persuadeam licere mihi agere, quòd existimo esse re ipsa contra legem Dei, vel saltem esse verosimilium, quòd re ipsa sit contra legem, alioqui judicarem prudenter licitum mihi esse peccare, quod est error in Fide longè absurdissimus, & in terminis ipsis implicatiorius.

At hæc eadem probant, per nullam reflexionem fieri posse, ut qui consulit alteri usum illius opinionis benignæ, quam credit esse minùs probabilem, rectam conscientiam formet; quia nunquam potest prudenter judicare, licitum sibi esse suadere aliis id, quod suadens existimat esse re ipsa contra legem Dei, aut saltem esse verosimilium, quod re ipsa sit contra legem; aliàs prudenter crederet, licitum esse sibi inducere ad violandam legem divinam, quod nemo prudens dicere audeat.

112. Neque refert, quòd is, qui consilium accipit, aliter possit formare conscientiam secundum illam opinionem benignam, quam potest ipse putare veram, & forsàn inculpate, propter auctoritatem Doctorum, qui tanquam veram illam docuerunt: etenim id in primis contingens est, & omnino per accidens.

Aliun-

Aliunde verò nihil prodesse potest ad consulentem ipsum excusandum; quia nemo potest licite cuiquam consulere id, quod ipse cognovisset esse malum secundum se, & contra legem Dei prohibentem, quanvis simul cognoscat fieri posse, ut qui consilium accipit, excusetur à culpa, immò etsi certò sciret excusandum; alioqui liceret suadere rustico utrum cuiuslibet opinionis quantuncunque improbabilis, aut erronea, contra fidem, aut contra mores, quod nullus Theologus audeat affirmare.

113. Verum age, ne pluribus opus sit, conscientiam consulentis, aut dirigentis, secundum opinionem minùs tutam, & simul minùs sibi probabilem, jam contra faciem suam statuamus. Placet autem illam non meis, sed Terilli verbis exprimere, qui exemplum affert de Theologo opinante, octo uncias pro serotina refectiuncula nò esse moderatam, sed nimiam quantitatem, & quæ absolute jejunium frangat.

Sic verò docet formare conscientiam ex artificio Probabilissimi reflexi: Scias, me ex rationibus directis existimare, quantitatem hanc esse nimiam, adeoque ita esse dispositam, ut nisi aliud formem iudicium, peccaturus sim, si stante hoc iudicio, octo uncias comedam: nihilominus tu non teneris te juxta meam opinionem gubernare, sed potes aliis viris doctissimis fidem dare, illorumque sententiam tuta conscientia sequi, qui dicunt, octo uncias non esse quantitatem nimiam. Adeas ergo talem, & ab illo pete, ille enim expressè tenet, id licitum esse. Et ego ipse scio, te tutum fore in conscientia, si dubium deponas, & propter illorum auctoritatem, & rationes iudices, id tibi licere. Consulo ergo, ut illis potius, quàm mihi credas in hac re. Subjungitque post pauca sequenti num. Et sanè hac veritas adeò patens est, ut non videam quomodo quis rationabiliter possit eam in dubium revocare. Ita Terillus totidem verbis.

114. Glossemus verba hæc prodigioia, vel, ut aptius loquantur, sententia horum verborum aliis vocibus sono tantum diversis fideliter reddamus: Ego quidem existimo, cum, qui ad octo uncias jejunii refectiunculam extendit, violare re ipsa jejunium: sed quia sunt alii multi Doctores, qui docent (falso, ut iudico) non violare, licitum tibi absolute est eam quantitatem comedere, & ideo tibi consulo, ut illis potius credas, & quantitatem illam, si placet, absque ullo scrupulo comedas. Accipe id ipsum rursus significantius: Ego iudico, te, si quantitatem illam comederis, re ipsa peccaturum contra legem jejunii: quia tamen alii (quos decipi credo) negant, te non peccaturum, licet tibi absolute eam quantitatem comedere, & ideo tibi consulo, ut non mihi, sed illis credas, & quantitatem illam, si placeat, sine ullo scrupulo comedas. Id est, consulo tibi, ut facias id, quod si feceris, iudico, te peccaturum; nec mihi credas verum dicenti, sed aliis potius, qui falso dicunt, te nullatenus peccaturum. Hæc omnia, excluso illo capitali principio de insufficienti legis promulgatione, ex ipsis terminis evidentia esse, manifestè constat ex dictis. Quàm verò sanum, pium, & honestum consilium sit, quàm prudens, recta, ac tuta conscientia consulentis, aut dirigentis, iudicio Lectoris relinquimus.

115. Et tamen hæc est veritas adeò patens, ut nemo possit rationabiliter eam in dubium revocare: hæc est via salutis suavissima, rectissima, tutissima, prudentia, discretionem, benignitatem plena, & Ecclesiæ Dei utilissima, quippe quæ tollit mundi peccata. Hæc nimirum est via, quam qui docent (ait quidam Recentior) perfecta suadent; suadent enim opinionem benignam, quæ, & vera est, adeoque intellectum ornat, & valde utilis voluntati, quia plurima peccandi pericula suavissime arcet. His quidem omnibus, & innumeris aliis magnificis, & gloriosis encomiis opi-

opinionem suam benignam passim Recentiores commendant, populoque ultrà modum jucundam, & maximè optabilem faciunt.

Cæterum suæ benignæ sententiæ, sibi ipsis, & populo quantum voluerint, Recentiores blandiantur. Interim nos facilius credemus, hanc viam operandi, consulendi, atque dirigendi, esse illam, de qua per Isaiam Dominus, *Popule meus* (inquit), *qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*. Item: *Et erunt, qui beatificant populum istum, seducendo: & qui beatificantur, precipitati*. Quam aliis verbis Dominus in Evangelio expressit, *Cæcus autem, si ceco ductum præstet, ambo in foveam cadunt*.
 Isa. c. 3.
 Idem c. 9.
 Math. 15.

Haud tamen ideo dicimus, aut credimus, Probabilistas, velle studiosè decipere, aut per fictitiæ pacis fallacem promissionem populorum auram captare. Absit, ut hoc de viris usque adeo piis, ac probis, vel suspicari, nobis veniat in mentem. Immo faciliè credimus, eorum zelum esse Christianum, & intentionem piam, ac bonam. Solum ergo contendimus, & ostendimus (ne cui lethalis error improvisus obrepit per speciem turriſſimæ benignitatis), & eos, qui benignam sententiam docent, quavis nolentes, nimium esse deceptos, & eos, qui incautè suscipiunt, miserè quoque decipi contra suarum animarum salutem. Doctrinam igitur (quod ad nos attinet), nullam verò personam determinatam judicamus.

ARTICULUS V.

Synopsis Controversiæ.

116. **L**ongiùs omnino, quàm initio credidimus, controversiam istam protraximus: fortasse tamen non inutiliter, licet ad refellendum celebrem Recentiorum Prudentissimum brevior sufficeret disputatio. Accipe igitur summam

universæ doctrinæ traditæ, ut illam, cum libuerit, compendio possis ob oculos tibi statuere.

Dupliciter juxta Recentiores formari potest recta conscientia secundum opinionem minùs tutam, æquè, aut minùs probabilem operanti: nempe, vel contra propriam opinionem actu etiam perseverantem, qua quis directè judicat, objectum, quod amplectitur, esse malum secundum se, & lege directæ prohibitum; quod docent aliqui: vel potiùs suspendendo omne actuale judicium circa objectum ipsum directum; qui jam videtur sensus communior apud neotericos Probabilistas, quorum non pauci priorem sensum vehementer etiam exhorrent.

117. Utrique verò omnes sic à priori arguunt: *Quisquis operatur prudenter, licet, & honestè operatur: sed qui opinionem sequitur verè probabilem, etiam si minùs operanti probabilem, operatur prudenter: igitur licet, & honestè operatur*. Hoc argumentum ipsi omnimodis irrefragabile, ac demonstrativum appellant, quippè quod rectè colligat sententiam suam ex Præmissis omnino certis, & evidentibus, immò ex terminis ipsis, si Deo placet, notis. Cæterum esse inane sophisma innumeris fallaciis, & æquivocationibus plenum, adeo per se conspicuis, ut ne sophisma quidem dici mereatur, demonstratum est multipliciter, & nimis evidenter, ut autumo.

118. In primis apparet statim defectus argumentationis, in qua conclusio ipsa Recentiorum assumitur, ut evidens Præmissa, ad ipsam conclusionem demonstrandam. Constat insuper appellationem ad sapientes, atque prudentes, inquam, resolvitur præfata demonstratio, confusè, & generaliter acceptam, esse nimis absurdam, & importunam, quæque mille probet errores. Quid enim si sapientes, & prudentes docuissent opinionem improbabilem, aut etiam manifestum errorem? Non

ne

ne sapientes absolute fuerunt Origenes, Tertullianus, & alii? Nunquid ad illorum sapientiam nobis appellare licebit, ut eorum errores amplectamur?

119. Præterea viros illos, quos appellant, licet alioqui doctos, & graves, in quæstionibus tamen, in quibus appellatur ad ipsorum sapientiam, multis nominibus non esse sapientes, quibus nos tunc committere possimus, ex doctrina Augustini egregia, & principiis certissimis ab eo traditis, quibus extreme opponitur tota Recentiorum doctrina, luculenter monstratum est.

120. Tum ultra, in terminis præsentis controversiæ non solum verè sapientes non sunt, sed neque credi potest, futurum, qui ad ipsorum appellet auctoritatem, nisi qui terminos ipsius hypothesis, vel non consideret, vel prorsus non intelligat. Quid nanque censet operans de contrariis Auctoribus æquè, aut magis doctis, ac gravibus? Cur non etiam sapientes sunt? Ajunt, etiam esse sapientes. Sed alterutri saltem necessariò falluntur: qui verò fallitur, in eo, in quo fallitur, sapiens non est, nisi error sapientia est. Jam, si utrique non sunt sapientes, & incertum est in re illa, utri determinatè sapientes sint, illi apud operantem determinatè, ac certò sapientes erunt, de quibus ipse credit, vel quod sint decepti re ipsa, vel saltem esse verosimilius, quòd re ipsa decepti sint? Nemo non stultus desipiat. Dicere id quidem ore quis poterit: credere verò corde non poterit, qui verborum sensum intelligat.

121. Hinc patet, quàm è vulgi superficialitate sit clamor ille magnus, quo etiam injuria prætenditur, si de his, aut illis Auctoribus, qui aliquam opinionem benignam ut absolute veram docuerunt, dicatur in ea re non fuisse sapientes, aut prudentes, neque ipsam eorum opinionem verè probabilem, & in praxim tutam. Quid, inquit, tantus Doctor

(semper enim sunt maximi, qui benigne opinati sunt, iidem ipsi flocc facendi, si contra libertatem humanam, & pro lege Dei steterint) peccavisse censendus erit, dum opinionem istam benignam publice docuit, & ad praxim fortè deduxit? Ecce palpabilem æquivocationem, quam proinde miramur, homines acutissimos non videre. Quasi videlicet idem omnino foret aliquam opinionem visam fuisse alicui Doctori, vel etiam multis, probabilem, aut veram, & esse mihi, & omnibus verè probabilem. Sed neque idem est errasse, ac peccavisse, cum potuerit error esse inculpatus.

122. Fallitur ergo egregiè Probabilistæ, & nimis apertè falluntur, dum probabilitatem respectivam cujusvis opinionis benignæ extendere volunt ad omnes: & quod est mirabilius, etiam ad illos, in quorum intellectibus opinio illa habet statum longè diversum, immò etiam prorsus contrarium; quæ est argumentatio verè mirabilis: nempe, *hec, vel illa opinio est probabilis Petro viro sapienti, quia veram illam absolute reputat, aut saltem verosimiliorem: ergo & est verè probabilis Joanni, qui putat illam absolute falsam, aut saltem minus verosimilem.* Quid ineptius? Hanc tamen esse ipsissimam adversariorum argumentationem, patet ex ipsis controversiæ terminis, & affatim à nobis ostensum est.

123. Ostendimus præterea, demonstrativum illud Recentiorum principium esse usque adeò absurdum, & fallax, ut in propria opinione, contra quam formatur conscientia, nullum prorsus sensum permittat, nisi vel absolute repugnantem, vel planè irregularem, & absurdum: nam, vel operans judicat absolute, & omnibus inspectis circumstantiis, tam intrinsecis, quàm extrinsecis, objectum, quod amplectitur ex aliena opinione, esse re ipsa illicitum, aut saltem esse verosimilius, quòd re ipsa illicitum sit; & sensus iste contra-

dictoriè opponitur ultimo conscientie dictamini de honestate ipsius obiecti, adeoque absolute repugnat: vel non iudicat absolute, sed restrictè, & quasi hypotheticè, hoc est, obiectum secundum se, & inspecta ipsius naturà, illicitum videri, adeoque fore absolute illicitum, nisi probabilis aliorum opinio illicitum esse negaret; & ejusmodi sensus, præsertim in quæstionibus moralibus, & practicis, ineptus valde est, ac penitus irregularis contra modum, & praxim loquendi, & opinandi communissimam omnibus, etiam Probabilistis, contra veracitatem, & sinceritatem Christianam, & qui, si semel liceat, nihil non cuiuslibet affirmare licebit, vel contra ipsa dogmata Fidei, verbis expressis, & absolutis, quo nihil potest absurdius cogitari.

124. Denique (quod addere oportet, & est magnopere considerandum) sensus iste restrictus, ac dimidiatus, multò peior videtur ob circumstantias suas jam insinuatæ, quàm sensus opinionis damnatæ, quæ amphibologias, & mentis restricti ones, licitas adstruebat ex quavis causa juxta, ac rationabili. Et tamen ad hunc sensum recurrere tenentur, & de facto recurrunt Recentiores, si sustinere velint principium suum reflexum demonstrativum, & irrefragabile.

125. Tandem principium istud tot in se involvens æquivocationes, fallacias, & absurditates, nullo planè negotio ex principiis à nobis stabilitis, evidentis convincitur falsitatis. Nempè, secluso illo dogmate capitali de insufficienti legis promulgatione, & lege Dei primaria, ac directà, immobili re ipsa persistente in hypothese nostræ contrarietatis, si quis ex eo Recentiorum principio conscientiam contra propriam opinionem actu perseverantem formare velit, non potest non scienter contemnere, & violare formaliter legem ipsam; sic enim apud

femeripsum necessariò dicere debet: *Ego quidem existimo, me violare re ipsa legem Dei per contractum istum, quem inco: quia tamen alii oppositum probabiliter docent, (falsò tamen, ut censeo) licitum mihi absolute est hujusmodi contractum inire: Id est, licet mihi peccare (quid enim aliud est violare legem?), quia multi dicunt mihi licere, quos tamen ego iudico falli.* Dictamen verò hoc non solum impium, ac blasphemum est, sed etiam evidenter falsum, immò in terminis ipsis implicatorium, cuique propterea mente nemo assentiatur.

126. Quòd si operans pro libitu suo suspendat omne iudicium directum de contractu secundum se, ut operari possit ex opinione aliena benigna, minùs tamen sibi probabilis (juxta alteram viam, seu modum formandi conscientiam Recentioribus communior), non modò nihil proficit, sed etiam multò magis absurditatem auget, & peiorem format conscientiam, si peior possit absolute formari: quia ex una parte affectat, & de industria procurat ignorantiam divinæ legis, ut contra illam liberiùs agat, unde perversum prodit cordis affectum, & intensiorem voluntatem peccandi, ut aiebat Doctor Angelicus; ex altera verò re ipsa non assequitur, quod intendit, sed prava ignorandi voluntas conjungitur, licet invita, cum sufficienti notitia legis, quam proinde non ignoranter, sed scienter tandem contemnit.

127. En igitur conscientiam sic operantis, qualis reverà est coram illo, cui nuda, & aperta sunt omnia, & quem conscientia secreta non fallunt, ut Ambrosius quondam aiebat: *Possum quidem prudenter, sed nolo iudicare, contractum istum esse usurarium, & contrarium re ipsa legi divinæ: sed quia graves Auctores docent oppositum (quos tamen verum docere non credo, sed decipi re ipsa, verosimilius est), sive contrarius sit, sive secus, immò, etsi videar verosimilius esse,*

Ambr. in
cap. 1. Luc.
li. 2.

esse, quod re ipsa contrarius sit, licitum mihi est contractum hunc inire, & ideo ipsum inire volo. Nunc tu vide, & considera, quanti faciat legem divinam, qui cum ejusmodi conscientia operatur.

128. Atque hoc est, benevole, Lector, argumentum potissimum, & à priori, quo benignam suam sententiam Recentiores mundo suadent, quodque, si eorum libros evolvas, haud secus celebratum, & liberaliter commendatum invenias, ac si principium foret per se notum, cui nullus intellectus dissentiri aliquando posset; tale nanque ab aliquibus signanter prædicatur; ab aliis argumentum irrefragabile; ab aliis veritas ex terminis nota; ab aliis Theologorum dogma commune; ab aliis evidens demonstratio, quæ conclusionem inferat, metaphysicè etiam infallibilem; ab aliis fundamentum inimpugnabile, & alii passim similia loquuntur. Verumtamen hæc omnia ridenda forent, nisi animas perderent, & sterum potius, quam risum postularent. Nemo tamen opinor facile in posterum decipiatur, si totam istam controversiam perlegerit, & bellum non indixerit veritati.

Utinam tamen multi adhuc non sint (sic materiæ conditio timere facit) ex iis, de quibus Philo quondam ajebat, *Qui accepta semel quælibetque dogmata obstinatè defendunt, si ve probata, si ve improbatâ, more causidicorum mercenariorum jus, & æquum negligentes.* Verum qui sic erraverint in controversia ista, miserandi maximè sunt. Utinam potius, quod in me est (opto, & deprecor cum Ambrosio), audire vellent, ut crederent: audire cum bona voluntate, & mansuetudine, ut verum quærentes, non veritatem impugnantes.

Philo. in
vic. Moyl.

Ambro. li.
de fîd. c. 4.

CONTROVERSIA NONA.

Examinatur item, & accuratiùs denuò refellitur, reflexum alterum Recentiorum principium de possessione libertatis humanæ in omni eventu dubio de obligatione divinæ legis.

- I. **O**ppositum principium, nempe in dubiis de licito, vel illicito, nunquam nobis licere deflectere ad partem benignam, aut libertati nostræ faventem, sed tutiorem semitam semper esse necessariò tenendam, credimus esse regulam generalem non semel, aut obscurè sacris Canonibus nobis consignatam, & ex ipsa æquitate naturali, seu naturæ jure desumptam. Id ex professo in secunda parte, ubi ex Jure Canonico argumenta desumpta exactè nobis discutienda sunt, fusiùs, atque distinctiùs palàm faciemus. Nihilominùs tamen Recentiores Probabilistæ regulam contrariam statuunt, ex ipso item Jure, ut arbitrantur, legitimè deductam, ex eo scilicet, quod in omni dubio circa legis obligationem homo possideat libertatem suam, qua privari non debeat propter dubiam legis notitiam, cum melior sit in dubiis possidentis conditio. Hoc est secundum Recentiorum principium, & fundamentum sui Probabilismi, ex tribus celebrioribus, quæ superiùs adduximus, & sigillatim examinanda suscepimus. Sed, ut patentior fiat legitimus sensus ipsius, utque efficacius possit à nobis impugnari, libuit priùs de dubio pauca disserere sub generali quadam ratione, & ex principiis Philosophiæ receptis, quæ pluribus etiam jam dictis, & adhuc in decursu dicendis, nonnihil lucis asferre poterunt, facilioremque intelligentiam præstare.

ARTICULUS I.

Natura propria dubii intellectualis sub generali ratione exponitur.

§. I.

*Proponitur definitio dubii ex D.
Thoma communiter recepta,
& variis illationibus il-
lustratur.*

2. **D**Ubi accipi potest, vel pro dubitatione, sive pro actu, quo dubitamus, vel pro objecto ipso dubitabili, idest, circa quod, vel de quo nobis dubitare contingit. Quanvis autem objecta naturâ suâ priora sint, & nostris actibus plerumque notoria, tamen actus, quoad aliquos saltem effectus, aut proprietates, quibus affecti sunt, facilius nobis innotescere solent, licet perfecta demum actuum notitia, non nisi objectis cognitis, habenda sit. Ideo placet ab actibus inchoare, quamquam reverâ cognitio ipsorum vix possit aliquo modo ab objectorum cognitione sejungi.

3. S. Thomas, dum versat quæstionem illam, quam ex Ambrosio Magister movet, *Utrum Christus, ut homo, dubitaverit?* dubium pro actu acceptum definit in corpore articuli, *Motum rationis supra utramque partem contradictionis cum formidine determinandi alteram.* Hæc verò dubitatio (subdit post pauca) *contingit ex defectu medii sufficientis ad veritatem inveniendam, & ideo contingit ex defectu scientiæ.* A qua S. Doctoris definitione parum abeunt, aut nihil, vulgares aliæ, quæ frequentius circumferuntur, & à quibus propterea recensendis superse- demus. Ut verò tradita definitio facilius penetretur, & exponatur, operæ pretium sit varia quædam ex illâ corollaria deducere, quibus doctrinam nobis necessariam colligere simul valeamus.

4. Primò ergo deduces, motum

rationis, quem dubitatio importat, esse intellectus actum, qui attingit pariter, & immediatè, utrunque extremum contradictionis, ut propositum per motiva diversa, & se se invicem oppugnantia, quorum quodlibet intellectum sollicitat, & trahere conatur in suam partem per determinatum assensum; viribus tamen paribus, & ancipiti pugna, ut neutrum alteri sibi contrario notabiliter saltem prævaleat. Hinc fit, ut intellectus veritatem, quam quærit, invenire demum non possit, indeque hæere violenter cogatur, haud secus, quam si vinculo quodam implicaretur, & obstringeretur; contra quod dum annititur, atque conatur, cum solvere non possit, impeditur ultrà procedere; hoc etenim exemplo utitur Aristoteles, *Intellectus hæsitatio* (inquit) *manifestum hoc de re facit. Quatenus enim dubitat, eatenus simile quiddam ligatis patitur: utroque namque modo impossibile est ad ulteriora procedere.* Quod item repetit Ethic. 7. c. 2.

Aristo 3.
Met. c. 1.

5. Deduces secundò, intellectum, dum dubitat, vel per actum ipsum, quo dubitat, vel per alium priorem, qui sit illius causa, attingere aliquo modo, saltem confusè, ac indeterminatè, ut assequibilem, & inveniabilem, veritatem ipsam, quam quærit, cujus scilicet amore movetur ad ipsam inquirèdam, & inveniendam. Porro vis illa, quam intellectus patitur, dum dubitatione impeditur, nō potest non oriri ex desiderio aliquo, atque prævio conatu in veritatem; nam, qui in veritatem non nititur, vel quia nullatenus eam cognoscit, vel quia illam apprehendit ut impossibilem, nullam violentiam patitur, dum illam non assequitur. Ideo de rebus, quas omninò negligimus, vel quarum cognitionem,

aut

S. Tho. in.
3. dist. 17. q.
uni. 3. 4.

aut inutilem nobis, aut prorsus impossibilem reputamus, nihil sumus solliciti, neque molestiam aliquam, dum illas non cognoscimus, sentimus. At omnis amor noster, aut conatus in veritatem, supponit præviam aliquam notitiam ipsius veritatis, ut invenibilis, cum nemo ad impossibile moveatur.

6. Unde deduces tertio, dubitationem partim ex ignorantia, partim ex scientia procedere: & ideo verba illa S. Doctoris, *Dubitatio contingit ex defectu scientiæ*, intelligenda sunt de defectu scientiæ perfectæ, non verò de defectu omnis scientiæ, etiam in fieri, aut inchoatæ. Enim, verò, qui rem, vel prorsus novit, vel prorsus ignorat, nihil de illa dubitat: ideo non aliquando dubitare, vel sapientissimorum, vel stultissimorum esse convincitur. Hinc Deus de re nulla dubitare unquam potest: Christum, etiam ut hominem nunquam dubitavisse, rectè Magister docuit in illo loco, D. Thomas, & Theologi communiter: homines item nimis fatui, aut stupidi, raro, vel nunquam dubitant. Unde relinquitur, dubitare imperfectorum esse, at minimè inceptorum, sed bene proficientium in aliqua scientia, vel arte, si quidem bene, & cum ratione dubitent. Ex debita ergo, aut indebita scientiæ, & ignorantia, vel attemperazione, vel proportionem, opportunè, aut ineptè, bene, vel malè dubitare contingit.

7. Deduces quartò, dubitare non esse sine ratione, quæ, prout fuerit levis, aut gravis, dubitationem, causat, aut prudentem, aut imprudentem. Ratio patet ex dictis: quia dubitatio gignitur ex eo, quòd intellectui veritatem quærenti utrinque occurrant fundamenta, aut motiva, se se invicem oppugnantia, & quæ cursum ipsius in veritatem rectà tendentis utrinque impediunt, atque concludant, ut neutrà viâ possit procedere, & dum ipse conatur expedire se à vinculo sibi opposito, resultat motus ille contentiosus, & pu-

gnax, quo intellectus hue illuc agitur, ac vertitur, jam illam, jam hanc partem considerans (seu simultanea sit utriusque partis inspectio, seu successiva, velocissima tamen, & moraliter non discernibilis), quia neutra placet ipsi, & ideo in neutra quiescere potest per determinatum assensum, ut ait Philosophus ubi nuper: *Ligatur enim meus, cum manere quidem non vult, quia conclusio non placet: procedere autem non potest, quia rationem solvere nequit.*

Aristot.
Eth. 7. c. 2.

Hinc ergo fit, ut hæere cogatur, & utriusque partis assensum cohibere; non tamen sine quadam violentia, quia semper urget veritatis amor, qui si omnino cessaret, cessaret etiam motus, & conatus in ipsam veritatē, in quo formaliter dubitatio consistit, indeque & ipsa actualis dubitatio cessaret. Exemplum habes in nautica acu, aut horologii stylo magnetē delibuto, ex cuius impressione habet polum appetere, quem quandiu invenire non datur, huc, illucque agitur, & irrequieto motu cietur. Haud secus intellectus ex propria inclinatione movetur, & contendit in veritatem.

§. II.

Alia itidem illationes, quibus dubii natura amplius elucidatur.

8. **D**educes item quintò, dubium quod negativum vulgariter appellant, in quo videlicet nulla apparet ratio pro alterutra parte contradictionis, ut circa arnarum, aut siderum, imparitatem, vel paritatem, non esse verè dubium, sed improprie duntaxat, & abusive, quodque ignorantia potius, vel nescientia dici mereatur. Porro, ubi ratio nulla pro alterutra parte se se offert, veritas non proponitur, ut assequibilis; ergo nec intellectus poterit in ipsam moveri: ergo nec poterit de ipsa dubitare; neque enim du-

dubitatio est quælibet iudicii suspensio, sed illa duntaxat, quæ oritur ex contrariarum rationum pugna, quam intellectus conatur quidem, superare tamen non potest, ideòque cogitur iudicium suspendere. Quod patet primò ex ipsa dubii definitione: Præterea id clarè docuit Angelicus Magister ubi supra ad 2. dicens, *non omnis nescientia dubitationem causat: sed quando aliquis rationem ejus, quod querit, & de quo contraria apparent, videre non potest.*

D. Tho. ubi
sup. ad 2.

9. Insuper Aristoteles ubique id ipsum supponit, ac docet, nempe non solum locis allegatis, sed etiam Elencho. 2. c. 7. ubi orationes dividit in faciles, atque difficiles, quas acutas etiam appellat. Exponit autem earum differentiam, & de posterioribus subdit, *Est autem acuta oratio, quæ dubitare maximè facit; mordet enim hæc maximè.* Et rursus, *Quapropter in syllogisticis, quando acutior oratio est, tantò magis inquirentem exercet.* E contra verò faciles orationes contemnendas esse pronuntiat, vel quia *inopinabilia*, aut *valde falsa* assumunt, vel quia non habent *de qua, & propter quam*, id est, nec rem, de qua, neque rationem, propter quam dubitetur. Non est igitur dubitare sine ratione aliqua monstrante utrinque veritatem objecti: ergo si nulla subsit, non dubitatio, sed ignorantia, aut mera nescientia est.

Aristot.
Elencho. 2.
c. 7.

10. Et quidem omnis dubitans, sicut ininterrogatus, de quo dubitet? respondebit, de hac, aut illa re; ita etiam rogatus, ob quam rationem dubitet? respondebit, ob hanc, vel illam, ut nemo prudens audebit respondere, ob nullam omninò rationem, alioqui rideretur; & non dubitare re verà, sed delirare potiùs, aut somniare censebitur. Hoc ipsum probat communissima praxis; nemo nanque aliquando quæstionem ullam excitat, quin pro utraque parte rationem dubitandi subjiciat, vel certè auctoritatem, quæ sub rationis

nomine comprehenditur; cum tota resolvatur in rationem, ut constat ex superius dictis. Patet etiam ex familiaribus, atque privatis nostris de-certationibus, sive altercationibus; nemo enim cum altero contendit, nisi ob rationem aliquam, quam alterius rationi objicit.

Sup. con-
trov. præ-
ced. 2. a. 2. §.

11. Denique id ipsum patet, vel ex vocis ipsius etymologia: nam dubius dicitur quasi in bivio positus, is nempe, qui, dum sibi aliquo contendenti occurrunt duæ viæ contrariæ, quarum quævis seorsim recta videtur, inspecta tamen utraque simul, determinare nequit, quænam re ipsa sit, indeque anceps hæret; cogitur, & neutram arripere audet. Nullus verò viator anceps hæret circa electionem viæ, pro cuius rectitudine nihil occurrit, sed incunctanter illam declinat. Nunquam ergo intellectus dubius est, nisi cum aliquam veritatem querenti pro utraque parte contradictionis contrariæ rationes apparent, ut agebat Doctor Angelicus.

12. Deduces sextò, dubium acceptum pro objecto ipso, esse ambo extrema contradictionis intellectui proposita per rationes contrarias, quarum quælibet ipsum urget, & inclinat in suam partem: ipse verò cum simul tantundem retrahatur ab una, quantum trahitur ab opposita parte, hærete tandem cogitur inter utranque medius, nec ad alterutram audet declinare. Simile quæri potest ex navi, quæ, si alligata funibus, ex utroque litore opposito æquali vi trahatur utrinque; necessario subsistit in medio vado: vel aptiùs forsitan ex libra, aut statera, quæ si pondere æquali deprimatur utrinque simul, hæret in æquilibrio, neque descendit in alteram partem. De hoc dubio objectivo intelligenda est definitio vulgaris, quam adducit Silvester, Clavassius, & alii Summistæ ex Aristotele, & D. Thoma, nimirum *contrariarum rationum æqualitas*; hoc enim in actum non quadrat, sed

Silve. verb.
dubium.

in

in objectum ejus, ut patet.

13. Deduces septimò, dubietatem formaliter, & propriè sumptam esse affectionem propriam, modumque intrinsecum actus intellectus realiter ab illo indistinctum, uti sunt certitudo, evidentia, & aliæ similes proprietates. Equidem actus dubitandi per se, & ex proprio suo modo tendendi, habet ferri in objectum fomidosè, ac vacillanter; connotat tamen insuper voluntatis formidinem ex illo naturaliter resultantem, à qua item extrinsecè fomidosus denominatur. Objectum verò dicitur dubium extrinsecè duntaxat, ac denominativè ab ipso actu; quia nullum est objectum à parte rei, & intrinsecè dubium, sed omnia sunt in se determinatæ, ac certæ naturæ, & talia cognoscuntur à Deo, qui unumquodque cognoscit, sicuti est in se: denominatur autem dubium extrinsecè, eò quòd terminet actum dubitantem, sicut, dum terminat, evidentem, aut certum, certum, aut evidens denominatur. Denique dubium complexè sumptum, & in concreto, ut ajunt, ex utroque simul confurgit, ex actu scilicet, & objecto, illo se habente per modum formæ, hoc verò ad instar partis materialis, determinabilis, ac subjectivæ, ut alibi de probabili diximus.

14. Unde deduces tandem octavò, rem esse dubiam, esse denominationem relativam ad dubitantem; quod benè notavit Terillus, licèt non consequenter ad doctrinam reflexi. Probabilissimi sui. Ratio patet ex dictis: nam si objectum per actum dubitantem, tanquam per formam unicam, constituitur dubium extrinsecè: ergo, ubicumque deficit actus dubitandi, deficit necessariò denominatio: ergo respectu illius, qui de objecto non dubitet, illud non erit dubium, sed, vel prorsus nescitum, vel opinatum, vel etiam certum, si, vel nullam omninò, vel duntaxat opinativam, vel certam ejus notitiam habeat. Et quis audeat ne-

gare, posse idem objectum esse incertum, ac dubium respectu unius, & non dubium, sed certum respectu alterius?

15. Sed vide claram Terilli inco-
sequentiam, aliorumque Probabilistarum, qui contendunt, hoc ipso, quòd aliquod objectum sit probabile intuitu alicujus, aut aliquorum gravium virorum, esse etiam probabile respectu omnium, ac singulorum; immò, & illorum etiam, qui non probant, sed improbant objectum, illud per actualem ejus dissensum. Vide, quæ supra diximus; ex quibus etiam facilè intelligere poteris, quomodo possit aliquid esse dubium in aliquo sensu absoluto (idest, verè, ac simpliciter), quin sit dubium propterea respectu omnium: nempe, quia, ut dubium simpliciter sit, satis est, si sit dubium relatè ad aliquos (saltem non imprudenter, aut irrationabiliter dubitantes), quanvis relatè ad alios, qui de illo non dubitant, non dubium, sed aut certum, aut ignotum omninò sit; quod exemplo objecti visibilis expositum ibidem habes, & est adeò de se conspiciendum, ut sit mirabilis doctorum hominum tanta de re tam clara hallucinatio.

Controv.
præceda 2.
§. 5. & 6.

§. III.

*Aliæ quædam de dubio expediuntur
difficultates.*

16. **A**D pleniorē de dubio cognitionem rogabis primò, qualis demum sit actus ille, seu motus intellectus dubitantis? Resp. certum in primis esse, non esse intellectus judicium, quo utrumque simul contradictionis extremum, vel alterum eorum determinatè enuntiet: primum nanque impossibile absolute; secundum verò patet esse falsum ex ipsa dubii definitione; dubium enim importat suspensionem omnis judicii de utralibet determinata parte.

17. Certum præterea est, non esse

Sup. controv. 4. a. 1.

Terill. 2. p. de Regu. mo. q. 50. n. 23.

esse apprehensionem quancunque, qua intellectus scilicet utranque simul contradictionis partem apprehendat, aut simpliciter etiam inter se comparet; alias quoties simpliciter apprehendimus motiva Fidei nostræ, & simul errores contrarios, ac fundamenta ipsorum, propriè dubitarem, adeoque peccarem, cum dubitatio in fide peccatum sit contra fidem ipsam. Hoc verò absurdum, & falsum est; quia sæpius inculpatè, quin etiam laudabiliter, non modò leviter apprehendimus, sed & attentè consideramus argumenta Calvinii, vel alterius hæretici, ad illa detestanda, vel impugnanda, aut ex alio honesto motivo.

18. Insuper non videtur necessarium ad dubitandum iudicium formale, & expressum, quo intellectus, quasi reflectens supra motiva utriusque partis, affirmer, ea esse insufficientia, & quorum neutrum assensum mereatur. Adest quidem plerunque, dum dubitamus, simile iudicium: ceterum quòd non possit aliquando dubium formale, ac proprium, ab illo separari, ut quidam docere videntur, id verò nobis non verum apparet.

Porro, si aliquis apprehendat simpliciter motiva fidei nostræ non tanquam digna assensu, sed quasi incerta, aut non præponderantia erroribus contrariis, aut eorum motivis, ita ut voluntas minùs afficiatur ad prædicta fidei motiva, formidetque propterea, ac renuat illis assensum dare, is procul dubio, secluso quovis alio formali, & expresso iudicio de incertitudine motivorum, vel antecedenter ad illud, contemneret divinam auctoritatem, & faceret injuriam fidei, contra quam proinde peccaret: sicuti faceret charitati injuriam, & peccaret in ipsam, qui bonitatem Dei apprehenderet, ut non præponderantem sensibilibus bonis sibi contrariis, quasi hæc in conspectu illius adhuc forent amore digna, & ex hac apprehensione suspende-

ret amorem Dei. Atqui peccatum, illud contra fidem, non aliud esset, quam peccatum dubitationis. Hæc igitur nõ exigit necessariò iudicium formale, ac expressum de motivorum insufficientia.

19. Dicendum ergo nobis videtur, motum rationis, quem dubitatio importat, esse apprehensionem, quandam specialis naturæ, & specialis modi tendendi, quæ fertur in, utranque contradictionis partem, quasi per modum inquisitionis, aut interrogationis cujusdam, hoc, vel simili modo, *utra ex his vera? Num hæc? num illa? cur hæc? cur non opposita?* utranque scilicet inter se comparando velut insufficientem ad assensum, cum quadam intellectus vacillatione, ac diffidèria. Actus autem ejusmodi ex propria indole sua, & mordet intellectum, exercetque, ut aiebat Philosophus, quatenus acuit inquirendi studium, & aliunde instar vinculi facultatem ipsius ad assentiendum, vel dissentendum ligat, quandiu pro alterutra parte nulla appareat ratio præponderans.

Hunc verò mentis motum, & intellectus dispositionem, consequitur plerunque iudicium illud formale, ac expressum, quo intellectus enuntiat, *res est incerta*, aut *nihil mihi occurrit sufficiens veritatem suadere*, quod iudicium consummat, perficitque dubium præcedens in esse talis; quin, & frequenter finit, ac terminat, quia post illud iudicium determinatum solet omninò intellectus diffidere de assecutione quæsitæ veritatis, proindeque desistere ab actuali dubitatione.

20. Sit fortassè, qui velit, actum, aut motum dubitationis, quem exposuimus, non esse apprehensionem reverà, sed nec iudicium, aut illationem; sed specialem intellectus actum à tribus memoratis diversum, cujusmodi nonnulli in Philosophia docent esse imperium intellectuale, interrogationem, & alias similis generis orationes. Id enim verò nobis dif-

difficile videtur, & contrarium docuimus in Philosophia. Sed is non sum, qui litigare velim de quaestione, quæ nostri nec instituti est, nec momenti. Quilibet loquatur, ut velit, dummodò constet hic cujus naturæ sit motus ille, quod attinet ad animi dubitantis dispositionem.

21. Rogabis secundò, dubitare an solius intellectus sit proprium? Resp. dubitare propriè, & sine metaphora, esse proprium solius intellectus, quia solus ille inquiri veritatem, in ipsamque movetur, ut in objectum proprium. Solet tamen hæc vox transferri ad appetitum, & voluntatem, quia in his etiam potentiis invenitur formido dubitationis propria. Immo verò formido propriè talis solius partis appetitivæ est, nec nisi impropriè pertinet ad intellectum, cujus nimirum fugam, recessumque ab objecto, vel falso, vel fallibili, propter vocum penuriam, formidinem vocamus. Potentia igitur appetitiva, quatenus formidat, aut timet difficultatem aliquam aggredi, aut malum aliquod sibi imminens, cujus cavendi non videt facultatem, impropriè, ac per metaphoram dicitur dubitare, ut docet S. Thomas ubi supra.

22. Rogabis tertio, utrum dubitare sit nobis voluntarium, ac liberum, eo nimirum genere libertatis, qua gaudent actus intellectus? Nec quaestio est de libertate indirecta; certum est enim, eum, qui dubitat, posse per se loquendo mentem aliò divertere, atque adeò non dubitare, quare in hoc sensu liberè dubitat. Quaestio ergo procedit de libertate proxima, ac directâ, an scilicet possit intellectus ex libera electione voluntatis, vel suspendere omne iudicium circa objectum incertum sibi utrinque propositum, vel assentiri alterutri contradictionis parti?

Ut respondeam, distinguere debet triplex objecti status, seu propositio: nam vel primò proponitur rationibus utrinque paribus, ita ut

neutra præmineat alteri perceptibiliter, aut notabiliter: vel secundò, ita ut altera notabiliter alteri præmineat: vel demùm tertio, ita ut ex una parte adsit ratio sufficiens ad assensum, ex opposita verò nulla sufficiens.

23. Dico igitur primò: in hypothese prima dubitare non esse nobis liberum, sed necessariū potius utrinque, ut latè demonstravimus per totam controversiam quintam contra Probabilistas Recentiores ex communi sententia, tum antiquorum omnium cum Aristotele, & D. Thomas, tum etiam modernorum plurimum, atque graviorum, quos ibi sigillatim recensuimus. Profectò hoc dubitare (quod est omnium propriissimum, ac strictissimum) est pati quoddam, ut agebat Philosophus: pati verò non libertatem ullam, sed necessitatem significat.

Aristo. ubi sup. d. r.

Dico secundò: dubitare in secunda hypothese liberum nobis est ex altera parte duntaxat, ex parte scilicet præminenti, quia ex illa parte liberè potest dubium resolvi per determinatum assensum; ex parte verò opposita necessarium omnino ob contrariam rationem: quod à fortiori patet ex conclusione præcedenti.

Dico denique tertio: dubitare similiter in tertia hypothese liberum est ex illa tantum parte, pro qua est ratio sufficiens ad assensum: ex parte verò altera non modò dubium liberum non est, sed neque dubium est, nisi ut summum impropriè, ac negativè tantum; quia intellectus non potest moveri in illam partem, cum desit omne principium motus, nimirum omnis ratio ostendens veritatem objecti. Utiq; juxta titam Philosophi doctrinam, quam frequenter inculcat D. Angelicus, sicut finis se habet in voluntariis, sive moralibus, ita principium in speculabilibus: ergo quemadmodum, deficiente omni fine, voluntas non movetur, ita nec intellectus, si deficiat omne principium: dubium verò non

B b est,

D. Tho. lo-
co sup. alle-
gam corp.
art.

est, ubi nullus est motus intellectus, ut patet ex jam dictis, & ex præmissa dubii definitione.

24. Rogabis tandem quartò: si omne dubium resolvitur per assensum determinatum alterius partis contradictionis, quia non solum importat motum rationis, sed etiam suspensionem omnis assensus ex præcedenti motu causatam, qui fit, ut opinio quæcunque, quæ juxta omnes assensus est alterius partis determinata, dicatur actus dubius, & pariter objectum opinabile dubium communiter appelletur?

Resp. propriè, & strictè loquendo, neque judicium ullum opinativum, neque objectum ejus, ut tale, dubium vocari potest propter rationem ipsam innuatam. Sed quia omnis opinio est actus de se incertus, atque formidolosus, in quo dubium strictum imitatur, ideo in latiori quadam, & minùs propria vocis acceptione dubius appellari consuevit, & consequenter objectum ejus solet etiam dubium vocari. Unde colliges dubium latè sumptum, confundi cum incerto; strictè verò, ac propriè usurpatum, differre ab illo, ut speciem à genere, quia omne dubium incertum est, non autem vice versa.

25. Hæc de dubii natura pro quæstionis præsentis clariori decisione prolixius, & exactius prælibare volumus, ut vel ex his dijudicet Lector, utrum hæc animi dispositio, status esse possit securitatis, & quietis, quem debet quærere operantis conscientia, ut licitè, & honestè operetur? Appellant Recetiores, scimus, ad familiares reflexiones suas subtilles, & artificiosas. At nullis credimus artificiis, nullis subtilitatibus, nullis reflexionibus fiet, ut motus ipse quies, aut via sit aliquando terminus. Præterea tenebrosas reflexiones eorum sequenti controversia, licet invitas, meridianam ad lucem proferemus, ut caligare ulterius neminem faciant, nisi fuerit ex illis, de

quibus dictum est, *Et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*, Cum hujusmodi verò non disputamus, donec lucem saltem non oderint. Ioan. 3.

ARTICULUS II.

Præteriti Recetiorum principii sensus, auctoritas, & fundamenta.

P Rincipium dico, ipsorum phrasi utens, regulam illam tritam hoc sæculo, & passim in quæstionibus moralibus, tanquam regulam Juris à Recetioribus allegatam, *In dubiis melior est conditio libertatis possidentis.*

§. I.

Regula sensus communior, ac legitimus apud juniores Probabilistæ.

26. **C** Ertum in primis apud omnes est, regulam non procedere de dubiis verè, ac proximè practicis, quando nimirum nullum adest principium ad resolvendum dubium de licito, aut illicito; etenim dubio isto perseverante, certò peccat, qui amplectitur partem libertati faventem, ut est communis, ac indubitata Theologorum, omnium sententia; quæ evidenter colligitur ex Scriptura, & tradita censetur ab Apostolo agente, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*; id est (ut facti interpretes communiter exponunt) quidquid non fit ex dictamine propriæ conscientie dictantis; illud licitum esse, hoc ipso illicitum, & malum est. Patet etiam ex ecclesiastico, *Qui amat periculum, in illo peribit*; nam, qui operatur dubius, an id, quod agit, turpe sit, vel honestum, amat procul dubio periculum operandi re ipsa curpiter, & contra legem, seu voluntatem Dei, indeque legem ipsam volutariè contemnit, Eccle. 3.

nit, subindeque formaliter peccat.

27. Regula igitur Recentiorum procedit de dubiis quasi speculativis, hoc est, remotè tantum, & non proximè dubiis. Ajunt videlicet; dubia illa remota (speculativa simpliciter appellant ipsi) rectè, ac prudenter resolvi posse ex privilegio præfatae regulæ de possessione libertatis in dubiis, per dictamen proximè practicum, quo operans concludit, licitum sibi esse amplecti partem legi contrariam, & suæ libertati faventem, etiam dubio remoto perseverante.

28. Apponamus exemplum perspicuitatis gratia: dubitat quis, an aliquis contractus secundum se, & inspectâ naturâ ipsius, licitus sit, nec ne? Hoc dubium Recentiores appellant speculativum, quia non respicit proximè operationem singularem sub suis omnibus circumstantiis, sed remotè tantummodò, & sub ratione quadam generali, de quo loquendi modo non nihil supra diximus, & litigare non est momenti. Dicunt ergo, operantem prudenter posse practicè concludere licere sibi inire contractum, non obstante illo dubio speculativo de ipsius turpitudine, vel honestate, ita videlicet formando conscientiam. *In dubio insuperabili circa legis obligationem nemo tenetur servare legem, sed potest licitè, quidquid libuerit, agere, quia prævalet libertatis possessio: at dubium est, an contractus iste sit re ipsa lege prohibitus: ergo non debeo ab ipso abstinere, sed possum licitè ipsum inire.* Ecce, inquiunt, dictamen ultimum, ac reflexum saltem moraliter certum, & evidens, quo practicè resolvitur dubium illud remotum, & speculativum, de honestate contractus secundum se.

29. Sed enim verò propriè loquendo dubium remotum, sive speculativum, (quod vocant) ineptè, ac falsò dicitur dictamine illo resolvi, quin potiùs indecisum perseverat; sed dubium aliud proximum, ac

practicum, quod ex dubio illo emergebat, an nempe liceat, omnibus inspectis, hic, & nunc inire contractum, illo dubio remoto perseverante? Hoc est dubium, quod unice resolvitur ex memorata regula Recentiorum.

Potest quidem dubium remotum juxta Recentiorum plerosque, resolvi etiam prudenter, quâdo pars utraque probabilis est, quia potest intellectus, ut censent ipsi, opinari, etiam partem minùs probabilem. Sed enim, quanvis verum id esset (quod demonstratum est esse falsum), nunquam tamen dubium remotum resolveretur per memoratam regulam, quæ nimirum reflexa est, adeoque nec affirmat, nec ostendit honestatem intrinsecam, ac directam contractus, de qua dubium remotum est, sed præscindit potiùs ab illa. At dubium illud resolvi nequit, nisi per principia ostendentia honestatem directam, ac intrinsecam, aut inhonestatem contractus; quia nullum dubium potest resolvi, nisi per inventionem veritatis, quam intellectus quærit, dum dubitat. Non ergo solvit prædicta regula, immò verò supponit dubium remotum de honestate contractus, vel ab ejusdem saltem resolutione præscindit.

30. Itaque, sive dubium remotum, aut speculativum, resolvatur, sive non resolvatur (quin, licet resolvatur pro lege contra libertatem, ut affirmât plerique Probabilistæ), semper procedit regula possessionis, per ipsamque resolvitur secundum Recentiores ultimum, & practicum, dubium, quod ex dubio remoto pululabat. Licet enim judicium particulare (quod unice practicum vocat) non possit ab universali, sive speculativo, dissidere, quando non adest aliqua circumstantia specialis in ipso objecto particulari; attamen, quando adest, jure potest, ac debet ab illo discrepare. At in præsentî hypothesis concurrît, inquiunt, circumstantia specialis, nimirum ipsa regula de,

Bb 2 pos-

Sup. con-
trov. 2. a. 1.

possessione libertatis in dubiis, quæ supra dubium illud speculativum reflectens fundat dictamen conscientiæ ultimum moraliter certum, & evidens de absoluta contractus honestate. Ergo poterit operans per regulam prædictam practicè, & ultimò apud se concludere certam, & absolutam honestatem contractus, etiam dubio remoto perseverante. Immo verò hoc significat determinatè regula Recentiorum in sensu stricto, ac proprio usurpata; nam, si dubium remotum solutum sit, non erit propriè, ac strictè dubium, sed impropiè, ac latè duntaxat, quatenus omne opinativum iudicium ob suam propriam incertitudinem solemus etiam dubium appellare, ut ad finem articuli præcedentis notavimus.

31. Sed enim verò regulam suam non ita strictè Recentiores usurpant, sed latiùs, ut comprehendat (cum restrictione tamen statim insinuanda) omne incertum de licito, vel illicito, etiam dubium, quod solet negativum vulgariter appellari. Quare, dum nulla apparet, neque pro libertate, neque pro lege, ratio sufficiens secundum se ad iudicium determinatum, tunc etiam locum habet regula Recentiorum, ex illaque, ut contendunt, rectè concluditur dictamen practicum de honestate actionis, etiam prædicto dubio perseverante.

32. Fateor dubium huiusmodi frequens non erit, præsertim circa jus; tum quia rarò continget, ut nulla appareat ratio positiva, neque pro lege, neque pro libertate; tum quia ipse defectus omnis rationis post sufficientem diligentiam factam potest, & solet esse ratio sufficiens ad resolvendum dubium pro libertate; qui enim post adhibitam debitam diligentiam, nullam rationem pro lege invenit, prudenter potest (saltem plerunque) existimare, legem re ipsa non existere, adeoque opus illicitum non esse. Sed nihilominus pro comperto habeo, quòd ejusmodi du-

bium non solum facti (quod facilius est), sed etiam juris præsertim humani, possit aliquando contingere, de quo modò non attinet disputare. De illo igitur, quandocunque contingat, procedit etiam juxta Recentiores regula possessionis libertatis humanae.

33. Ceterum non procedit (quæ est limitatio proximè indicata) in eventu, quo nulla apparet ratio pro libertate sufficiens ad probabilem assensum in sensu Probabilistarum, siquidem ex opposito ratio aliqua sit, ob quam operans possit judicare, opus non esse licitum, seu legem prohibentem existere. Id, quod non rarò posse contingere, immò verò satis frequenter, videtur esse extra omne dubium; nam (ut eventus alios quamplurimos, qui cogitari possunt, omittam) testimonium unius hominis fide digni seriò affirmantis existentiam legis, aut præcepti particularis prohibentis aliquod opus, sufficiens fundamentum esse censetur, ut possit quis prudenter, ac probabiliter judicare, opus non esse licitum: sæpè verò continget, ut nulla occurrat ratio in contrarium.

In hoc ergo, & similibus eventibus regula Recentiorum locum non habet, ut jam ipsi communiter fatentur adversus Caramuelem, & alios paucos, eò usque progressos intolerabilis laxitatis, ut pro conscientiae regula adstruere non vererentur legis non certitudinem: hoc est, docebant, objecta omnia, quæ certò, & evidenter non demonstrabantur prohibita, eò ipso licita esse, quia nullam legem aliter obligare censebant. Hoc perniciosum dogma, quod sæpè Caramuel docuerat, & pro viribus propugnabat ex principiis reflexi Probabilissimi, maximè in suo illo Apologemate jam damnato, aversatur communiter Recentiores: & quidem jure merito, cum multò laxius sit, & intolerabilius articulo damnato ab Innocentio XI. de tenui probabilitate, ut constare facile potest

test utrunque inter se conferenti.

34. Unde tandem concluditur, regulam, seu principium Recentiorum de possessione libertatis in dubiis, generaliter quidem procedere de dubiis probabilibus utrinque, nec non de dubiis purè negativis, vel utrinque, vel saltem ex parte legis; sed non de dubiis purè negativis ex parte libertatis solius, idest, quando pro lege adest ratio sufficiens ad asseñsum, nulla verò pro libertate. Ita quidem, quòd attinet ad dubia Juris, Probabilistæ juniores communiter; nam circa dubia facti, ne moderniores quidem ita sibi consentiunt, ut multi ipsorum multas exceptiones non afferant, quas tamen sigillatim, hìc non exprimimus, quia opportunius mox tractabuntur, ubi contrariam regulam speciatim de dubiis facti, ex Decretis illustribus Juris Canonici iterum statuimus, atque firmamus.

35. Illud omninò advertendum est, dubia omnia, pro quibus Recentiores prædictam suam regulam statuunt, debere dubia esse moraliter insuperabilia, idest, quæ, sufficienti diligentia præmissa, superari absolute nequeant; alioqui, nisi prius seria, ac sufficiens diligentia adhibeatur ad inveniendam legem, & resolvendum dubium de obligatione ipsius, nunquam habere locum præfata Recentiorum assertionem, seu regulam, sed necessariò partem tutiorem de præcepto eligendam esse, expresse cavent ipsi, & nemo potest in dubium vertere, nisi quis fortè velit homines adeò liberos facere, ut nihil debeant, dum operantur, curare voluntatem, & legem Dei; quæ nimis impia foret, & stulta blasphemia.

§. II.

*Regula Probabilistarum auctoritas
quàm sit exigua.*

36. **S**ed jam videamus, regulamque adeò difficilis ex ipsa

terminorum apprehensione (quam, tamen Recentiores more suo, & signanter Terillus passim appellant, *ut minimum certam moraliter*) quanto munita sit suffragio Doctorum, quorum saltem debeamus auctoritati cedere, & nostrum judicium summittere.

Et verò ipse Terillus palàm fatetur, *Scholam in hac parte divisam esse, aliis affirmantibus, aliis negantibus, titulum possessionis, ejusque privilegium extra materiam justitiae extendi*. Mirum sit autem, si opinio, quæ negat, probabilis saltem non sit juxta principia Probabilistarum. Si verò sit probabilis, quomodo opinio affirmans poterit esse *ut minimum certa moraliter* in via ipsorum Probabilistarum? Terillus utrunque connectat.

37. Cæterum, si Terillus per *Scholam divisam* intelligat Scholam recentium Probabilistarum, non illi contradicimus: si verò intelligat absolute Scholam, prout comprehendit omnes Doctores (quod ipsius locutio innuit), fallitur procul dubio, & fallit, si quidem per Scholæ divisionem significet sententias invicem sibi oppositas paris, aut ferè paris numeri Auctorum. Profectò P. Sanchez, qui Auctores pro sententia affirmativa (quam, & ipse propugnat) diligenter collegit, decem omninò numerat, ex quibus nemo ferè regulam Recentiorum admittit generaliter, & pro omni eventu, sed pro aliquo tantum speciali, & circa dubium facti, non Juris, ut in dubio de voto emisso, de ætate requisita ad obligationem jejunii, & similibus alijs.

38. Immo quidam ex illis, quos Sanchez affert, præsertim, qui vixerunt ante natum benignum Probabilissimum, non loquuntur in sensu Recentiorum, sed nimis procul ab eo sunt; neque enim dubium accipiunt propriè, & strictè, sed latè, & impropiè, pro objecto, vel actu aliquo modo incerto, non tamen verè dubio positivè, vel negativè. Solùm

igi-

Terill. q.
23. de conf.
n. 53. & ali-
bi.

Idem 2. p.
de Regu.
mo. q. 57 n.
1.

Sanchez li.
1. Sum. c.
10. n. 36. &
rursus l. 4. c.
1. n. 12.

igitur docent, non esse necessarium ad honestè operandum iudicium prorsus certum de rectitudine operationis, sed sufficere verè probabile, quo quis prudenter iudicet, obiectum esse re ipsa honestum, licet non omni careat formidine, quam in latiori sensu, juxta superius dicta, dubietatem appellant, & quam velut scrupulum levis momenti prudenter operans contemnere possit. In ejusmodi dubiis rectè dixerunt, partem tutiorem non de præcepto, sed de consilio tantum esse tenendam. Et hæc locutio, quanvis non sit stricta, satis tamen est usitata.

39. Cæterum aliquando præcepta non loquuntur de particularibus dubiis circa honestatem, vel turpitudinem actionis singularis, atque determinatæ; sed de variis statibus, sive vivendi modis, quorum alii præ aliis tutiores viæ sunt, ac certiores, ad salutem æternam consequendam. In his etiam meritò docent, esse tantum consilium, non præceptum, eligere viam tutiorem. Hunc vero sensum patet ad rem præsentem esse importunum.

40. Audi in specimen duos graves Auctores, B. Antoninum scilicet, & Navarrum quos Recentiores confidentius solent, ac frequentius pro se allegare. Beatus igitur Antoninus, ubi allegatur à P. Sanchez, videlicet par. 1. Sum. tit. 3. c. 10. §. 10. regu. 6. pro scrupulosis, cum sibi contra illam opposuisset regulam ex Jure Canonico, *In dubiis tutior via est eligenda; propter quod* (inquit) *scrupulosus eligit viam rigidiorē: reponit, Sed ad hoc respondetur, quod eligere viam tutiorem, consilii est, non præcepti: aliàs oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quàm in seculo. Non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta. Sicut etiam diverse viæ tendunt ad unam civitatem, licet una tutior alia sit; sic ad civitatem caelestem alius sic, alius sic vadit, & tutè: licet aliquis tutiori modo.*

B. Antoninus.

41. Pergit deinde, & opponit iterum: Item quia dicitur Ecclesiasti. 3. Qui amat periculum, peribit in illo: hinc est quod B. Thomas, & alii dicunt, quod ille, qui agit id, de quo est dubium, utrum sit mortale, vel non peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua re morali sunt variae, & contrariae opiniones; ille, qui adheret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio; cum possit illa opinio esse falsa, & contraria vera. Ad hanc difficultatem subjicit continenter: Sed ad hoc respondetur, quod utique ille, qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiam si illud non esset mortale; sumendo propriè, & strictè dubitationem, videlicet, prout rationes sunt æquè ponderantes ad utranque partem, nec magis declinat quis ad unam, quàm ad aliam. Sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli, sicut dubitat, & formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inheret ipsi sententia, quod tamen formidat de opposito: sic agendo contra tale dubium, non peccat; dum adheret (attende, Probabilista,) opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quàm pro opposita opinione.

42. Id ipsum postea repetit, & magis explicat regula quarta, quæ est de tuta opinionis electione, & quam ad finem illius paragraphi latius exponendam remisit. Ait igitur, Notandum, quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, excluso saltem scandalo: quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores: dummodò talis opinio non sit contra auctoritatem expressam Sacrae Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesie Catholice: & quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum; sed bonam sibi conscientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit, tanquam

quam de probabiliori parte. Et precipue quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat & nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc quod sit illicitum. Hæc D. Antoninus, quæ quisquis legerit temperato animo, luce clarius videbit, quam procul sit per omnia à regula Probabilistarum.

43. Et sunt adhuc non nulli Recentiores, qui Sanctum hunc Doctorem adeo clarè locutum, atque distinctè, referant pro sua sententia. Non ne hoc est contentiosè disputare, & non sincerè veritatem inquirere? Cur saltem Eximio Doctore, V. P. Ludovico de Ponte, Vazquo, Sanchez, & aliis, quorum auctoritate maximè exultant, contradicere apertè non verentur? Cur verè humilitatis, & docilitatis magistri (de quo tantopere gloriantur) non submittunt iudicium suum tantorum virorum iudicio? Profectò cunctos illos B. Antoninum, tanquam patrum indubitatum nostræ sententiæ afferre, notorium est ex ipsorum libris. Verum hi magni viri nihil hic sunt, quia non favent moderno Probabilismo. Quæso te, est ne hoc vera, an placencia loquentes, Magistros querere? Hoc ne sincerum sapit veritatis amorem, an magis illum aurium pruritus, quem olim prædicebat Apostolus? Sed quid temorer? sapit exactè benignam Recentiorum Theologiam.

44. Neque à sententia, & regula Recentiorum minùs distat Navarrus allegatus à P. Sanchez inter decem illos Auctores, in cap. Si quis, autem de Penitentia dist. 7. n. 34. ubi docet, regulam Juris de tutiori parte sequenda, regulariter non esse de præcepto. Porro Navarrus ibi non loquitur sub terminis præsentis controversiæ, sed in altero sensu nuper exposito, in quo D. Antoninus etiam apertè loquebatur in prima parte illius sextæ regulæ. Alioqui de regula Recentiorum in sensu, quem propugnant, & intendunt, quid senserit

Navarrus, ut ambigere nequeas, audi ipsum loquentem.

45. Undecimò (inquit) infertur resolutio, non solum illum peccare, qui in re (nimirum dubia) ad finem, vel mores pertinente, in qua Jure declaratum est, tutiorem partem eligendam esse, minùs tutam eligit, ut dictum est in corollario septimo: sed, & eum, qui in re adeo sibi dubia, ut neque probabili auctoritate credit, alteram partem esse veram, adheret illi parti, de qua est dubium, an liceat: si saltem potest adherere contraria securè; quia de illa non dubitatur, an liceat. Probat deinde conclusionem suam primum ex Scriptura: postea à ratione, eandemque docere D. Thomam affirmat. Post quæ tandem addit hæc verba (norate; Recentiores si libet), Quæ Thomæ conclusio à nemine non est recepta. Quid amplius petitis?

46. Immo severius aliquid idem Navarrus tenere videtur, qui numero sequenti, postquam præmiserat, eum etiam peccare, qui facit aliquid, quod magis, vel æquè ab ipso putatur esse peccatum, quam non esse, quibus verbis modernum Probabilissimum distinctissimè damnat, ac refellit: subjungit: Immo, & qui facit aliquid, quod opinatur non esse peccatum; hoc est, magis inclinat in eam partem, quod non sit peccatum, quam in contrariam; cum formidine tamen, quod altera pars sit vera: & ita non credit certò non esse peccatum. Quibus verbis videtur ad honestè operandum exigere iudicium prorsus certum, & non opinativum, de rectitudine operationis, quod nimirum excludat omnem formidinem. Verumtamen re verà, ut ipsemet se exponit, non omnem opinionem generaliter excludit à conscientie regulæ; sed illam tantum, quæ firma non sit, & quæ nimiam fundet formidinem: quem sensum plures alii graves Doctores, tum veteres, tum moderni, expresserunt, de quo nos in ultro libro sequenti. Hæc Navarrus, quod ad regulam attinet necessariò in dubiis

Navar. ibi num. 56.

Idem Navar. ibi n. 58.

te-

tenendam. Post hæc Probabilistæ recentissimi (nonnulli saltem) pergunt, & pergunt Navarrum, ut, & alios similiter locutos, annumerare sibi. Quid faciemus? Veritatem ostendere nostrum est, cætera Deo, & temporì committenda.

47. In hoc eodem sensu, in quo D. Antoninus, & Navarrus loquuntur, locutus etiam censendus est, si quis alius ex antiquioribus regulæ Recentiorum suffragari videatur. Porro in omnibus dubiis de licito, aut illicito, in quibus variæ sunt, & contrariæ opiniones, neminem posse partem minustutam, & suæ libertati faventem licite deducere ad praxim, nisi, quæ fuerit parte contrariâ rationabilior, aut probabilior, communis est Doctorum antiquorum sententia, à qua ante annum 1578. nemo discessisse invenietur, ut alibi jam insinuavimus, & suo loco facile palam faciemus (Mercadum non moramur, in quodam suo Opusculo vulgari idiomate sub idem fere tempus, aut paulo ante, novo Probabilissimo præudentem). Quid verò dici potest è diametro magis oppositum præfatæ regulæ Probabilistarum, & toti eorum Probabilismo? Nullus ergo ex antiquis, nisi fortè ad speciem tantum, eidem suffragari censendus est.

Sanch. illo
c. 10. num.
item 10.

48. Neque verò quisquam crediderit, regulam Recentiorum esse saltem coævam moderno suo Probabilismo, & quæ perpetuò, ac sine discordia, ipsis saltem placuerit Probabilistis. Sanè idem P. Sanchez pro sententia statuente contrariam regulam universaliter, & pro omni eventu, extra materiam saltem justitiæ Auctores numerat cum D. Angelico ut minimum ad triginta septem, in quibus plures sunt ex Primatibus, qui post natum Probabilismum eidem subscripsisse dicantur, & qui, ut indubitati patroni ipsius à Recentioribus proferuntur. Hoc nota, dum in loco designato districtè, & exactissimè excutiamus novi Probabilis-

mi auctoritatem, cui Recentiores maximè innituntur.

49. Quin immò P. Vazquez (cui similem alium vix proferant) cum præsentem quæstionem his verbis instituisset, *An possit quis cum dubio juris habere rectum conscientia iudicium?* animadvertit primùm (quod nos supra notavimus), quæstionem non procedere de dubio proximo, quod appellari solet practice practicum, sed de dubio remoto, quod vocant speculativum. Ait præterea, nonnullos Recentiores, quos non alio nomine indigitat, affirmativam partem tenuisse. Post quæ sententiam suam ita pronuntiat: *Ego non solum existimo absque controversia esse debere, quoties dubitatur, utrum sit lex aliqua, an non, & solum agitur de periculo peccandi, eligendam esse partem tutiorem, in qua peccatum esse non possit: sed etiam quando dubium est, utrum votum fuerit emissum, an non. Et sanè in priori casu, quando dubium est, utrum lex lata fuerit, seu extet, an non, nullum hactenus ex Scripturis Scholasticis inveni, qui oppositum asserat.* Hactenus P. Vazquez, qui deinde nervosè probat, eandem prorsus esse rationem, immò certiorrem esse regulam traditam, in omni dubio facti, propter Sacrorum Canonum decisiones, quas esse generales, & quæ jus novum minimè condant, sed ipsam æquitatem juris, atque rationis naturalis, præferant, validis, & invictis argumentis ostendit, & nos Deo favente, in secunda parte ostendemus. Vide in id ipsum verba P. Suarez, quæ transcripsimus suprâ, & quibus hanc eandem assertionem Vazquetii, quoad primam saltem partem, docet esse communem, & evidentem.

Vazq. t. 2.
d. 65. c. 1.

Ibic. 2.

Ibic. 3.

Sua adduc.
sup. contr.
c. 2. §. 1. 121.

50. Itaque tota quanta auctoritas principii, sive regulæ Recentiorum de possessione libertatis in dubiis, quæ benignam sententiam reddit ut minimum certam moraliter, est consensus, & patrocinium juniorum Probabilistarum contra unanimem sen-

sentum Doctorum antiquorum cum D. Thoma: quin etiam refragantibus non solum cunctis Antiprobabilitis, sed etiam multis, iisque præcipuis, ex Probabilissimi patronis.

Adde, quod nec juniores Probabilistæ sibi ipsis consentiunt in statuenda regula sua: nam teste eodem Sanchez, fatentur, non semper in dubio fas esse partem minus tutam sequi: nec tradunt regulam dictantem, quando liceat, & quando non. Ea verò, quam ipse cum aliis tradit, nimirum quod in dubiis illa pars possidere, & alteri prævalere censeatur, tam in interno, quam externo foro, pro qua fuerit præsumptio in foro externo: hæc, inquam, regula P. Sanchez, præterquam quod ex se satis est perplexa, & ambigua, non congruit regulæ Recentiorum, sed illam vel confundere, vel omnino destruere potius videtur.

Dispiciat modò precor, quisquis sincerè veritatem amat, quale possit esse principium ipso recenti Probabilismo recentius, multò minoris auctoritatis, quam ipse, circa quod statuendum, & explicandum, ne ipsi quidem Recentiores conveniant: & mecum miretur, ac quaerat, unde tantam habere certitudinem possit, ut benignam sententiam evidenter demonstret, ipsamque faciat Orbi Christiano ut minimum certam moraliter? Imprudens sit, ac levis, qui facile moveatur certitudinibus Probabilissimi, quæ plurimæ circumferuntur, & absque ullo examine à plurimis quoque acceptantur.

§. III.

Fundamenta à ratione ejusdem regula, seu principii.

51. **A**T magno saltem rationis pondere præfata regula munita est. Mirum profectò sit, si tot, tamque sapientibus Doctoribus, etiam ex ipsis Probabilistis, displicere potuerit aliquando regula adeò

expedita pro tuendo moderno Probabilismo, & quæ magno præterea rationis pondere sit munita.

Quidquid igitur potest in favorem ipsius allegari cum aliquali veritatis specie, diligentissimè collegit Terillus, ubi semel, & iterum regulam suam totis viribus urget, & ab oppositis impugnationibus late vindicare conatur. Nos totà summā rationum Terilli, atque adeò cunctorum Recentiorum, nunc breviter propositā, (sed fideliter) veluti pro ratione dubitandi, retorsiones ipsius, & solutiones ad argumenta nostrā, per quaestionis decursum facile, aut reterelemus, aut præoccupabimus.

52. Præcipuum fundamentum, Terilli, & Recentiorum desumitur à paritate ex possessionis titulo in materia justitiæ, qui juxta communissimam sententiam ita præponderat in utroque foro, ut in omnibus dubiis circa dominium rei, quam quis possidet, si facta diligentia, dubium adhuc persistat, licet sibi retinere possit, neque debeat rem ipsam, aut partem ejus alteri tradere. At possessionis titulus non minùs faver humanæ libertati in materia aliarum virtutum, quam in materia propria justitiæ: ergo nec minùs privilegium fundat, nec minùs juris possidenti tribuit. Cum igitur in dubiis de obligatione legis homo possideat libertatem suam, non debet illam à se abdicare, ut legis oneri se subiciat.

Assumptum verò probat Terillus: quia non minùs justitiam violat, qui retinet, invito domino, id, quod est alienum re ipsa, quam religionem violet ex.g., qui non adimplet votum valide, ac legitimè emissum. Aliunde verò obligatio justitiæ non minùs in conscientia urget, quam urgeat obligatio religionis, alteriusve cujuslibet virtutis. Igitur, si justitia in dubio de rei proprietate possidentem non obligat ad rem tradendam, nec obligabit aliqua virtus, ut in dubio de legis obligatione homo se ipsum privet libertate, quam

Cc pos-

Terill. q. 23. de conscientia n. 42. & iterum p. de Regu. mo. q. 57.

Sanct. illo nu. 10. circa med.

Ibi. n. 13.

possidet; nec ulla est cogitabilis ratio discriminis.

Espar. tra-
ctat. de
acti. huma.
q. 23. a. 3.

Terill. illa
q. 23. n. 46.

53. Confirmat hoc, & explicat cum Esparza discursu, quem ad verbum libuit transcribere, quia verè mirabilis est, idest, verè non tolerabilis: *Evidens (inquit) est, voluntatem esse sui juris, ceterasque potentias ipsi naturaliter esse ita subjectas, ut omnia, tam intra, quàm extra hominem, tam quoad rerum usum, quàm quoad potentiarum actus, naturali voluntatis dominio subjecta sint. Ratione hujus domini voluntas, ex naturali sua conditionis excellentia, est in plenissima possessione domini circa ista omnia, nec ab ea deturbari debet, nisi pari evidentia constet, usum hujus domini aliqua lege sibi restringi, quatenus aliquis subjectarum potentiarum actu legitime prohibetur. Neque enim quisquam incertas juris certi limitationes, seu exceptiones tenetur admittere. Porro leges omnes non solum naturales, sed etiam positivæ, sunt quadam limitationes, & exceptiones juris, ac domini, quod naturaliter competit homini circa inferiora omnia, tam intra, quàm extra hominem. Ergo donec pari certitudine constet, legem aliquam restringentem dominium naturale, ejusque usum, existere, non tenetur homo talem legem, admittere. Ecce regula illa juris, in dubio melior est conditio possidentis, non solum ad equalitatem, sed cum manifesto excessu, potiorum locum tenet in voluntate relatè ad omnem omnino materiam, quàm habet in materia justitiæ, quando nullum certum jus ad illam rem præcessit. Ita Terillus toridem verbis, quæ sanè mirabile est, quod à viro docto, & cordato excidere aliquando potuerint.*

Vides igitur, Lector, hic expressam, & generaliter consignatam regulam conscientie laxiorem (certè non strictiorem) regulam Carumelii, de qua supra mentionem fecimus, & quam Terillus ipse, & Esparza alibi sæpiùs reprobare videntur: & Esparza quidem disertè

Sup. hoc
eodem art.
§. 1. n. 33.

longo se ab illa separat intervallo. Fortasse viri acuti, & scholastici vi consequentiæ eò abducti sunt, ut, vel à sua ipsorum doctrina, incauti, ac nolentes discesserint. Quidquid verò de hoc sit, regulam hic obtrusam, patet tolerandam non esse.

54. Arguit adhuc Terillus; & iterum præcedentia confirmat. Ideò possessio prævalet in materia justitiæ, quia qui bona fide rem possidet, habet hoc ipso jus, ut tandiù illà non spoliatur, quandiù pro altero non assertur aliquid certiùs, quàm quod ipsi favet: *Alioquin (inquit) homo spoliaretur jure certo, ac recertò sua ob exceptionem incertam, quæ non magis alteri, quàm ipsi faveret. Hoc verò ipso naturæ lumine iniquum, & absurdum est. At hæc ratio urget eodem modo in qualibet alia materia: nam homo possidet libertatem suam, & jus certum, ut illà utatur in quolibet casu occurrenti per exercitium, quod sibi libeat, dummodò nihil ipsi opponatur, quod certò illi juri prævaleat. Atqui exceptiones dubiæ pro lege contra jus certum prævalere non possunt: ergo neque tenetur illas admittere, adeoque nec in dubio legem servare. Hæc est (inquit Terillus) fundamentalis ratio, ad quam alia reduci posse videntur. Porro hæc nihil differt à præcedenti.*

Terill.
dict. q. 51.
n. 5.

55. Nihilominus arguit ulterius ex materia propria obedientie: quia milites licet possunt sequi Regem, ducentem eos ad bellum, de cujus ipsi justitiæ dubitent, ut traditur expressè cap. *Quid culpatur* 23. q. 1. quod est desumptum ex D. Augustino li. 22. contra Faustum c. 75. Et generaliter omnes subditi licet possunt, immò tenentur, obedire præcepto Superioris in dubio de honestate rei præceptæ. Non Tob aliam rationem, nisi quia Rex, & quilibet Superior possidet jus, ut sibi obediat, quo non debet privari in dubio. Ergo non tantum in materia justitiæ, sed etiam in materia obedientiæ, & in

& in alia quavis materia, titulus possessionis prævalere debet in dubiis. Ergo, cum homo in omnibus dubiis de licito, aut illicito in quavis materia occurrentibus, certò possideat libertatem suam; meritò poterit ex hoc titulo liberum se putare ab onere servandi legem.

56. Omitto aliud argumentum Terilli, quo probat possessionem libertatis debere in dubiis præponderare, eò quòd lex in dubio de obligatione ipsius neminem obliget: quia, pace ipsius, clarè principium petit, probans scilicet titulum possessionis debere in dubiis præponderare, ex eo quòd lex dubia non obliget; cum tamen in præsentì propositum Terilli sit probare, quòd lex dubia non obliget, eò quòd titulus possessionis in dubiis, contra legem prævaleat. Omitto item aliud de obligatione reddendi debitum in dubio de valore matrimonii, quæ Canonico Jure sancita est; quia opportuniùs tractabitur, ubi Canones Sacros docentes regulam observandam in dubiis, diligenter examinabimus, ex illisque præfatam regulam Recetiorum, totumque ipsorum Probabilismum apertæ falsitatis convincemus.

Hæc est summa rationum, quibus fulcitur assertio, aut regula juniorum Probabilistarum. Accipe jam fundamenta nostra.

ARTICULUS III.

In primis regula Probabilistarum videtur manifestè Scripturæ Sacræ contraria.

57. **A**dduximus superius verba Dei Deut. 17. quibus capitale principium de insufficienti legis promulgatione, quod est totius Probabilismi basis, apertæ falsitatis redarguebamus. Hoc unum testimonium divinum, si satis ponderetur, & attendatur, Probabilismum radicatus convellit totamque fabricam Recetiorum ab ipsis fundamentis

quatit, ac diruit: ideòque non semel aut iterum resumendum à nobis est. Nunc verò quia signanter regulæ Recetiorum, quam impugnamus, adeòque, & sententiæ benignæ, velut è diametro videtur oppositum, paulò accuratiùs illud exponere operæ pretium fore putavimus.

§. I

Deuteronomii Textus de regula in dubiis tenenda proponitur, & explicatur.

58. **V**erba igitur Domini Moyse ore loquentis ad populum Israeliticum, hæc sunt: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram: & iudicium intra portas tuas videris. verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes, &c.* quæ supra posuimus, & hic rursus post pauca reponemus. Sed, ante quàm ulteriùs progrediamur, duo sunt prænotanda, & supponenda, ut ex hoc loco tandem invictum argumentum conficiamus adversus regulam Recetiorum, eorumque benignam sententiam.

59. Suppono igitur, & noto primò, divinam istam legem præcipientem recursum ad locum superiorem pro veritate cognoscenda in dubiis, non esse intelligendam de dubiis occurrentibus in iis solùm, quæ pertinebant ad gubernationem politicam seu civilem illius populi, ut apud V. C. Bellarminum Brëtius, & alii hæretici sinistrè interpretantur. Porro prædictæ legis dispositionem universalem esse pro dubiis contingentibus in rebus Fidei, & Religionis, quin & pro dubiis etiam de sensu divinarum præceptorum in qualibet materia occurrentibus, multiplici patet ratione.

60. Primò, quia dubitantes re-

Cc 2 cur.

Bellarmin. li. 3. de verbo Dei c. 4.

currere jubentur ad Sacerdotes, ad quos potissimum ex officio pertinet dubia non solum de Religione, verum de moribus expedire juxta illud, *Interroga Sacerdotes legem, & rursum, labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* Sanè discernere inter lepram, & lepram, ut is, qui verè leprosus esset, abstineret se à pluribus, & alia multa faceret, quæ lex illa divina præcipiebat, manifestè spectabat ad Religionem, & mores etiam proprios illorum hominum concernebat.

Agæi 1.
Malach. 2.
Levit. 13.
& 14.

61. Secundò, quippè judices, quorum varias sententias, & opiniones jubet Deus deferri ad concilium supremum, cui præsidebat olim Sacerdos Summus, & Pontifex illius legis, iidem illi sunt, quos per eundem Moysem capite proximè antecedenti præceperat constitui, sive institui, in cunctis Urbibus Hebræorum, quosque ipse Moyses ibidem, *judices, & magistros* appellat; quoniam munus eorum non tantum erat judicare populum, sed etiam & præcipuè docere, & exponere legem: ergo quando præcipitur in nostro Textu, ut ipsis dissidentibus, & in contrarias sententias abeuntibus, ascendatur ad locum, quem elegerit Dominus pro veritate certò cognoscenda, non solum id oportebat fieri in dubiis de materia justitiæ, quasi per viam appellationis, verum etiam in dubiis de religione, & generaliter in dubiis moralibus, sive de sensu legis divinæ. Porro nemo tenetur per se loquendo appellare à sententia judicum inferiorum, quanvis injusta, & noxia sibi sit: nec credibile apparet, Deum, qui toties consultis nobis vincere in bono malum, injurias, & violentias patienter sustinendo, & abstinendo à litibus, & contentionibus, seriò præcipere in lege sua lites contentiosè fovere non acquiescendo sententiæ latae, sed ad novum tribunal provocando. Præterquam quod expositio ista manifestè repu-

gnat ipsius Textus verbis; nam varietas verborum, sive opinionum, judicum inferiorum, intelligi congruè non valet de sententia juridica, quanvis injustè lata.

62. Et verò Textus ipse clare significat, recursum, quem præscribit, universalem esse pro notitia, & doctrina legis in qualibet materia comparanda, dum postquam præscripsit recursum, ita generaliter subdit: *Et facies quodcumque dixerint, qui præsumunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus.* Hinc Cajetan: *Hic est textus (inquit), super quem fundatur regula, quod in ambiguis, tam naturalis, quam divini juris, ad summi spectat Sacerdotis officium interpretatio, seu declaratio: immò docere, & judicare autoritative.*

Cajet. in
eum locū.

63. Tertiò constat hoc ipsum ex 2. Paralip. c. 19. ubi Rex optimus Josaphat utrunque genus judicum instituisse juxta præscriptum legis, & denuò instituisse refertur: nimirum judices inferiores in cunctis Civitatibus Juda, & superiores in Hierusalem; ex quibus coalescebat supremum illud Synagogæ Concilium, cujus caput, & præses erat Summus Sacerdos, de quo ibi, *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsedebit.* Quid verò ad istos supremos Judices cum suo capite pertineret, ibidem etiam distinctè exprimitur: *Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in Urbibus suis, inter cognationem, & cognationem, ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Deum.* Patet ergo, dubia, & quæstiones, quæ generaliter occurrebant in quacunque materia moris, seu de sensu legitimo cujuslibet divini mandati, deferri solitas in Hierusalem ex præscripto legis divinæ ad Concilium supremum, & judicem sacrarum controversiarum, ut per sententiā suam illas definiens, certam veritatem doceret.

Paralip. 2.
c. 19.

Ve-

64. Verum quid plura? Nemo est Doctor Catholicus, qui ex hoc loco Deuteronomii irrefragabile argumentum non promat ad tuendam, contra sectarios supremam potestatem, & infallibilem auctoritatem, Ecclesiae, & Romani Pontificis, in definiendis omnibus controversiis circa doctrinam fidei, & morum, uti videre est apud Catholicos Controversistas Pighium, Canum, Valentiam, Titelmannum, & ceteros communiter. Vide eorum, si placet, facile Principem V. C. Bellarminum, tum ubi supra, tum etiam li. 4. de Sum. Pontif. c. 1. Vide etiam Becanum in Analogia c. 11. q. 1. & 2. ubi hanc nostram suppositionem ex Scriptura facile, & egregie demonstrat, cunctasque sectariorum evasiones revincit.

Evidens ergo sit, recursum ad supremam potestatem, quem lex Deuteronomii præcipiebat, non esse intelligendum pro dubiis in materia justitiæ, aut in rebus politicis tantummodò, ut frustra sectarii contendunt, sed etiam generaliter pro dubiis occurrētib; circa doctrinam religionis, & morum: quod est primo notandum, & supponendum.

65. Alterum supponendum, & prænotandum est, dubia, de quibus loquitur prædicta lex divina, neutiquam levia, aut vulgaria esse, sed potius gravia, & rationabilia, quæque viros prudentes, ac peritos in varias, & oppositas opiniones distraherent. Id constat manifestè ex textu ipso, ut notavit D. Angelicus: *Dupliciter (inquit) aliquid potest esse ambiguum. Uno modo apud simplices: & ad hoc dubium tollendum mandatur Deuteronomii 16. ut iudices, & magistri constituerentur per singulas tribus, ut iudicarent populum iusto iudicio. Alio modo contingit aliquid esse dubium, etiam apud peritos: idè ad hoc dubium tollendum constituit lex, ut omnes recurrerent ad locum principalem à Deo electum, in quo & summus Sacerdos esset, qui determinaret dubia circa caeremonias divini cultus, &c.*

His verò præsuppositis, licet jam nostrum argumentum cōficere.

§ II.

Ex memorato textu divino regula extreme opposita regula Recentiorum elicitur.

66. **E**N ergo Deus ipse quæstionem, & hypothese[m] nostram vix non in propriis terminis, ut ajunt, sibi decidendam statuit: certè verbis clarissimè idem significantibus, quoad rei saltem propositæ difficultatem maximam, ut nemo potest jure negare: *Si difficile (inquit), & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris... & iudicium intra portas tuas videris verbà variari: id est, si circa sensum divinæ legis occurrat dubium aliquod non leve, sed difficilis decisionis, in quo expediendo, vel resolvendo variæ sint, ac discordes sententiæ peritorum, ac magistrorum. Quid precor differt hypothesis ista ab ea, quam versamus cum Recentioribus? Profectò nihil prorsus, nisi quod fortè Deus terminis strictioribus utitur. Immodò non fortè, sed procul dubio hypothesis divina strictior est; neque enim Recentiores tantum ubique exigunt, ut quæstionem instituant, & pro libertate resolvant ex artificio suarum reflexionum, ut patet ex superius dictis.*

67. Jam ergo ad quæstionem propositam quid Deus respondeat, audiamus *Eurge (ait), & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quaresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint; qui præsumt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Ecce tibi Dei assertionem, & responsionem ad quæstionem propositam.*

Vi-

D. Tho. 1.
2. q. 105. a.
2. ad 7.

Vide oro te per salutem tuam, an sit eadem cum assertione, & responsione ad quæstionem eandem nostrorum Probabilistarum? Vide, inquam, an illi non extremè contraria sit?

68. Utrique Recentiores Probabilistæ, quoties legis sensus est dubius, ita ut de ipsius obligatione varix sint, & contrariæ opiniones Doctorum: quin immò quoties legis obligatio, vel non est absolutè certa, vel saltem non est unicè probabilis; toties indulgent securitatem conscientix, ita ut nemo teneatur legem servare, sed possit honestè, & prudenter citra omnem culpæ timorem partem minùs tutam amplecti, etiam quam actu iudicat falsam, vel iudicare potest, si velit: quia in dubiis prævalet possidentis conditio, & homo possidet libertatem suam ad faciendum quidquid libuerit; nec debet juris certi incertitas exceptiones admittere. Ex hoc principio, inquit, quilibet potest, dum videt, viros graves negare legis obligationem, ac per hoc dubiam saltem illam efficere, concludere apud se ultimum dictamen conscientix de suæ operationis honestate *ut minimum moraliter certum*. Qui verò agit ex dictamine isto, honestè procul dubio operatur.

69. Sic quæstionem propositam resolvunt Recentiores Probabilistæ. At non sic Deus noster, *sapientiæ dux, & sapientium emendator*: sed *surge, inquit, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus. Veniesque ad Sacerdotes, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis iudicii veritatem*. Quid adhuc quæritur? Quid ultra postulamus?

70. Rem stupore dignam! Nempe dubitant homines, & inquirunt, quid se facere oporteat, quoties sensum legis divinæ cognoscere certò non possunt, sed propter varias hominum opiniones dubii, ac perplexi manent de ipsius legis obligatione? Quæstio est sanè non levis, neque oscitanter examinanda, in qua scili-

cet vertitur non argenti, non auri; non temporalis regni possessio, non sæculi felicitas, non valetudo corporis, non denique vita mortalis, sed immortalis tota, ac sempiterna salus animarum. Respondent ad quæstionem hominum homines, utique quærentibus similes, & qui, licet inviti, facile falli, ac fallere possint: respondet item Deus, qui neque falli possit, neque fallere. Respondent, inquam, homines dubitanti, ac quærenti, quid se facere oporteat in dubiis circa sensum divinæ legis, quæ, factà diligentia, superare non possit? *Tuta sunt omnia: nihil ultra quærendum: securus quiesce: quos malueris Doctores de dubio tuo dissentientes, sequere: denique facito quidquid tibi libuerit*. Respondit pridem Deus ad quæstionem eandem: *Surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus. Veniesque ad Sacerdotes . . . & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis (idest, à me per ipsos), qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, &c.* En humanum responsum: en divinum oraculum.

71. Et post duplex istud responsum ad unam, & eandem quæstionem redditum: post latas duas istas sententias invicem sibi oppositas, & extremè inter se contrarias, alteram hominum, alteram Dei ipsius, contendunt homines numero satis multi, & eorum saltem non pauci, pietate, ingenio, & sapientiâ insignes (non quod doceant, vel censeant, quod cogitare absit, sententiam ullam hominum sententiæ Dei præferri debere; sed quia istam non cogitant, aut non satis attendunt): contendunt, inquam, vehementissimè (quin & succensent sibi contradicentibus) sententiam hominum in quæstione tanta indubitanter esse tenendam: idest, regulam esse generalem, *ut minimum moraliter certam*, quod in omnibus dubiis (juxta sensum expositum) de actionis honestate, vel turpitudine, nihil ultra curandum sit,

fit, neque surgendum, neque quaerendum, sed quidquid operanti libuerit, absque timore ullo faciendum. Sic res se habet: tu verò, Lector Christiane, videris, quid hic facto opus sit. Nec pluribus videbatur agendum, sed usurpandum illud Augustini li. de moribus Ecclesiae Catho. *Quare deinceps nemo ex me quaerat sententiam; sed potius audiamus oracula, nostrasque ratiunculas divinis subjiciamus assatibus. Videamus, quomodo ipse Dominus . . . nobis praeceperit esse videndum.*

72. Nos ergo concludamus (ut credimus cum Deo glorioso) regulam generalem extremè oppositam regulæ Recentiorum: hoc est, in omni dubio de actionis honestate, nisi quis possit dubium resolvere prudenter, ac rationabiliter, ita ut directè judicet per iudicium verè probabile (scilicet in sensu veræ sententiæ), actionem esse re ipsa honestam, & legi divinæ conformem; vel quaerendam ulteriùs veritatem, vel si operandum sit, tutiorem semitam, necessariò tenendam: ut verissimum sit, quod generaliter in hypothesi nostra inhaesitanter protulit subtilis iuxta, ac pius, Doctor Scotus (ubique sanè pius, & acutus, sed in doctrina moris tradenda cautiissimus, ac prudentissimus), qui, cùm sibi objecisset. *Multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & Expositorum: Respondeo (inquit) non est dubia via salutis simpliciter, quia à talibus, tanquam à periculosis, debet homo sibi cavere, & custodire se, ne homo, dum se exponit periculo, incidat in peccatum.* Hæc subtilis Scotus, à cujus mente per se clarissima tam procul abit commentator ipsius, quam procul abit à veritate.

Quid ad hoc argumentum planè convincens Recentiores dicturi sint, incertum nobis est: immò quid dici possit, non unicè ut dicatur, sed cum aliqua saltè probabilitatis spe-

cie, fateor ingenuè nihil nobis occurrit. Veruntamen, quod posset utcunque cogitari, refellere non omitemus.

§. III.

Solutio quadam argumenti nostri, qua cogitari posset refellitur.

73. **D**icat fortassè aliquis, præfata verba Domini per Moylen continere quidè præceptum non acquiescendi in dubiis iudicium inferiorum, sive magistrorum sententiis, sed inquirendi ulteriùs veritatem à iudice supremo controversiarum illius legis, nisi quis veller sequi tutiorem partem: cæterùm præceptum huiusmodi fuisse proprium illius legis, nec fuisse de moralibus præceptis, sed de cæremonialibus, aut judicialibus, unde extendi non posse ad legem Evangelicam, sed ispirasse potius censendum esse cum veteri ipsa lege, sicut, & alia plurima durissima, ac importabilia, quæ propria erant illius legis servitutis, arque timoris, & nihil ad nos attinet à Christo Domino libertate donatos.

74. Et confirmari ab absurdo posset efficacissimè, ut plures censeant; nam si pro quovis dubio de sensu legis, in quo variant Doctorum opiniones, recurrendum omnibus esset ad Ecclesiæ Catholicæ supremum Iudicem, & Doctorem, non satis Christus Dominus providisset Ecclesiæ suæ, unicum tantum ipsi præficiendo, vix enim unus, aut ne vix quidem, huic uni muneri adimplendo sufficeret. Et quid vis? (inquierent) nunquid, quoties occurrit occasio, vel necessitas aliquid operandi, quod plures viri docti dicunt licitum esse, licet totidem alii, aut etiam plures dicant esse illicitum, debeo actionem suspendere, & consulere Romanum Pontificem? Quis dicat? Quis non rideat, si audiat?

Quis

Scot. in r.
q. 2. fine.

Quis potest tantum onus imponere Christianis contra communem praxim Ecclesiæ?

Hanc argumenti nostri solutionem nulli viro cordato, aut non vulgari, credimus aliquando placituram. Sed quia vix aliquid cogitari potest, quod aliquando alicui non placeat, præsertim in materia, quam versamus, operæ pretium duximus non illam prætermittere.

75. Ergo; quod omni fundamento careat, facile ostendi potest, vel ex eo, quod nemo interpretum, aliquando insinuaverit, memoratum præceptum fuisse proprium legis illius, ita ut cum illa evacuatum sit: sed omnes tanquam certum supposuerunt, legem illam divinam non aliud continere, quam manifestationem, & expressionem æquitatis, & honestatis ipsius naturalis juris fundatam in studio propensiori, & diligentia necessariò adhibenda ad inveniendam legem, & voluntatem Dei.

76. Et quidem meritò nullus hucusque fuit, qui de hac veritate dubitaverit. Quis enim audeat dicere; Deum in lege gratiæ minorem diligentiam exigere ab hominibus pro voluntate sua quærenda, & invenienda, quam exigebat in lege veteri? Quis credere possit filiis, quales nos sumus, concessum esse à Deo sponte subire periculum transgrediendi re ipsa præcepta Patris, & discedendi à voluntate ipsius; quod tamen servis, quales fuerunt Judæi, severissimè fuit prohibitum? Profectò, si sic loqui, aut sentire nos deceat, cum modus, ac mensura amoris nostri, quem Deo debemus respondere, sit diligentia, & cura à nobis impendenda, ne quid unquam faciamus, quod oculis ejus displicat, ipsiusve sanctissimæ voluntati repugnet, si minùs tandem curæ exigatur à nobis, minùs etiam amoris exigatur necesse sit. Jam ergo palàm affirmare licebit. Christianos minùs Deum diligere debere, quam de-

buerint diligere Judæi. Et quem precor vere Christianum hæc, non dicam proterre, sed vel cogitare non pudeat? *Præclaram alioqui* (ut cum Salviano loquar) *Passioni Christi redimus vicissitudinem*. Præclarum libertatis privilegium ambimus; illud videlicet, quod negat Apostolus, *In libertatem vocati estis: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis*. Hæc utique libertas nullis competit minùs, quam verè liberis.

77. Differt quidem à veteri lex nova (præter alia discrimina) in eo, quod leviora, & multò pauciora præcepta à Deo sint imposita nobis, tanquam filiis charissimis in Unigenito suo dilectis, quam Judæis, ut servis duræ cervicis. Caterum privilegium libertatis Christianæ, & excellentiam Evangelicæ legis, velle ex eo desumere, quod minorem nos, quam Judæi debeamus adhibere conatum, minoremque subire laborem, ut nunquam recedamus à voluntate Dei, ipsiusve mandata violemus, nemo hucusque ita desipuit, qui non cum hæreticis saperet.

78. Non sic profectò sapiebat Apostolus, dum grandia illa protulit, ac terribilia verba: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Sic Apostolus Christi, & Christianorum. Et sic item ipsemet Christus, distinguens ore suo divino populum suum Christianum à populo Hæbreorum, alià utique notâ, maximèque dissimili præsentis libertatis privilegio: *Audistis* (inquit), *quia dictum est antiquis, &c. Ego autem dico vobis &c.* Abito nunc; & aude palàm asserere, nobis ex privilegio libertatis Christianæ in dubiis circa sensum divinæ legis, concessum esse à Deo, quidquid libuerit facere: secus autem Judæis, quibus præ-

Salvia. li. 6.
de Provid.

Ad Gal. 5.

Ad Hebr. 10.

Math. 9.

præceptum erat ulterius veritatem inquirere.

§. IV.

Ad confirmationem.

79. **A**d juncta solutionis confirmatio doctrinam continet quoad substantiam suam absolute gratissimam Probabilistis, & maxime junioribus, decantatissimam. Porro nihil ipsis solemnius, quam ex hoc loco nostram laceßere sententiam, & illam apud vulgus diffamare, quasi imponentem humeris hominum onus planè importabile, contra quam docet Dominus in Evangelio, *Jugum meum suave est, & onus meum leve*: & dilectus ejus discipulus, *Mandata ejus gravia non sunt*. Ceterum locus iste communis nihil nos terret, & alibi tractabitur.

80. Nunc verò in primis dicimus, ut non nobiscum, sed cum Deo contendant, qui tam difertis verbis jubet in nostræ quæstionis hypothefi, ut non faciamus, quidquid libuerit, sed veritatem adhuc quæramus. Deus verò nemini debet rationem reddere de præceptis suis, sed omnis ratio nostra subjici debet voluntati ipsius, quæ supra omnem rationem est. Nisi contendant adhuc, præceptum illud ad Judæos tantum, minime verò ad nos pertinere, quod est amplecti solutionem rejectam, utique absurdam, & irrationabilem; & per quam jam concederent, Probabilissimum, saltem aliquando severè fuisse à Deo proscriptum. Mirum sit autem, si modus operandi adeò connaturalis, utilis, tutus, rationalis, ac prudens, qualis à Recentioribus deprædicatur, prohiberi à Deo potuerit, neque fuisse mûdo coævus, & perpetuò cum eo perseverans, ut ipsi Recentiores alibi jactant.

81. Contendant insuper cum D. Thoma à nemine non recepto, ut agebat supra Navarrus, & regulam tradente pro nostra hypothefi haud se-

cus regulæ Recentiorum oppositam, ac lux est opposita tenebris. Verba S. Doctoris partim dedimus alibi, & hic iterum dare integra non gravabimur. Nempè, dum quærit, *Utrum ei, qui subditur legi, liceat præter verba legis agere?* arguit secundo loco pro parte negativa: *Ad eum solum pertinet leges interpretari, cuius est condere leges: sed omnium subditorum legi non est leges condere: ergo eorum non est interpretari legislatoris intentionem, sed semper secundum verba legis agere debent.* Cui argumento respondet: *Ad secundum dicendum, quod ille, qui sequitur intentionem legislatoris, non interpretatur legem simpliciter: sed in casu, in quo manifestum est per evidentiam documenti, legislatorem aliud intendisse. Si enim dubium sit (audi Probabilista) debet, vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere.* Id ipsum docet aliàs non minus clarè: *Dicendum (inquit) quod interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet absque determinatione principis à verbis legis recedere: sed in manifestis non est opus interpretatione, sed excusatione.* Videndus itidem S. Doctor q. 147. a. 4. corp. ubi eandem sententiam repetit. Nunquid nos clariùs in quæstione præsentis Recentioribus contradicimus? Notanda insuper est tota doctrina dicti articuli sexti, quam alibi fortè expendemus.

82. Præterea Recentiorum Probabilissimus non solum mûdo non est coævus, sed neque duo sæcula vidit, cum ante annum 1578. nondum esset in lucem editus, ut est factum notorium in Ecclesia, nec diffitentur ipsi insigniores Probabilistæ, & nos præterea in secunda parte facile sumus demonstraturi propter aliquos Recentiores, qui nihil non affirmant, & negant, ut Probabilissimum non negent. Precamur ergo ut dicant Probabilistæ, quid fiebat ante id temporis? An non dubia de moribus tunc emergebant? An non unicus Doctor, atque Judex iu-

D d præ-

S. Tho. 1. 2. q. 96. a. 6.

D. Tho. 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3.

Math. 11.

1. Joan. 5.

Sup. a. 2. §.

premus sufficiebat Ecclesiæ Dei pro decidendis dubiis, quæ ad se deferebantur? Fortè tunc jugum Christi suave non erat, sed, à Probabilistis Recentioribus ad finem sæculorum suavitatem accepit. Nondum scilicet apparuerat novus ille *Agnus Dei*, qui tollit peccata mundi, & quem non mundo Joannes Baptista, sed Joannes Caramuel demonstrat, affirmans eos verè felices, qui præ aliis Doctoribus sequuntur ipsum quocunque jerit. Nemini in re adeò seria, adeò ridiculè nugari libeat; sed ut sapienter Augustinus agebat, *Separatis nugis locorum communium, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione consilietur*.

Caramuel
ubi adduct.
sup. contr.
rov. 6.a.3.
n. 127.

Aug. li. de
util. e. cred.
c. 1.

83. Ad hæc, quid dicent Probabilistæ de Judice, & Ministro Sacramentorum, quibus non licet usus opinionis minùs probabilis? Nunquid his jugum Christi portabile non erit? Quare non vident, argumenta sua, quibus plausum vulgi aucupantur, vel nihil, vel damnatas opiniones probare, de quo latè in libro sequenti?

84. Dicimus ergo tandem, immensam opinionum moralium silvam, & frequentium dubiorum multitudinem, qua, quocunque nos vertimus, pænè obruimur, ut nihil ferè certò jam sit, vel honestum, vel inhonestum, esse fructum moderni Probabilismi, & quidem valdè proprium, ac naturalem. Patet hoc sufficienter à posteriori ex effectu ipso secuto. Quòd enim his postremis temporibus, quibus Probabilismus maximè invaluit, creverit sine termino moralium opinionum immoderata copia, nimiaque Theologorum opinandi licentia, mæror, & planctus Summorum Pontificum, ignorare neminem finit, & vel Terrillus ipse largè dolet, ac deflet in proemio ad Tractatum de Conscientia probabili, ubi seria, & gravi oratione id ipsum argumentum profertur. At novus hic effectus in doctrina morali, novà habuerit causam

necessum est: nulla verò se offert, nec facile assignabitur præter modernum Probabilismum, maximè cum hæc sit summopere proportionata ad ejusmodi effectum producendum.

85. Nam, si semel intellectus potest ex libera electione voluntatis opinari, etiam illud, quod pro priori ad omnem assensum apparet sibi verosimilius falsum, & quidem honestè, ac prudenter, ita ut possit voluntas ejusmodi opinionem, etiam, purè objectivè existentem in intellectu, amplecti tanquam regulam operationis suæ tutam, ac rectam; quæ sunt principia Probabilismi: quis non videat, quàm lata porta opinionibus aperiatur? Sanè vix inveniatur falsitas aliqua adeò patens, ac manifesta, præsertim in rebus moralibus, ut paritatibus, & rationibus hinc inde studiosè quæsitis vestiri sic non possit, ut prudenter sit opinabilis. Quid utique prudenter intellectus non opinetur, si prudenti judicio nihil obstat major objecti similitudo cum falsitate, quàm cum veritate? Quid enim est in rebus non prorsus evidentibus, quales plerumque sunt actus morales, quod ex aliquo capite non falsum intellectui videatur? Alioqui veritas unde foret incerta?

Aliunde, cum voluntas ex judiciis hujusmodi maximum capiat fructum commoditatis, & libertatis ad faciendum quidquid libuerit, periculum evidens est, ne sua, & intellectus libertate abutatur, facile ipsum inclinando, ac movendo, ad opinandum quidquid occurrerit, maximè contra legis obligationem, & in favorem propriæ libertatis. Constat ergo, modernum Probabilismum naturâ suâ ferre, ut fructum sibi nimis connaturalem, maximam opinionum multitudinem, copiosamque moralium dubiorum segetem. Sed de hoc argumento non nihil supra dedimus, & multò plura dabimus postea.

86. At verò juxta veram, ac solidam Theologiam, quæ docet rectam viam

viâ unam veritatem inquirere, multo minorem utraque potentia in opinando licentiam habet, indeque multo rarius aberret ab scopo necessum est per determinatum assensum. Equidem juxta nostra principia, intellectus non potest hærere in via, nec detineri veritatis spectris, assentiendo videlicet ex aliquo voluntatis imperio objectis præferentibus speciem veri, si majorem præferant, aut æqualem speciem falsi; Una quippe veritas, (inquit Chrysostomus) nec in multas scinditur partes.

Quare non ita facile continget nobis (attentis propriis nostris principiis), ut contra legem Dei opinemur, ejusque obligationem falso negantes, dubiam veritatem reddamus: nam ex terminis ipsis multo rarius eveniet, ut aberret à vero, & falsum pro vero amplectatur is, qui ex propria sua intentione unice quærit verum reale, & diligenter intendit declinare quidquid est verum merè apparenter, quàm ille, qui verum inquirens non refugit amplecti per determinatum assensum, quod non minus falsum, quàm verum, immò, & quod minus verum, quàm falsum sibi apparet. Sanè iste reverà facto ipso attestante, non magis, immò minus, quærit verum, quàm falsum: quare mirum non sit, si vel sapè, vel sapius falsum re ipsa teneat, & veritatis umbram amplectatur inanem. Enim verò, si quærens determinatè aurum ea firma intentione, ut nihil velit aliquando amplecti, quod aurum reale non sit, contingit tamen, ut per errorem nonnunquam aurichalcum teneat: quid fiet illi, qui indifferenter, vel aurum quærit, vel aurichalcum, & utrunlibet objectum appareat, æquè libenter illud amplectitur, immò, etsi appareat potius aurichalcum, quàm aurum?

87. Accidet quidem interdum, etiam nobis (quæ nostra misera conditio est) ut etiam cum directè unam veritatem inquirimus, nolentes am-

plexemur nostra phantasmata (ut quondam Augustinus lugebat). Nam redeuntibus nobis ad investigandam veritatem, ipsa in itinere occurrunt, & nos transire non sinunt, nullis viribus, sed magnis insidiis latrocinantia, non intelligentibus, quàm latè pateat, quod dictum est, cavete à simulacris: id est, à vanis veritatis spectris. Hinc fit, ut etiam in via nostra, nonnulla sit, nec modica, opinionum varietas, qua veritas moralis, quam inquirimus, interdum ita dubia reddatur, ut inveniri à nobis non possit per judicium sufficiens ad honestè, ac prudenter operandum, videlicet per judicium certum certitudine quadam morali, quæ non est absoluta certitudo, sed recurrit cum vera, & nostra probabilitate. In hoc autem eventu, fatemur, locum habet præceptum naturale, ac divinum de veritate ulterius inquirenda, nisi velimus sequi tutiorem partem.

88. Cæterùm dubia hujusmodi non frequenter emergunt; nam veritas moralis, si sincerè quærat, raro continget, ut inveniri nequeat per judicium verè probabile; etenim (ut verissimè Chrysostomus) Nihil veritate clarius, nihil simplicius, nisi maligni esse velimus: & fieri non potest (Augustino spondente) quadam providentia divina, ut religiosi animis se ipsos, & Deum suum, id est, veritatem, piè, castè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas desit.

89. Falsum est igitur, quòd sententia nostra imponat onus intolerabile, quia, omnibus inspectis, non nisi raro accidet, ut secundum nostra principia cogatur quis recurrere ad Summum Ecclesiæ Pastorem pro veritate morali invenienda. Utique, si quando contingat, ut facta diligentiâ, adhuc nequeat dubium resolveri judicio jam exposito, nempe verè probabili, atque prudenti, rarissimè continget, ut quis non possit tutam viam tenere: nam ut supra agebat Scotus, si quando veritas dubia est, non est dubia via salutis, quia

Dd 2 ut

Chrysost.
Homil. 48.
in Mach. c.
13.

Aug. li. de
vera Rel. g.
c. 47.

Chrysost.
Homil. 51.
in Ioan.

Aug. li. de
Quant. 2.
num. c. 13.

Sup. n. 72.

ut plurimum abstinere poterit ab extremo periculoso, & tutiorem partem amplecti; ex qua suppositione non tenebitur querere dubii resolutionem, neque recurrere ad Ecclesiae caput pro certa veritate discenda.

90. Denique, quod non possis, cum omnibus inspectis, dubitas circa objectum directum, nec judicare potes iudicio jam exposito, quid à te exigat voluntas Dei circa electionem talis objecti, facere, quidquid tibi libuerit; sed necessario debeas, vel procurare adhuc certam veritatis notitiam (id est strictè, ac verè probabilem), vel amplecti partem tutiorem: hoc onus non nos tibi, non nostra, & vera Theologia imponit, sed lex tantummodò veræ charitatis, qua voluntatem, & legem Dei tui libito tuo præferre teneris, adeoque proximum, ac morale periculum eidem legi repugnandi, cavere.

91. Hanc legem naturalem, & immutabile ipso rationis lumine signatam denuò tibi Deus denuntiat Deuteronomii verbis jam expensis. Hanc Angelicus Doctor, & cuncti Theologi semper agnovere, nec quisquam ab illa te liberat præter nonnullos modernos Theologos, qui (nescimus qua facultate) privilegium amplissimum tibi indulgent memoratum periculum contemnendi, ex jure, nescio cujus possessionis naturalis arbitrii, seu libertatis, ad faciendum in dubiis de lege Dei, quidquid facere demùm tibi libuerit. Tu vide, an jure tibi jus verum aliquod competere possit contra jus illud naturale, ac divinum, quod satis firmiter stabilitum est, & firmius adhuc stabilietur.

ARTICULUS IV.

Snadetur à ratione communis, & nostra sententia, & fundamenta sententia contraria multipliciter enervantur.

Quamvis argumentum expensum ab auctoritate divina, prorsus evidenter, ut reor, sententiæ nostræ veritatem evincat: ut tamen planè constet, quàm benè ratio auctoritati congruat, juvat ex principiis Theologicis alia præterea argumenta dare, quibus obviter etiam profligemus fundamenta Terilli supra adducta pro regula Probabilitatum.

§. I.

Titulus possessionis prevalens in materia justitiæ nihil facit ad rem præsentem.

92. Non est hic animus disputare, an possessionis titulus in materia propria justitiæ generaliter debeat in dubiis prevalere, ut tenet communis sententia, quæ fortasse deberet aliquatenus saltem limitari, nec sine gravium Doctorum suffragio; fixum enim est nobis, ut aliàs denuntiavimus, quàm minimè possumus, divertere ab scopo nobis præfixo, nullamque admiscere questionem, cujus decisio necessaria, non sit ad præcipuum nostrum propositum. Ultrò ergo supponimus cum Recentioribus communem hanc doctrinam absque ulla limitatione.

93. Illà verò supposità, nobis absolute non placet disparitas, quam reddunt Pater Elizalde, Mercurius, & alii nonnulli nostratum, ne possessionis titulus prævaleat in aliis materiis: nimirum, quod possessio in materia propria justitiæ facit ad solutionem dubii speculativi, seu remoti, de dominio rei; nam quan-

do

do quis in dubio rem possidet, eò ipso præsumi prudenter debet habere jus legitimum ad ipsam possidendam; nemo enim censetur aliter possidere capisse, nisi oppositum ostendatur. Hæc verò ratio non habet locum in materia aliarum virtutum.

Cæterum hoc discrimen videtur nobis, vel omnino destruere regulam statutam, etiam pro materia justitiæ; vel saltem non sufficere ad negandam universaliter extensionem prædictæ regulæ ad aliam, quancunque materiam. Idèò hanc solutionem rectè impugnat Terillus: sed minimè illà indigemus, cum habeamus certissima principia, in quæ sententiam nostram faciliè, ac solidè resolvamus.

94. Equidem titulus possessionis non modò nihil facit ad rem nostram, sed, & valde mirabile nobis est, quod allegari ab aliquo possit pro quæstione præsentis decidenda. Ajunt Probabilistæ (Terillo referente), titulum possessionis generaliter æquè favere nobis contra Deum, ac Deo contra nos. Eciame, contra Deum favere nobis potest? Credibile certè non est. Quid ergo? Potest nobis possessio aliqua suffragari, ut ex illa possimus aliquando pro nostro aliquo jure Deo nostro litem intendere? Quid est precor hoc juris, aut unde tandem, nobis advenit? Nunquid nos aliquid possidere unquam possumus, quod ita nostrum sit, ut non sit magis ipsius Dei? Alioqui quid nos omnes tam fortiter urget Apostolus: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Nimirum quidquid sumus, quidquid possumus, quidquid vivimus, quidquid operamur, nunquid à Deo totum non habemus acceptum præter unum mendacium, & peccatum? Hoc quidem verè habemus à nobis; sed verò per rapinam (ut scitè dixit Anselmus), & iniquissimè Deo negando obsequia nostra

mille titulis debita, & infinite potius sua, quàm nostra.

95. At fortè postquàm aliquid à Deo accepimus, jam nostri juris solius est, & à divino dominio exceptum. Sed quis ita desipiat? Quis dicat, Deum à se abdicare supremum rei dominium, quam homini liberaliter donat, ut jam, vel illam, vel fructum ipsius, vindicare sibi non valeat? Alioqui impunè poterit homo rem illam Deo exigenti negare, & liberè de illa, prout libuerit sibi, disponere, etiam contra Dei voluntatem. Quid ni verò, si jam solius hominis ita propria est, ut ultra ad Deum nihil pertineat? Utrique de re qualibet penitus sua, & ad neminem alium attinente quilibet potest liberè disponere, nullo expectato alterius consensu. Hoc enim verò jus nostrum est, quod nobis còtra Deum vendicamus? Hæccine nostra libertas est, quam per favorem possessionis nostræ nobis còtra Deum asserimus? Nimis profectò nostra jactamus: nimis nostri volumus esse. Sed verendum est nobis cum Deo contendentibus, ne fortè, dum nos nobis, & nostra pariter arrogamus, Dei nostri verè non simus, & nostri nobis nihil remaneat, præter illud dumtaxat, quod totum nostrum est, sed nihil est, injustitia videlicet, & peccatum.

96. Ne igitur velimus cum Deo judicio contendere: ne velimus extollere corau nostrum, & loqui adversus Deum iniquitatem. Neque enim poterimus (ut Sanctus ille ait) *unum respondere pro mille*. Magis Iob. c. 9. ergo cedamus Deo nostro humiliantes animas nostras sub ipsius potenti manu, & omnia jura nostra abjicientes, aut subjicientes divinæ voluntati, salutem nostram alià viâ quæramus, cum altero Sancto dicentes, *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* Psal. 61. *Ab ipso enim salutare meum.* Porro (ut rectè Bernardus) *Totius humanitatis summa in eo evidenter consistere, si voluntas nostra divina (ut dignum est)*

Terill. g.
33. de cōsc.
R. 48.

1. Ad Co.
viii. 4.

Ansel. li. de
casu diabo.
a. 27. & 28.

Bern. serm.
de triplic.
subiect. no-
stræ volu-
tatis.

est) *subjecta sit voluntati.*

97. Audire videor Recentiores, agentes (quod frequenter audiui), hæc omnia dicta esse concionatoriè, non scholasticè. Sed nunquid idèò vera non sunt? Aut veritas idèò vilescit, quòd ex Sanctis Dei Scripturis concionatoriè (ut inquis) doceatur? Sane Prophetæ Domini concionatoriè nobis locuti sunt: quin, & Dominus ipse in Evangelio suo concionatoriè docet veritatem. Immò non aliàs magis, quàm in concionibus, sincerè veritas docenda esset; propter quod hodie conciones multæ (peccatis nostris id exigentibus) nihil minus sunt, quàm conciones. Puto argumentum nostrum nuper expensum concionatoriè, (si tibi placet) Theologis verè Theologis solidissimum est, & scholasticæ tuæ Theologiæ nimis apertè demonstrat falsitatem. Sed age, veritas nihil formidat, sed ubique vincit, & regnat. Agamus igitur scholasticè,

S. II.

*Paritas ex materia propria iustitiæ
non modò Recentioribus nihil
avet, sed & falsitatis
aperta eorum sententiam
convincit.*

98. **H**oc ut patenter, ac facile ostendamus, conferamus utranque hypothesim, ut vim nostræ rationis nemo possit dissimulare.

Contendit fortè Petrus cum Joanne de proprietate, seu dominio fundi, quem bona fide Petrus hæcenus possidebat. Utrunque allegantur rationes: sed adèò æqualis roboris, aut panè æqualis, ut judicari nequeat determinatè, ad quem fundus spectet quoad proprietatem suam. In hoc dubio, pronuntiat communior Doctorum sententia, Petrus præferri debet, & fundus ipsi adjudicandus est; quia possessio fundi, qua gaudet, & qua Joannes est destitutus, magnam inducit inæqualitatem, inde-

que sufficienter dubium resolvit: sive quia jure ipso naturæ iniquum est, ut quis, quoad totum, vel quoad partem, spoliatur re illa, quam bona fide possidet, ob incertas rationes juris alieni: sive (quod nobis verius videtur), quia jure positivo, & legitima consuetudine propter vitandas lites, & firmanda rerum dominia, prudenter sic constitutum est admodum consentaneè ad naturalis juris æquitatem. Hæc est hypothesis in materia iustitiæ.

99. Ecce nunc hypothesis nostra. Dubito, an Deus mihi præcipiat, vel per se ipsum, vel per suam Ecclesiam (quod discrimen ad præfens nihil facit) jejunium, verbi gratia in hac die, in istis, vel illis circumstantiis? Et postquàm sufficientem diligentiam adhibui, assequi veritatem non possum, sed dubius semper maneo, utrum Deus re ipsa præcipiat mihi, an non, jejunare? In hac hypothesi, inquit Probabilistæ, quidquid sit de præcepto à parte rei, jejunare minimè teneor. Quare? Quia faver mihi titulus possessionis, qui in meæ libertatis favorem sufficienter resolvit dubium, præcedens, utique certò, & indubitanter. Sed tene modum, & cautè procedamus: fortè titulus iste vanus est, si non sonitum vocum, sed attentè rem inspicimus.

100. Nimirum dubium est, an actus jejunandi (seu sit physicè actus, seu carentia, quod nihil facit ad rem moralem) sit tibi necessarius ex lege Dei, an potius liber sit ab omni legis obligatione? Quid precor in hoc dubio tu certò possides? Certè non actum ipsum, nec omisionem ejus, quæ necdum est, & fortè non erit. Possideo, inquis, libertatem meam, hoc est, jus certum, & meæ voluntatis dominium ad omittendum liberè actum. Liberè, & licitè? Non ais opinor: nam hoc est dubium ipsum, quod versamus. Reliquum ergo est, ut unicè jus habeas, & tuæ voluntatis dominium ad omittendum

dum liberè actum, sive licitè, sive illicitè. Hoc vero certum jus, & libertas, quæ reverà non est, nisi libertas physica ad peccandum, qua non careres, etiam dum agis contra præceptum certum, & evidens, quomodò dubium illud resolvat, & reddat tibi licitam omissionem jejunii, ostendas mihi vellem; ego nanque fateor ingenuè, non solum non intelligo, sed vix possum, vel cogitare.

101. Dicis cum Esparza, & Terrillo: jus certum, quod voluntas possidet, & quod resolvit dubium objectum, non est libertas hæc peculiaris ad omitendum liberè actum in eventu dubii propositi; hæc enim nequit dici immediatè, ac per se libertas certa ad omitendum licitè actum, nisi per evidentem petitionem principii, ut statim apparet ex ipsis terminis. Illud ergo jus certum est naturale voluntatis dominium supra omnes suas actiones, & generalis libertas ejus ad ponendum etiam honestè, aut saltem nò illicitè quemcunque actum, qui per legem divinam non ostendatur sibi prohibitus. Utrique naturale dominium hoc, & generale jus voluntatis ad liberè operandum, fundat, & infert in casu dubio jus etiam certum, & particulare, ad agendum quidquid libuerit, etiam libertate morali, hoc est sine peccato (sic enim hic accipimus moralem libertatem); quia scilicet jus certum, quod possidet humana voluntas, limitari non debet, aut restringi in casu aliquo particulari per exceptionem dubiam, id est, per dubiam existentiam præcepti, cum melior sit in dubio possidentis conditio. Sed nihil agis, nisi dicis, & loqueris: difficultatem verò non tangis.

102. Urgeo itaque, ut nostri vim argumenti nemo possit dissimulare. Naturale dominium voluntatis humanæ respectu suarum actionum, & ipsius libertas generalis ad operandum, non est jus certum immediatè, & per se ad agendum mo-

raliter (hoc est, liberè, & licitè) indefinitum, & illimitatum, sed in ordine solum ad actus illos, quos neque constet esse prohibitos, nec dubitetur, an prohibiti sint, ut fateris, & paret necessariò fatendum esse: alioqui si supponas esse jus certum ad agendum moraliter, etiam pro casu dubio, de quo contendimus, apertè destruis argumentum tuum, & nimis clarè principium petis, supponis nanque conclusionem tuam, quam ex illo principio unicè probandam susceperas. At naturale voluntatis dominium, & generalis ejus libertas, sive jus certum ad agendum moraliter pro quolibet eventu non dubio, non potest fundare, aut inferre jus certum ad agendum moraliter pro eventu aliquo dubio: ergo voluntas pro hoc eventu nullum jus certum possidet ad agendum moraliter. Discursus est legitimus: Major est ipsa Recentiorum doctrina.

103. Probo Minorè, quanvis de se evidentem. Jus certum ad agendum moraliter in omnibus eventibus certis, ex ipsa terminorum acceptione inferre nequit jus certum ad agendum in eventibus dubiis: quo nihil evidentius. Nam ex aliquo jure, seu potestate morali, vel physica, ad agendum in uno eventu, nemo nisi stultissimè inferat similem potestatem ad agendum similiter in eventu non simili, sed omnino dissimili. Quis neget hoc, nisi totus desipiat? Quare Recentiorum discursus (ut utamur eadem paritate ex materia propria justitiæ) huic omnino similis est: Petrus habet jus certum universale ad disponendum liberè de rebus omnibus, quas certò, ac pacificè possidet: ergo habet jus certum ad disponendum etiam de rebus, quarum non habet certam, ac pacificam possessionem, sed potius litigiosam, ac dubiam. Quid ineptius hoc ratiocinio? Nemo sit non stultus, qui ex proposito antecedenti oppositum non rectè concludat. Nonne vides, solutionem intentam, ro-

tura-

tumque Recentiorum discursum, nihil esse re ipsa præter voces inanes? Videant igitur ipsi Recentiores, quid probeat paritas possessionis ex materia propria iustitiæ. Planè eorum sententiæ non modò nihil favet, sed penitus illam everrit.

§. III.

Roboratur discursus noster, & tradita doctrina in altius principium resolvitur.

104. **R** Edeamus jam licet ad principium nuper propositum, ut vel invitum videas, quàm sit verus, & infallibilis, discursus ille noster, quem concionatorium vocabas.

Jus voluntatis nostræ ad aliquid agendum, vel non agendum, ex cujus possessione Recentiores regulam suam concludere nituntur, nihil est aliud, ut ipsimet supponunt, quàm naturale ejusdem voluntatis dominium supra omnes suas actiones, & potentiarum sibi subjectarum. Atqui omne dominium voluntatis creatæ respectu suarum actionum supponit essentialiter in Deo dominium multò altius, & excellentius supra easdem actiones, & singulas earum: igitur supponit in ipso jus multò altius, & excellentius supra omnes, & singulas actiones ejusdem voluntatis creatæ, sive immediatè oriantur ab ipsa, sive medio ipsius imperio à potentiis sibi subiectis. Consequentiam negabit nemo: Major doctrinam continet ipsorum Recentiorum, & nihil ultra. Minor verò puto nemo vertat in dubiū, nisi quis ita insaniat, ut velit homini tribuere dominium absolutum, atque supremum respectu suarum actionum, & libertatem prorsus exemptam ab omni subjectione, ac subordinatione ad libertatem, & dominium Dei; quod esset homines facere nò solum liberos, ac dominos, sed sacrilegos, sed insanos, sed im-

pios, sed blasphemos, sed æquales, vel etiam Deo suo majores.

105. Hinc verò protinùs evidenter apparet, quàm sit ab omni ratione alienum, velle, ut homo aliquando contra Deum prævaleat, ex vi juris, quod possidet, hoc est, domini supra omnes suas actiones. Nā dominium quodlibet voluntatis creatæ, utpote Dei dominio absoluto, ac supremo in omnibus subordinatum, nullum licitum usum habere potest, nisi, quem Deus ipse, supremus Dominus, concesserit, aut saltem non prohibuerit: ergo quoties non constat de concessione, aut non prohibitione, voluntas nullum potest habere jus, neque potestatem moralem ad exercitium aliquod sui domini: alioqui dominium voluntatis foret planè absolutum, & independens ab omni subordinatione ad supremum dominium Dei; quæ enim major independentia, quàm posse facere quidquid libeat, nullo expectato ipsius Dei consensu.

106. Rogas, cur non sufficiat, licet de concessione, aut consensu non constet, quòd neque constet de prohibitione, aut positivo dissensu Dei? Rogo, quare non sufficit, ut Petrus uti possit rebus Pauli, quòd de dissensu ipsius positivo non constet, quanvis nec constet de ipsius consensu? Nunquid Petrus in dubio isto de consensu, aut dissensu Pauli, si uteretur rebus ipsius, non ageret injustè?

107. Ageret, inquis, indubitanter. Sed exemplum est importunum, & ex quo nullum argumentum fiat. Immodò paritas ista contra nos efficacissimè retorquetur. Nam propterea Petrus injustus esset in eventu proposito, quia nullum absolute possidet jus, ut rebus Pauli utatur: contra verò Paulus jus possidet, ut nec Petrus, nec alius utatur rebus suis, nisi Paulus ipse consentiat. Quid mirum igitur, si in dubio illo Paulus contra Petrum prævaleat, cum melior sit in dubiis possidentis conditio?

tio? At in hypothefi, quam verſamus, voluntas noſtra poſſidet juſ fundatum in dominio univerſali ſupra omnes noſtras actiones, ut poſſit ponere quamcunque velit, dummodo à Deo non ſit prohibita. Ergo quandiù non conſtet de divina prohibitione, juſ voluntatis prævalere debet, ut poſſit illam liberè ponere: cur enim in hoc dubio non prævaleat conditio poſſidentis?

Nimis ſurdus, ut ajunt, eſſe ſolet ille, qui liberenter non audit. Certè Probabiliſtæ ſic in hac controverſia defendere nituntur dominium voluntatis humanæ, quaſi qui prorsus obliſcantur abſoluti domini Dei. Clariùs igitur adhuc, ſi fieri poſſit, loquamur.

108. Non loquimur, ut præmonuimus, de voluntatis dominio purè phyſico, hoc eſt, de libertate ad aliquid agendum, ſive licitè, ſive illicitè, quanvis, & hoc dominium, ſubordinatum ſit, nec exerceri poſſit independenter à concurſu Dei non ſolùm phyſico, verùm etiam morali poſitivo, vel permiſſivo.

Loquendo verò de dominio morali, hoc eſt, de libera poteſtate ad aliquid licitè agendum, dicant ſemel Probabiliſtæ, an voluntas humana poſſideat aliquod verum juſ fundatum in dominio, ſeu generali ſuprà omnes actus, ſeu peculiari ſuprà unum ipſorum, ſuprà quos omnes, & eorum ſingulos, Deus non habeat verum dominium multò altius, & excellentius, indeque multò excellentius juſ in ipſo dominio fundatum? Non audebunt opinor affirmare. Quodnam eſt ergo juſ, quod poſſidet humana voluntas, titulo cujus in dubio aliquo contra Deum ipſum prævaleat? Nempè juſ imperfectum, juſ inferius, juſ limitatum, juſ ſubordinatum, juſ pendens eſſentialiter à conſenſu ſupremi Domini, contra juſ perfectiſſimum, juſ ſupremum, juſ univerſaliſſimum, abſolutiſſimū penitus independens ab omni alio, & juſ omne, ac domi-

nium ſibi ſubordinans: illud nimium juſ voluntatis contra hoc juſ divinum allegatur. Et tamen in hac lite, perpenſis omnibus, pro voluntate humana deciditur, & fertur contra Deum ſententia. Enigmati ſimile eſt, & vix poſſemus credere, niſi Probabiliſmum verſaremus, ubi nihil eſt incredibile. Quidquid verò de hoc ſit, indubitanter credimus, & pronuntiamus, ſententiam latam à Probabiliſtis, neque juri, neque æquitati, neque veritati congruere.

109. Sed revertamur ad exemplum productum (ut preſſioribus terminis id ipſum demonſtrems), & hypothefim illam paulò aliter reſumamus. Paulus ſcilicet, vel ex gratitudine, vel purè liberaliter concedit Petro facultatem ampliſſimam utendi rebus ſuis, aliquibus tantùm exceptis, retinens tamen ſibi rerum omnium ſuarum juſ abſolutum, atque directum: occurrat Petro dubium circa rem aliquam determinatam, an ſit ex illis, quas Paulus excepit, ita ut nec poſſit Paulum conſulere, nec alià vià dubium reſolvere. Certè, ſi dubio iſto perſeſverante, Petrus uteretur re illa, de cujus conſeſſione, vel exceptione ſibi non conſtat, procul dubio peccaret, & injuſtè ſe gereret contra Paulum, quod nemo pato negare audeat. Quare verò Petrus peccaret? Quia non habet juſ aliquod ad uſum rerum Pauli, niſi ex libero ipſius Pauli conſenſu: quapropter ubi dubius conſenſus eſt, non niſi dubium juſ Petrus habere poteſt.

110. At cur Petro in hoc dubio non ſuffragatur juſ illud certum, ac generale, quod habet ad utendum rebus aliis ſibi conſeſſis? Ridebis ad quaſtionem ineptam. Et quidem meritò, cùm ratio per ſe pateat: nempè, quia ſi juſ Petri reſultat unicè ex conſenſu Pauli, ſicut conſenſus generalis, ac certus pro uſu aliarum rerum, nullum eſt argumentum ſufficiens ad probandum conſenſum pro caſu dubio, idem de jure dicen-

E c. dum

dum erit. Petrus igitur ageret ex jure dubio, subindeque sine dubio peccaret, & injuriam inferret Paulo. Quod verum etiam est juxta omnes, quanvis Paulus circa rem illam nullum certum jus possideret absolutum, atque directum.

111. Attende modò, & vide, an exemplum sit opportunum, & assententiam nostram à fortiori, ut ajunt, suadeat? Scilicet humana voluntas nullum habere potest morale jus ad usum aliquem sui domini, si ve exercitium suæ libertatis, nisi sit concessum à Deo, tanquam à Domino supremo, & absoluto. Ubi ergo constiterit de concessione alicujus usus, vel exercitii propriæ libertatis, voluntas habet certum jus ad illud: ubi constiterit de prohibitione, voluntas certò non habet jus; ergo ubi dubium sit de concessione, vel prohibitione, non nisi dubium erit jus voluntatis. Qui verò auderet agere ex isto dubio jure, peccaret procul omni dubio, ut Probabilistæ non negant, nec aliquis potest negare.

112. Velle autem deducere jus certum ad agendum in casu dubio, ex generali jure, quod possidet voluntas ad alios actus sibi concessos, adeò importunum est, ut nihil magis, tum, quia ex terminis ipsis jus certum ad agendum ubicunque constiterit de concessione Domini absoluti, ac supremi, nequit fundare jus certum ad agendum, ubi concessio Domini nò est certa, sed dubia; nam si jus constituitur per consensum alterius, impossibile est, ut jus sit alterius rationis, atque fuerit ipse consensus: unde quemadmodum ex consensu absoluto constituitur jus absolutum, ex consensu hypothetico jus hypotheticum, ex consensu non vero, sed nullo, vel fictitio, jus non verum, sed fictitium, aut nullum, ex consensu certo, jus certum, & sic de cæteris, si quæ aliæ sunt juris, atque consensus considerationes diversæ; sic etiam ex consensu dubio non nisi dubium jus constituatur necessum.

est: tum insuper, quia voluntas humana nullum habere potest supras, actiones, aut aliquam earum, dominium, seu morale, seu physicum, seu generale, seu particulare, proindeque nec jus in dominio fundatum, quod non sit dependens à Deo, quodque non supponat in ipso, tanquam in absoluto, atque supremo Domino, jus, & dominium altius, & excellentius, cui dominium, & jus ipsius voluntatis humanæ, non modò prævalere non debeat, sed neque possit æquiparari: tum denique, quia Deus, etiam in casu dubio, de quo contendimus, in quo voluntas jus nullum certum possidet, non potest non habere jus certum, absolutum, atque directum, quidquid re ipsa sit de concessione, vel prohibitione illius actus particularis. Ubi nam ergo est jus voluntatis, cujus certa possessio allegatur à Recentioribus, ut homo in dubiis contra Deum prævaleat? Apparet enim verò, quantum fallat sonitus vocum, quando voces sonant ad placitum.

Vides ne, quàm non timeat Theologia nostra rigorem, & styllum scholasticum, ad quem nos Recentiores provocabant?

§. IV.

Suadet in super sententia nostra ex generali obedientia lege, & retorquetur in Recentiores argumentum inde depromptum.

113. **T**Erillus, ut probaret, titulum possessionis habere locum, etiam extra materiam propriam justitiæ, argumentum ducebat, ut supra vidimus, ex generali obedientiæ lege, secundum quam in dubiis de honestate, vel turpitudine rei, quæ sibi præcipitur, subditus obedire potest, ac debet; quia nimirum Superior possidet jus, ut sibi obediatur, quo non debet privari in dubiis. Ex hoc principio sanè veris-

si-

fimo juxta Theologiam veram, & sanam, falsò vero, ut quòd maximè, juxta principia Theologiæ benignæ, (ut hic, & alibi clarè ostendemus) arguebat Terillus, titulum possessionis in dubiis, habere locum, etiam in materia obedientiæ, atque extra materiam propriam justitiæ. Unde sibi legitimè videbatur concludere, titulum possessionis libertatis humanæ prævalere debere contra legem in eventu quocunque dubio.

114. Sed quàm sit irritus Terilli conatus, quàmque sine exceptione Probabilismus omni sanæ Theologiæ, certisque ejusdem principiiis repugnet, hoc ejus argumentum satis ostendit; nihil enim potuit adduci magis contrarium Recentiorum sententiæ.

Nam in dubio proposito subditus possidet libertatem suam, & dominium suorum actuum, si Recentiorum voces quidquam significant, dum libertatis possessionem loquuntur. Rogamus ergo, cur possessio ista non prævalet in dubiis contra jus Superioris? Respondebunt, quia jus istius est jus naturæ suæ majus, atque præstantius subditi jure. Nempe jus illud fundatum est in ipsa superiori-tate, seu potestate gubernativa, adeoque est jus superius, & absolutum, subjiciens, ac subordinans sibi jus subditi fundatum in libertate voluntatis subditi, inferioris, ac dependentis à voluntate ipsius Superioris. Quomodo ergo poterit subditi jus contra jus Superioris prævalere? Rectissimè.

115. Sed rogamus ulteriùs, an Deus sit Superior respectu hominis, & homo subditus respectu Dei? Id cum negare Recentiores non possint, rursus ipsos rogamus, quo jure in dubiis de obligatione legis allegent possessionem libertatis humanæ, jusque in ea fundatum, ut homo semper contra Deum prævaleat? Nunquid jus hominis majus est adversus alium hominem, non sibi naturæ subiectum, sed cui ex munere Dei naturaliter, ac contingenter

imperat, quàm jus ipsius Dei adversus creaturam naturæ suæ subditam sibi? Nunquid minorem Deo obedientiam, quàm ejus ministris debemus? Aut debemus ministris aliquam, nisi unice propter Deum, à quo omnis potestas est?

S. V.

Præcluditur evasio, & promovetur idem propositum.

116. Quid Recentiores ad retorsionem istam adeò per se patentem? Dicant fortasse, ne nihil prorsus dicant: in dubio de honestate rei præceptæ subditum posse licitè obedire ob possessionem juris ex parte Superioris: ceterum obedire non obstringi ob possessionem propriæ libertatis. Quod fit, ut argumentum ex una parte probet, titulum possessionis valere, etiam extra materiam propriam justitiæ, ex alia verò nihil præjudicet sententiæ Recentiorum asserentium, titulum possessionis libertatis humanæ prævalere in omni materia. Hoc sanè expectabamus. Nihil rectius profectò, consequentiùsque dici potest in via novi Probabilismi, sed nihil evidentius contra rationem, & contra rectas obedientiæ leges. Hanc denique Probabilistæ multi docent Christianum populum obedientiam, & docere tenentur quotquot voluerint esse Probabilistæ. Et tamen ex hoc capite nimis exultant, & quasi triumphabundi, contra sententiam nostram non verentur arguere vehementissimè ex obedientiæ lege.

117. Sed in primis Ferillus, eo argumento utens ad suam sententiam suadendam, uti non potest hac evasione ad retorsionem nostram declinandam, cum sæpè expressè doceat, subditum in eventu proposito non solum posse, verum etiam teneri parere Superioris præcepto. Et quis id neget contra SS. Patres, & vitæ spi-

ritualis Magistros immò & contra lumen rationis, & omnis rectæ disciplinæ normam.

118. Ergo, quod nemo possit ea evasione uti, constat aperte, vel ex verbis ipsis, quæ in allegato capite, *Quid culpatur*, referuntur ex Augustino, agente: Ordo autem ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes principes sit: exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci, salutique communi. Et paucis interjectis, concludit: Ergo & vir justus, si forte etiam sub Rege, homine sacrilego militet, rectè possit, illo jubente, bellare civica pacis ordinem servas, cui, quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. Quibus verbis clarissimè Augustinus significat, in dubio de honestate præcepti subditum ita posse, ut simul etiam omninò debeat parere Superiori jubenti, acturum alioqui contra ordinem naturalem, idest, contra legem naturæ, & contra propriam subditi obligationem.

119. Et verò ipso naturæ lumine implicatorium esse videtur, quòd subditus Superiori suo serìò, & strictè sibi præcipiendi ex una parte possit licitè, & honestè obedire, ex alia verò obedire non debeat, si quidem res præcepta (ut supponimus) limites subjectionis non excedat. Alioqui quid est hominè esse subditum alteri? Aut quam demùm est illius voluntatis subiectio, quæ pro libitu suo potest in re præcepta à voluntate sui Superioris, cui posset licitè conformari, licitè quoque dissentire, si velit?

Sed de hac obedientia plus nimio voluntaria, quam ex moderno Probabilismo, & quæ omnem subjectionis debitum, ordinem, omnemque rectam disciplinam evertit, alibi sumus latius dicturi: ubi etiam, data

opera, exponemus, qualiter in hypothesis dicta per veram subjectionem intellectus, & voluntatis rectam subditus possit, ac debeat formare conscientiam.

Patet igitur subditum in dubio de honestate rei præcepta excusari non posse titulo possessionis libertatis ab obligatione parendi. Ergo nec potest homo ex hoc titulo excusari aliquando in dubiis ab onere servandi divinam legem. Ergo argumentum, quod Terillus depromere ex lege obedientiæ conatur, non modò nihil faver Probabilismo suo, sed eundem prorsus evertit.

§. VI.

Evasio item alia præcluditur.

120. Sed dicent iterùm Recentiores, etiam retentâ verâ, & certâ doctrinâ de obligatione subditi ad obediendum in eventu proposito, retorsionem intentam legitimam non esse, quia datur manifestum discrimen. Nempe, in exemplo adducto de subditi obedientia, præceptum Superioris non est dubium, sed constat potiùs de ipsius existentia, & solùm dubitatur de honestate rei, quæ præcipitur; unde possessio fiat pro præcepto, proindeque prævalere debet. In hypothesis verò nostræ questionis existentia legis est dubia, & certa libertatis possessio, quæ propterea non potest non prævalere. Id voces sunt, & nihil præterea.

121. Contra igitur primò: ergo saltem dum constat de legis existentia, & solùm dubitatur de sensu legis, nimirum de extensione ipsius ad hunc casum, aut illum particularem, libertatis possessio nihil valet, nec locum habet Recentiorum sententia. Hoc autem est destruere regulam suam, & quam docebant esse universalem ad omnia dubia de licito, aut illicito, restringere ad eventus raros, & paucos; rarò namque contingit, ut insuperabiliter dubitetur

Aug. illo li.
22. contra
Paul. c. 75.

tur de absoluta existentia legis, sed de sensu tantum ipsius, aut extensione ad casum particularem. Quod verò Terillus agebat, dubia ista resolvi in substantiam ipsius legis, hoc est, in dubium de existentia eius, jam alibi monstravimus esse hallucinationem, & deceptionem nimis apertam, alioqui leges passim deficerent, & per singulos ferè dies substantialiter variarentur. Vide, quæ diximus controv. 6. art. 8. §. 1.

122. Contra secundo: quia discrimen productum à Recentioribus neutiquam re ipsa subsistit, sed oppositum potius verum est. Nam præceptum re ipsa injustum non est præceptum verè, sed unice quoad sonitum vocis, neque vim ullam habet ad obligandum subditum in conscientia; nam quod D. Angelicus de legibus injustis sapienter dixit, *Hujusmodi (nimirum leges injustæ) magis sunt violentia, quam leges, verum est etiam ob eandem rationem de particulari præcepto.* Ergo subditus dubitans de honestate rei, quæ præcipitur, non potest pariter non dubitare de existentia ipsius præcepti, quod sit verè, & re ipsa tale. At verò, dum quis dubitat de sensu legis, non ideò dubitat de legis ipsius absoluta, ac vera existentia; immò verò supponit, legem esse rectam, & justam, & totum dubium unice est, an aliquod objectum determinatum sit ipsius legis materia.

Exemplum sit: qui dubitat, an exigere in mutuo aliquid ultra fortem ex titulo lucri cessantis, licitum sit, an potius illicitum, non ideò dubitat de existentia legis damnantis justè, & sanctè omnem usurarium contractum; sed solum dubitat, an hujusmodi exactio usuraria re ipsa sit, adeoque lege illa verè damnata; & ejusdem rationis plerunque sunt dubia moralia, quæ frequenter occurrunt. Ergo, si quidquam valet Recentiorum doctrina, & principiū ab ipsis statutum, ex quo disparitatem petere intendunt, potius in nostra

hypothesi, quàm in exemplo adducto de subditi obedientia, tenetur homo legi parere, & libertatem suam subicere.

123. Contra denique tertio: quia tota ratio, ob quam in dubio de honestate rei præceptæ subditus obedire tenetur, absolute loquendo, & juxta veritatem, est legitima auctoritas Superioris, & potestas ipsius ad præcipiendum cui correspondet ex parte subditi debita voluntatis dependentia, & humilis ad parendum subiectio. Utiq; generalis lex obedientiæ, & ratio ipsa naturalis præscribit, ut voluntas superior, & absoluta, pluris ubique fiat, quàm voluntas inferior, ac subiecta, illa præsit, hæc subfit, illa præcedat, hæc subsequatur, illa prævaleat, hæc se submittat: id enim postulant jure suo, & humilis inferioris conditio, & propria Superioris excellentia; & omne contrarium dictamen est evidenter inordinatum, & contra lumen ipsum rationis.

124. Hinc fit, ut quoties subdito dubium sit, quid ferat Superioris voluntas, eò ipso liber non maneat (utique libertate morali) ad faciendum quidquid libuerit, sed potius debeat voluntatem propriam humiliter subicere, & abnegare, ne quid fortè amplectatur, quod Superioris voluntati repugnet. Alioqui, si contempto periculo morali, ac proximo faciendi, quod re ipsa Superiori displiceat, subditus faciat, quod sibi placet, statim evidenter convincitur, pluris se facere voluntatem suam, quàm sui Superioris voluntatè, contra id, quod exigit obedientiæ lex, & debita Superiori subiectio: sicuti pluris facere convincitur utilitatem propriam, quàm amicitiam, qui lucrum temporale sibi querit cum periculo proximo displicendi, aut nocendi amico: sicuti pluris etiam convincitur habere delectationem, quàm sanitatem, qui objectum delectabile non refugit amplecti cum contingentia omnimoda, & periculo pro-

ximo amittendi salutem corporis.

125. Itaque jus præcedens ex parte Superioris, ut sibi obediatur in dubiis, non fundatur in ipso actuali præcepto (de quo nimirum pariter dubitatur, an re verà præceptum sit), sed præsupponitur potiùs ad ipsum, consistitque adæquatè in excellentia ipsa, & dignitate superioritatis, ratione cujus Superioris voluntas sic voluntati subditi præminet, ut hic non possit libertatem suam licitè, & honestè exercere, quoties periculum proximum est faciendi, quod re ipsa sit contra Superioris voluntatem. At hæc ratio æquè urget quodocunque quis dubitat de legis existentia, aut extensione; nisi quis fortè dicat, Deum legis Auctorem, naturâ suâ Dominum creaturarum omnium, infinitæ excellentiæ, & majestatis, non habere jus verum, ut voluntas ipsius tanti fiat ab homine, quanti fieri debet voluntas superioris humani præcipientis nomine Dei, quod nemo non blasphemus effutiat. Ergo nullum est dubium juxta hypothesim nostræ controversiæ, in quo jus Dei per se, vel per ministros suos præcipientis, prevalere non debeat absolutè juri libertatis humanæ. Ergo obligatio subditi ad obediendum in dubio de honestate rei præceptæ, non modò nihil faver sententiæ Recentiorum, sed illam funditus potiùs evertit.

Jam ergo concludamus nobis licet, titulum possessionis libertatis humanæ esse prorsus inanem, & aereum ad formandam in dubiis conscientiam rectam pro parte humanæ libertati favente; adeoque regulam generalem, quam Recentiores inde nobis obtrudunt, ut unum ex potissimis principiis, quod suam sententiam benignam reddat *ut minimum moraliter certam*, nullo fulcram esse solido fundamento, sed esse potiùs manifestè contrariam juri naturali, ac divino, quæque obedientiam hominis ad Deum, omnemque rectum ordinem subjectionis evertat.

Porro argumenta omnia, quæ afferebat Terillus ad regulam suam suadendam, nihil prorsus momenti continere, sed meras, & inanes æquivocationes duntaxat, multipliciter manet ostensum.

ARTICULUS V.

Demonstratur denique falsitas ejusdem regulæ, seu principii, ex capitalibus fundamentis, & principiis à nobis stabilitis.

126. **Q**uale absolutè sit secundum hoc Recentiorum principium ex tribus illis primis, ac maximis, quibus sententiam suam benignam evidenter mundo demonstrant, affatim, ut existimo, monstratum est, ad majorem tantummodo, atque multiplicem veræ doctrinæ manifestationem. Quod enim ipsum, ut & reliqua omnia ex principiis à nobis supra firmatis nullo negotio corruat statim, & ex jam dictis satis colligitur, & quàm facilimum demonstratu sit.

Utique non agit honestè, sed illicitè potiùs, ac turpiter, quisquis non quærit seriò, & ex corde regulam primam morales honestatis, idest, legem ipsam directam, seu voluntatem antecedentem Dei, cui suam actionem conformet, ut sæpè dictum, & ostensum est. At quisquis agit dubius de intrinseca, ac directa honestate cōtractus, exempli gratia, minimè quærit seriò, & ex corde, conformitatem actionis suæ cum prima regula morales honestatis. Igitur non honestè, sed illicitè agit. Sola Minor ostendi postulat.

Ea verò constat apertè; nam, qui, dum operatur, videt esse prorsus contingens, sive etiam verosimilius, se violare re ipsa legem directam Dei, is profectò non quærit seriò, & ex corde actionis suæ conformitatem cum ipsa lege directa Dei; quod equidem per se ipsum clarissimum, ipsoque lumine rationis evidens,

dens, multiplici præterea exemplo superius demonstratum est. At quisquis agit dubius de intrinseca, ac directa honestate contractus in sensu exposito præsentis controversiæ, videt esse prorsus contingens, & in casu, quo agnoscit graviora fundamenta pro directa contractus inhonestate, videt esse verosimilius, se violare re ipsa legem primariam, ac directam Dei, ut per se ipsum patet, & sæpe etiam est demonstratum: ergo non quaerit serid, & ex corde conformitatem actionis suæ cum ipsa regula moralis honestatis, sive cum ipsa lege directa Dei. Hæc non vera tantummodò, sed prorsus etiam evidenter sunt.

127. Nunc vide inanem Recentiorum conatum obtrudentium reflexum principium suum de possessione libertatis in dubiis ad resolvendum practicè dubium de absoluta honestate actionis, pullulans ex dubio proposito de intrinseca contractus honestate, quod ipsi appellant speculativum. Vide, inquam, conatum impossibilem, & evidenter eum ratione pugnantem: quasi scilicet posset naturalis possessio libertatis præbere hominibus jus aliquod verum ad contemnendam legem divinam primariam, & antecedentem. Alioquin dicant quæsumus: nunquid principium istud reflexum de possessione humanæ libertatis, resolvit dubium illud directum, & speculativum, ut vocant, de intrinseca contractus honestate? Non resolvit fateantur, necessum est: immò verò supponit non resolutum, aut ab ejusdem saltem resolutione præscindit; hæc enim est hypothesis, quam verisamus. Quin neque posse sub illis terminis præfatum dubium aliquando resolvi in favorem humanæ libertatis, nec, si resolveretur, quidquam prodesse ad rectam conscientiam formandam, latè jam supra demonstratum est. Sed hoc ad alias spectat controversias.

128. Modò sic accipe. Si du-

bium de contractus honestate directa, neque resolvitur per principium reflexum de possessione libertatis humanæ, neque aliunde supponitur resolutum: ergo fieri nequit per principium ejusmodi, ut qui operatur in illo dubio, non videat esse prorsus contingens, aut esse etiam verosimilius, se violare re ipsa legem directam, ac primariam Dei, ut patet, vel ex terminis ipsis; quid enim aliud est, directam honestatem contractus, quem exequitur, esse, apud ipsum utrinque dubiam, aut etiam verisimiliorem intrinsecam, inhonestatem? At, qui sic operatur, proculdubio violat sponte, contemnitque directam legem Dei. Ergo reflexum Recentiorum principium impedire nequitquam potest, quominus, qui ex illo operatur, violet formaliter legem divinam, adeoque formaliter peccet.

129. En igitur conscientiam formatam per subtile artificium Probabilissimi ex hoc reflexo principio Recentiorum de possessione libertatis in dubiis (utique certò, & evidenter rectam) ob oculos tibi statuimus. *Ego nescio, vel dubito, utrum hic contractus, quem inco, sit re ipsa inhonestus, & prohibitus lege Dei, aut etiam mihi verosimilius est, prohibitum esse re ipsa. Sed quia certo possideo libertatem, ad agendum quidquid libuerit, qua non debeo privari in dubiis, nec teneor certi juris incertas exceptiones admittere, licitum mihi absolute est hujusmodi contractum inire. Age modò: Sed inire contractum, de quo nescio, vel dubito, utrum prohibitus re ipsa sit, est agere cum periculo proximo, & omnimoda contingentia transgrediendi re ipsa legem Dei: sic verò agere nihil est aliud, quam contemnere voluntariè Deum ipsum, & legem ejus, adeoque peccare formaliter. Igitur absolute licet mihi formaliter peccare per hunc actum, ex jure libertatis, quod possideo. Vide conscientiam hominis evidenter tutam, ac rectam. Vide quam sit egregium;*
cer-

certumque jus, quod moderni Probabilistæ asserunt, hominis contra Deum, ex reflexo principio suo de possessione libertatis in dubiis. Nolim ego certè hoc jus possidere, quod sui possessorem non verè sui dominum, sed verè facit peccati servum.

130. Hæc omnia ex dictis evidentia sunt, neque enim Recentioribus effugium aliquod reliquum est, nisi de medio tollere legem directam per novū illud Terilli principium de insufficienti legis promulgatione; quod jam à nobis præclusum est. Utique, si lex illa divina non deficiat re ipsa, & quoad substantiam suam, ut nullam de se habeat vim obligandi, principium hoc Probabilistarum de possessione libertatis in dubiis, sicut, & alia omnia, quæ proferunt, principia reflexa, nihil aliud posse concludere, quàm monstra hæc ingentia, quæ vidimus ex dictis hætenus, & ostensis, luculenter apparet.

Satiùs igitur fecerint viri longè acutissimi, atque prudentissimi (quales non paucos ex Recentioribus ultro fatemur, ac reveremur), si molimine suo nimium difficili tandem aliquando relicto, amico nobis facere se se junxerint, & manus dederint veritati in magnam animarum salutem, & totius Ecclesiæ bonum. Quandiū verò restiterint, non possumus cum Augustino non obtestari: *Hoc vos quidem non sentitis: sed hæc sequuntur illa, quæ sentitis. Mutate ergo antecedentia, si vultis cavere sequentia.*

Aug. li. de
adulteri. cō-
jug. c. 4.

ARTICULUS VI.

Synopsis Controversiæ.

131. **A**ccipe per breviculum totius controversiæ doctrinam.

In primis, vel ex ipsa, quam præmisimus dubii intellectualis notatione, tota quæstionis hujus difficultas sufficienter videtur, vel expediri,

vel certè præoccupari. Utique dubium est motus rationis contendentis in veritatem, ad quam pervenire non potest, & ideo suspensentis omne judicium determinatum de utraque parte contradictionis.

Hinc ad rem nostram: dubitatio moralis est conatus, & motus intellectus diligenter quærentis de actione aliqua voluntatem, & legem Dei, quam voluntati hominis ostendat per judicium determinatum, tanquam unicam viam, per quam honestè possit incedere: sed quia viam, quam quærit, invenire non potest, ideo perplexus hæret, nec quidquam audet enuntiare de illa. In hac verò intellectus perplexitate, ac trepidatione, dic quæso te, erit ne prudens conatus voluntatis nolentis imitari intellectum, & hære simul cum ipso, sed, eo derelicto, contendit ultra procedere? Nam quo duce? Qua luce? An non progressus iste cæcus erit, ac temerarius, quippe cum evidenti, ac proximo periculo deferendi re ipsa viam rectam, idest, legem divinam antecedentem à quo ferio, & ex corde curare debet nunquam discedere?

132. Nihilominus tamen Recentiores Probabilistæ tanquam communem regulam nobis consignant, in dubiis de existentia, vel de sensu divinæ legis aliquid præcipientis, aut vetantis, quæ, diligentia facta (sed quali diligentia, prohi Deum!) vinci, seu resolvi non possint, integrum nobis esse, quidquid libuerit facere, quia homo possidet libertatem suam, qua privari non debeat, cum melior sit in dubiis conditio possidentis. Et hoc dicunt esse principium è primis illis atque potissimis, quæ sententiam suam benignam reddat, ut minimum moraliter certam.

133. At quale est hoc principium, & unde ei certitudo tanta? Nunquid ex Sacrae pagine testimonio? Nec unum quidem Recentiores producant, cum nos interim multis alibi producendis, ideo in præsentia

pe-

pepercerimus, quod unicum à nobis expensum adeò perspicue, & clarè Recentiorum principium destruat, & regulam contrariam statuatur, ut nihil ultra desideretur. An ex jure Canonico? Non aliunde efficacius stabilitur nostra sententia, ut nervosè demonstrat P. Vazquez, & suo loco nos demonstrabimus. Jam verò Theologorum auctoritas quàm sit exigua, luculenter ostendimus: tota nempe reducitur ad aliquos modernos Probabilistas, ne illos quidem sibi concordantes, quibus repugnant plures, & graves ex eisdem Probabilistis præter Doctores reliquos, tum veteres, tum recentiores, cum communi, & Angelico Theologica Scholæ Magistro præsentam regulam Probabilistarum conceptis verbis non semel reprobante, & regulam contrariam, ut indubitam, tradente.

134. Reliquum ergo erat, ut validissimis saltem rationibus, ac penitus irrefragabilibus regulam suam Recentiores munirent. Sed nihil afferunt alicujus momenti. Immo argumenta omnia, quæ producunt, præterquamquod ingentia probant absurda, adeò efficaciter in ipsos retorqueretur, ut eorum sententiam non modò non suadeant, sed omnino potius evertant.

Utrique titulum possessionis prævalentem in dubiis de materia propria justitiæ, non nisi nimis importunè, ac inaniter transferri ad possessionem libertatis humanæ, ut in dubiis de legis obligatione homo contra Deum prævaleat, facile, & clarè monstratum est. Quid enim juris homini ex libertate sua adversus Deum allegare potest, dum dubitat, quid velit de ipso Deus? Nunquid omnino dominium voluntatis humanæ, & jus inde resultans respectu suarum actionum, non supponit in Deo necessariò dominium multò altius, & excellentius supra easdem actiones, & singulas earum? An libertas, quam possidet ad agendum benè, vel malè, facit hominem liberum à subjectione

ne Dei, ut possit jure facere, quidquid libuerit, non expectato consensu ipsius Dei absoluti, ac supremi Domini singularum, & omnium actionum humanarum? Quis affirmare audeat? Si verò nihil homo jure facere potest independentè à consensu Dei, quomodò certus erit de jure agendi, si dubius sit de ipsius Dei consensu. Ex terminis ipsis repugnat.

135. Ostendimus hoc ipsum exemplo ab humanis accepto. En, Petrus habet veram libertatem, & jus utendi rebus Francisci, si Franciscus ipse consentiat: dubitat Petrus de consensu ejus, & solvere dubium non potest. Tum verò quid dicendum? Potest ne Petrus uti rebus Francisci citrà veram ejus injuriam? Nemo sit, qui non neget inhæsitantè. At Petrus possidet libertatem suam, & melior est in dubiis conditio possidentis. Sed frivolum hoc est, & quod risum faciat audientibus. Exemplum verò jam applicatum est, & applicatione non eget. Nemo ergo mirabitur, si asseveranter dicimus titulum possessionis libertatis humanæ; adeò esse alienum, & importunum in terminis præsentis controversiæ, ut etiam incredibile videri posset, quòd in ullius mentem ascenderet. Verùm non potuit Probabilismus aliis fundamentis inniti.

136. Ostendimus præterea, discursum factum ab Esparza, & Terillo ex naturali dominio voluntatis supra omnes suas actiones, invehere in Ecclesiam, si quidquam valeat, conscientie regulam minimè tolerandam, & quæ regulam jam damnatam de tenui probabilitate, immò, & regulam olim à Caramuele inventam, sua superet laxitate. Tum insuper argumentum postremum, quòd ex lege obedientiæ debita Superioribus humanis Terillus conficiebat, clarè monstravimus, non modò non probare Recentiorum sententiam, sed nostram, & oppositam evidenter adstruere, nisi velint, ut Deus

minoris fit faciendus, quàm homo præcipiens nobis nomine ipsius Dei.

136. Tandem super hæc omnia ex principiis firmissimis à nobis præsuppositis, destructo pariter principio prodigioso de insufficienti legis promulgatione, quod est basis totius Probabilismi, regula Recentiorum, quam improbamus, illiçò apparet evidenter falsa, nullo vel apparenti tergiversandi loco relicto. Nam dubium de intrinseca, atque directa actionis honestate, est dubium de existentia legis divinæ antecedentis, atque directæ, ut est apud omnes compertum. Ergo quisquis nõ refugit cum simili dubio operari, sponte subit proximum periculum, & omnimodam contingentiam transgrediendi re ipsa legem Dei. Id verò non est querere sincero corde legem ipsam divinam, sed illam potius irridere, ac contempnere, ut nemo negare audeat. Quid ergo potest operantem juvare recursus ad principium reflexum de possessione libertatis in dubio, nisi ut concludat veram libertatem honestè contempnendi legem Dei; qua conclusionem nihil horribilius, nihil insa-

nià, ac blasphemiam plenius?

137. Nunc ergo vide, Lector, & attentè considera, quibus auctoritatis, rationisque momentis innitatur principium celeberrimum de possessione libertatis in dubiis, ex quo Neoterici Probabilistæ evidentem, conficiunt demonstrationem, quæ benignam suam sententiam reddat *ut minimum certam moraliter, & nostram improbabilem ab intrinseco*; ita enim loqui solent.

138. At hic fortè querat aliquis, contra quam legem agat, qui operatur in dubio de intrinseca, ac directa actionis honestate? Nam quisquis peccat, violat aliquam legem: sapè verò contingat, ut actio non sit mala re ipsa, adeòque, ut neque ulla particulari lege prohibeatur. Sed hoc non habet in hypothese nostra specialem difficultatem, sed communem, & omnibus expediendam in eo, qui operatur in dubio practico, aut cum conscientia erronea vincibili, qui certò peccat in utroque casu. Quid ergo sit absolutè dicendum, apparebit ex proxima Controversia, & alibi latius tractatur.

CONTROVERSIA DECIMA:

Lex Dei reflexa, aut consequens hominum opiniones, & sensa, ad quam Recentiores Probabilistæ recurrunt pro nostris argumentis solvendis, plurimis titulis fictitia, & impossibilis evidenter ostenditur.

1. **H**oc est tertium, & ultimum ex tribus memoratis celeberrimis benignæ sententiæ principiis, quod ex duobus aliis necessariò resultat; immò videtur ad ipsa præsupponi, aut in eisdem potius intimè includi, velut tota compago, aut anima Probabilismi. Id porro evidens apud omnes est, hoc unum si deficiat, aut dissolvatur, totam artificiosam, atque mirabilem Probabilismi machinam dissolvi, & in fumum, & auras evanescere.

ARTICULUS I.

*Lex illa gratis à Terillo confecta ex sua ipsa novitate refellitur:
ubi ad reliqua etiam Probabilistarum principia fit gene-
ralis quædam, & notanda reflexio.*

§. I.

*Quid prefata lex sit, & in quem
finem adinventæ?*

2. **R**egula honestatis moralis, ut sæpè jam notavimus, & exposuimus, altera est objectiva, atque adeò extrinseca nobis, & remotè se habens ad operationem moralem; altera verò intrinseca, ac formalis, sive proxima, sive remota. Hæc atamen, si propriè, & rigorosius loqui velimus, non regula simpliciter, sed propositio tantum, vel applicatio regulæ dici deberet. Sed quia jam usus communis habet, ut & hæc regula absolutè dicatur, ne detineamur vocali dissidio, illam nos etiam regulam hucusque diximus, & deinceps quoque dicemus.

3. Regula igitur objectiva ex proprio suo, ac peculiari munere, habet inclinare, movere, atque dirigere ad operationem sibi cõformem, adeòque rectam, ut proposita scilicet, & applicata per cognitionem ipsius operantis; qui scilicet intendens in ipsam regulam, debet actionem suam ad illam conformare, & exigere, alioqui non rectè, sed malè operaturus. Exemplum est simillimum in materiali regula, aut exemplari externo, quod artifex sibi proponit, ut in ipsum intentus rectè operetur in externa materia, opus videlicet artificiosum conformando cum ipsa regula, aut exemplari sibi proposito.

4. Hæc cum sint certa, & omnibus comperta, nullus hucusque noverat, vel cogitaverat regulam operandi reflexam, subsequenter, ac posteriorem ad notitiam ipsius operantis de rectitudine operationis. Enim verò, cum regula sit princi-

pium extrinsecum, mediâ notitiâ, aut cognitione sui influens moraliter in operationem, perinde omninò videtur esse adstruere regulam aliquam posteriorem ad cognitionem, per quam operatio dirigitur, ac si quis statueret aliquod principium, aut causam posteriorem effectui, vel ipsius causalitate. Finge alioqui exemplar, aut regulam externam, supponentem in mente artificis opus ipsum artificiosum jam conceptum, aut delineatum: ridiculum esset figmentum, quippè regula illa naturâ suâ foret inepta, ut moveret ad operis rectitudinem, adeòque nihil esset minus, quàm regula,

5. Nihilominus tamen Terillus, cum vel invitus non posset non videre, nullam moralem operationem procedentem ex opinione æquæ, aut minùs probabili de ipsius honestate, evasuram formaliter honestam, si nulla foret alia regula prima (id est, lex, aut voluntas Dei) præter illam, quæ nostras opiniones præcedit, & disponit de rebus secundum se: nam actionis honestas tota desumitur ex conformitate ad primam regulam honestatis moralis: opinio verò illa æquæ, aut minùs probabilis operanti, fortè non applicat regulam primam, immò, si minùs probabilis est, verosimilius est, quòd non applicet; unde, qui tali opinione utitur, judicare non potest, operationem suam esse conformem prædictæ regulæ, adeòque nec honestam formaliter: quo fit tandem, ut nunquam licitus sit usus opinionis directæ æquæ, aut minùs probabilis operanti, indeque tota corruat Probabilismi fabrica.

6. Hæc, inquam, cum Terillus non posset non videre (sunt enim per

se ipsa evidentissima) novam, & incredibilem cogitavit cogitationem, qua labentem omnino Probabilissimum iterum asserere posset. Duas ergo distinxit leges, seu voluntates: alteram, quam omnes agnoscimus, disponentem de rebus secundum se antecedenter ad judicia nostra, & independentem ab illis, quam ipse appellat legem primariam, directam, & antecedentem, atque per se existentem in Deo: alteram verò, quam vocat secundariam, reflexam, subsequenter, & non per se, sed per accidens tantum existentem, quae scilicet disponat de rebus non secundum se inspectis, sed prout subsunt alicui accidentali circumstantia, etiam à Deo non intentæ, nec volitæ, nimirum ex suppositione alicujus judicii, vel opinionis nostræ probabilis, etiam si falsa re ipsa sit, & erret circa legem directam, dicendo malum bonum, aut bonum malum; immò, licet opinio nostra non sit, nec in nostro intellectu subjectivè, sed in alio tantum existat: quin insuper (quod omnem admirationem superat), etiam si opinio contraria, & vera existat actu in intellectu nostro. Nam ex suppositione opinionis ejusmodi, etiam alienæ, jam Deus secundum Terillum revocat, ac relaxat legem suam directam, antecedentemque, & desinit præcipere, aut prohibere id ipsum, quod antecedenter præcipiebat, aut prohibebat: quin immò sæpè præcipit, aut prohibet oppositum, quoties scilicet hoc affirmat aliqua opinio probabilis, & falsa.

7. Legem hanc subsequenter, ac reflexam directæ, atque primariæ relaxativam non tantum statuit Terillus pro casu, quo conscientia formata sit ex opinione aliqua re ipsa falsa, attamen verè, licet minus probabilis in sensu benignæ sententiæ; sed etiam (quod horrendum dictu est, & in quo nemo, quem sciam ego, ausus est Terillo subscribere) universaliter, ac sine restrictione, pro om-

ni eventu, quo conscientia formetur ex errore quocunque etiam vincibili, atque culpabili: *Universaliter loquendo* (inquit) *ultimum conscientie dictamen est verum, & evidens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibili*. Ex qua generali assertione hanc conclusionem infert statim: *Voluntas conformis dictamini conscientie, etiam vincibiliter errantis, conformatur cum aliqua Dei voluntate, saltem per accidens obligante, aut consulente*. Et hanc ipsam doctrinam Terillus in utroque suo Opere non semel, aut iterum tradit, sed passim repetit, & inculcat, ut valde commendabilem, ac necessariam pro suo propugnando Probabilismo.

8. Itaque secundum Terillum, quoties Judæus, exempli gratia, obcecatisimus, & obstinatissimus firmiter apud se concludit per summam pertinaciam, & impietatem, Christum fuisse blasphemum, ac seductorem, adeoque sibi merito execrandum, hoc ipse dictamen est absolute verum, & evidens, & ex illius suppositione jam Deus ipsi consulit, aut jubet, ut Christum detestetur, atque contemnat. Et hæc doctrina (Terillo iudice, & rectissime quidem judicante) est non solum conducens, sed, & penitus necessaria ad benignam sententiam sustinendam. Admiranda sanè Theologia, & Ecclesiæ Catholicæ penitus necessaria! O Deus meus, & Magister meus! Hæc est doctrina illa, quam nisi tu docuisses Ecclesiam tuam, illam per unum sæculum deferuisses? Ita jam docetur hodie, & auditur, & creditur ab innumeris! O tempora nostra infelicia!

Veruntamen hæc dogmata animadversione dignissima sufficiat modò leviter insinuasse, & ad proprium locum remittere; postulant enim serium, ac diligens examen, quod ad tertiam partem spectat, ubi benignæ Recentiorum Theologiæ hæc, & alia quàmplura consecraria-

Terill. de
consc. pro-
ba. q. 17. n.
44.

Ibin. 45.

fi-

similia fusè, & exactè prosequenda sunt.

9. Nunc ergo legem, seu voluntatem Dei, consequentem, atque reflexam idè in hypothèsi controversiæ nostræ adstruere Terillus coactus est, ut præmittebamus, quia ejusmodi lege non posita, nequit operatio moralis conformari formaliter cum aliqua voluntate divina, proindeque nec esse recta formaliter; cujus rationem claram, & facilem, tum hic, tum alibi, sæpè reddidimus.

10. Hac verò lege, seu voluntate posita, jam optime intelligitur, inquit Terillus, quomodo proxima conscientiae regula, & actio ipsa per illam regulata, conformetur formaliter cum prima regula, nimirum cum hac ipsa voluntate, seu lege Dei reflexa, & consequenti, quæ ex prædicta suppositione opinionis directè æquæ, aut minùs probabilis, necessario in Deo resultat; Deus enim ex illa suppositione statim approbat, indulget, aut consulit, ut bonum, & honestum moraliter, id ipsum, quod per legem directam antecederet prohibebat, ut malum: & hæc ipsa voluntas consequens Dei non modò probabiliter, sed etiam evidenter cognoscitur ab operante, quippe qui certò, & evidenter novit ex principiis reflexi Probabilissimi, omne opus, de cujus honestate directæ, circumfertur aliqua opinio, etiam minùs probabilis operanti, esse prudenter, & honestè eligibile, adeoque placens Deo, & conforme cum aliqua divina voluntate.

Hæc est lex Dei reflexa non certè à Deo, sed à Terillo condita, & idè ante Terillum hominibus semper abscondita, quæ utinam in lucem nunquam prodjisset. Erravi. Utinam prodjisset in lucem statim, ac infauste concepta, atque sub densa reflexionum caligine à suo auctore genita est. Utique non vixisset, nec fefellisset.

§. II.

Lex Terilli reflexa nullo prorsus auctoritatis, rationisve momento subsistit, sed evidenter pugnat cum certa, atque communi Theologorum omnium doctrina.

11. **A**lioqui, si fallimur, aut fallimus, prodat Terillus nobis, aut Recentior alius pro ipso, vel unum saltem antiquum, aut modernum clari, aut obscuri nominis Theologum, qui memoratam legem existentem in Deo, non dico expresserit, vel affirmaverit, sed vel leviter quidem aliquando meminerit.

Porro Terillus ipse nullum omnino protulit: in quo laudanda quidem hominis ingenuitas, sed animositas, ut levissimè dixero, supra modum planè miranda. Ecquis enim non meritò formidaret in re tanti momenti, tantoque periculo plena, primus, ac sine duce, viam ingredi novam, & quæ nullius antea fuisset temerata vestigio?

12. At fortè dicat aliquis, Theologos Terillo priores, etiam si non expresserint, aut affirmaverint legem reflexam Dei, nullibi tamen illam negasse, nec aliquid aliquando docuisse, quod cum illa stare non possit: quare implicite saltem, & exercite, censeri debent illam approbasse, & ut notum principium supposuisse.

Sed hoc in primis gratis, ac sine ullo fundamento dicitur: nam vel silentium in re adeò obvia, & quæ in moralibus passim occurrat, satis ostendit, Theologos omnes præfatam legem non agnovisse, sed commentitiam omnino esse velut rem exploratam supposuisse; cur enim illam nunquam exprimerent, aut saltem leviter adumbrarent, ut passim exprimunt veram Dei legem omnibus notam, & exploratam?

13. Prætercà falsum est, ut quod maximè, Theologos Terillo antiquo-

quiores: immò, ut mirere magis, Theologos omnes, etiam posteriores (ne ipso quidem Terillo excepto) nihil unquam docuisse, quod cum lege reflexa coherere nò possit. Nam Theologos omnes antiquos, & modernos, etiam Terillum ipsum sui non memorem, passim supponere, atque docere, tanquam exploratum, ac certum, legem primariam, seu directam Dei, permanere re ipsa, & habere de se vim obligandi, non obstante, quòd detur aliqua opinio, quantuncunque probabilis, falsò negans ejusdem legis existentiam, vel extensionem, ostensum est controversia sexta, præsertim art. 4. argumentis multis, & claris, quæ iteranda modò non sunt. Et quis precor id potest non docere, aut de eo aliquando dubitare?

Terill. q.
28. de cõf.
n. 13.

Hæc verò communis, ac certa Theologorum omnium doctrina, utique non coheret, sed evidenter pugnat cum lege reflexa Terilli, quando quidem lex ista, Terillo ipso expressè fatente, quin etiam ex professo probante, contradictoriè opponitur legi directæ circa eandem actionem, ideòque, dum altera existit, alteram repugnare necessum est. Patet ergo, reflexam Terilli legem, neminem Theologorum suffragatorem, sed omnes, nullo excepto, adversarios habere præter Terillum ipsum, ejus auctorem, apertè tamen sibi contrarium, quique simul eandem & affirmet, & neget.

14. Sed scire jam cupies, quibus saltem rationibus Terillus tandem convictus sit, ut auderet invehere primus, ac sine exemplo, doctrinam usque adeò difficilem, & communi Theologiæ repugnantem? Vis, dicam breviter? Nullis omninò. Alioqui, si non tibi credibile videatur, nolo mihi violentam fidem adhibeas. Credes saltem opinor Terillo ipsi, postquam ipsum perlegeris, duobus præsertim in locis, ubi legem suam reflexam ex professo tradit, & explicat, nempe q. 11. de Conso-

proba. n. 11. & q. 28. à n. 12. utrobique nanque reperies, Terillum nihil ultra morari, quam ut, proposita, distinctione sua de duplici lege divina, per se, & per accidens existente, seu (quod eadem redit) directâ, atque reflexâ (quas easdem alibi sæpè multis aliis nominibus supra jam expressis designat), terminos duntaxat exponat, & quid utraque sit, exemplo producto, declaret: & quasi rem dixisset per se notam, & de qua nemini dubitare liceret, statim pergit, admonito, Lectore, *Hæc distinctio, utpote summi momenti omninò præ oculis est habenda.*

Terill. ibi
illo n. 11.

15. Jam verò quis cordatus, & prudenter consulens sibi, recipere non timeat in negotio æternæ salutis: immò quis dubitet incunctanter abique ulteriori examine contemnere doctrinam adeò peregrinam, ac novam, omni destitutam suffragio, & nullis fulcitam rationibus, quin, & communi omnium Theologorum doctrinæ apertissimè repugnantem? Non hic multis est opus: res ipsa clamat. Profectò, si à doctrinis similibus cavere nobis non deberemus, frustra nos admonuisse videretur Apostolus, dum denuntiavit, *Doctrinis variis, & peregrinis nolite adduci*: quid nanque per doctrinas peregrinas significare voluit, nisi (interprete Theophylacto) doctrinas aberrantes ab schola, & quasi domicilio veritatis? Quæ verò longius aberrare potest, quàm, quæ à communi omnium Theologia exorbitat?

Ad Hæb.
13.

Theophylac. in eum locum.

§. III.

Reflexio generalis magnopere notanda ad principia moderni Probabilismi.

16. **V**erùm, quia tanta hæc novitatis acceptio, in quam incidimus, non est specialis, propriave nota doctrinæ istius, quam refellimus modò; sed generalis potiùs, atque communis aliis principiis Pro-

Probabilissimi, illis præcipue, quæ à Recentioribus confidentius circumferuntur, tanquam fundamenta potissima, ac penitus irrefragabilia, ex quibus suam benignam sententiam, evidenter passim demonstrant: operæ pretium sit, hac occasione data, parumper immorari per brevem aliquam digressionem, & generaliter aliquando reflectere supra novitatem ejusmodi; est enim proculdubio valde notanda, & magnopere faciens ad præcipuum nostrum propositum.

17. Potissima verò principia, quibus recens innititur Probabilismus, ea sunt, quæ hucusque digessimus, & diligenter examinavimus. Quam sint verò cuncta recentia, veterumque Doctorum destituta suffragio, immò etiam prorsus contraria principiis in Theologia receptissimis, suis in locis sigillatim ostendimus. Porro nullum ipsorum antecessisse Probabilismum, sed simul cum eodem, immò etiam post ipsum, omnia adinventum esse, etiam contradicentibus multis ex celebrioribus Probabilistis, demonstrandum à nobis est argumentis, ac testimoniis penitus irrefragabilibus.

18. Adde, quòd illud maximum principium principiorum de insufficiency legis promulgatione, in quod cetera omnia resolvuntur (sicut, & hoc de lege reflexa, quod præ manibus nunc habemus) nunquam ante Terillum fuerat auditum, sed potius doctrina contraria, tanquam omnino certa, & ultra omnem controversiam posita, à sæculis habitata est; & quod est mirabilius, habetur etiam nunc, passimque extra illam, quæstionem traditur, & supponitur, etiam ab omnibus recentissimis Probabilistis, aperte sibi, & sæpe contradicentibus ex quadam, ut videtur, inevitabili necessitate, quam faciunt hinc studium longè maximum benignæ sententiæ tuendæ, illinc invicta virtus veritatis ipso naturæ lumine notæ. Sed & Terillum ipsum ejus principii auctorem, & invento-

rem, etiam dum tractat quæstionem ipsam, quam primus ipse invexit, & disputavit, in eandem apertam contradictionem impingere, ibidem etiam demonstrandum est.

19. Invaluit fateor nimis Probabilismus apud homines à fine sæculi sexti decimi, quo natus est, quia nimium hominibus placuit, utpote ipsorum desideriis maxime accommodatus, & pariter, quia illi, quibus displicuit, eundem apud se contempserunt, & ipsi propterea resistere à principio non curaverunt, neque alieno periculo, quantum oportuisset, rimaverunt. Sed, quia possessio regni jure non parti raro solet esse diuturna, & vix, aut, ne vix quidem, aliquando pacifica, ceperunt brevi infurgere Theologi graves, & eruditi, qui latè dominantem probabilismum, acerrimè insectati sunt, multis, ac validissimis argumentis, tum ab auctoritate, tum à ratione falsitatem ipsius demonstrantes.

20. Cum igitur augeretur in dies numerus, & auctoritas insectatorum Probabilismi, cumque fortissimè Probabilistas urgerent, quòd leviter, & ultrò recessissent à solida, & antiqua Theologia, ut doctrinam inhererent in re summi momenti non modò novam, ac inauditam, verum etiam nimis infirmam, & nullis innitentem solidis Philosophiæ, ac Theologiæ principiis, coacti demum Probabilistæ sunt in suam benignam sententiam tandem aliquando reflectere: eam verò maturius, & attentius considerantes, invenerunt in regni solio vix alio jure, quàm vulgari quodam plausu, & acclamatione sedentem, prope modum inermem, casuique pronam, & nullis undique sibi imminentibus adversariorum oppugnationibus parem.

21. Ut ergo Probabilismi sui periculo de propinquo impendenti Recentiores pro viribus obviam irent, nihil nõ tentaverunt eorum quidam eruditiores, ac subtiliores, quo benignam suam sententiam undique cõ-

mu-

munirent, atque firmarent, contra imminentes tot, tantorumque adversariorum insurgentium insultus. Caterùm, cùm in pagina Sacra, & in SS. Ecclesiæ Doctoribus, in antiquis, atque receptis solidæ Theologiæ principiis, nihil præsidii invenerint, toti se demùm ad ingenia sua, subtilitatesque converterunt, ut non nisi novum effingerent novæ benignitatis artificium, de quo verissimè dicere posses, *Factura artificium totum est.*

Ose. 13.

22. Nam ex propriis ingeniis quid proferrent, nisi apparètes quasdam, inanesque ratiocinationes magnam præferentes acuminis speciem, nihil tamen soliditatis? Quid nisi artificiosas, ac subtiles quasdam argutias labyrinthæis reflexionum, nexibus difficiles, & implicatissimas, quibus de se conspicuam, veritatem absconderent? Denique quid producerent è penu suo homines, nisi mandata, & doctrinæ hominum, quibus Dominus negat coli se velle, *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinæ, & mandata hominum?* Sapienter utique, vel Stoicus, de quibusdā similibus scriptis agebat olim, *Quedam scripta clarum tantum habent nomen: cetera ex sanguine sunt. Instituunt, disputant, cavillantur; sed non faciunt animum, quia non habent.* Diceres, si licuisset legere, hodiernos Recentiorum libros legisse.

Math. 15.

Senæ. epist. 65.

23. Porro argumenta, quæ produxerunt, alia non sunt, quàm ea, quorum potissima jam expendimus: reliqua verò levioris momenti mox etiam expendenda sunt; neque enim aliquid omitemus, quod pro benigna sententia faciat. Illa tamen Probabilistæ absque omni prorsus formidine, passim jactant, & efferunt, veluti principia certissima, ex quibus benignam sententiam facillè, & evidenter mundo demonstrent, evidentiâ non utique morali tantum, sed physicâ, si superis placet, aut etiam juxta alios (nec paucos) metaphysicâ. Unde sententiam nostram

(& consequenter quidem, quanvis alioqui nimis, & ultra omnem modum inconsequenter) neque probabilem dicere dignantur, illi præferunt, qui subtilius disputant, & sua intimius principia callent.

Caterùm qualia re ipsa sint argumenta, & principia Recentiorum, & patere jam fecimus, & faciemus adhuc deinceps. Novitatem eorum, modò notamus, quam satis etiam, clarè ob oculos Lectoris constituimus. Porro non fabulas temerè confictas, non inanes quosdam rumores, quorum plurimi passim sparguntur in vulgus, sed facta notoria narravimus; quæ præterea in secunda parte latè, atque distinctissimè demonstraturi sumus, ut nemo, nisi nimis spontè inanibus fabellis decipiatur.

24. Ex novitate verò prædicta sic in præsentem arguere licet. Si error: vel modicus, in principiis, (ut Philosophus dixit, & ex illo non, semel annotavit D. Angelicus) sit in consequentibus maximus, facillè quisque videat, qualis possit opinio esse, quam ex nullo principio antiquo, noto, certo, aut communi, sed ex principiis tantum à se ipsis inventis post ipsam conclusionem susceptam, adeoque non prioribus, sed posterioribus conclusione ipsa, colligunt ipsius Auctores; quibus, id accidit, quod de quibusdam olim acutè observavit Bernardus, *Quidam prius judicant, & postea probant:* quasi qui jaceret fabricæ fundamenta post consummatam fabricam ipsam: miram sanè inveniret ædificandi artem, mirumque ædificium construeret.

Ar. 1. de Cælo 1. 33.
D. Tho. de Ente, & essentia. in 2. & in opusculis futuræ.

Bernardus epist. 192.

25. Accedit, quòd principia Probabilissimi non solum nova sunt, ipsoque posteriora, &, quod consequens est, antiquis omnibus firmis, atque receptis Theologiæ principiis adversa; sed neque sunt communia, ut ostendimus, vel ex ipsis Recentioribus Probabilistis, apud quos nec in ipsa conclusione, neque in ipsius sensu, neque in modo, quo pro-

propugnatur, uniformis consensus est, sed magna, & mira dicendi varietas, ut satis constat, vel ex hactenus dictis, & ex dicendis postea manifestius constabit.

26. Quid igitur dicemus de benigna sententia Recentiorum post totum ipsorum laborem, post tot operosa molimina, post tot artificiosas, subtileque inventiones excogitatas, ut illam undique communirent, adversus imminentes oppugnationes? Utique dicemus, quod diximus, nullos magis, quam ipsos Recentiores sententiæ suæ nimiam falsitatem, debilitatem, & egestatem utcumque antea neglectam, ac latentem, conspicuam, ac patentem mundo fecisse.

27. Enim verò quid illà opinione falsius, quam ipsius jurati, & longè studiosissimi patroni, post improbum studium, post longam, ac diuturnam inquisitionem, post nihil non tentatum, & inventum, ut eam pugnacissime tueantur, & inexpugnabilem faciant, exerunt tandem mundo, suisque adversariis obijciunt, non ullis aliis vallatam argumentis, non aliis connexam principiis quam novioribus, infirmioribus, minus receptis, minusque probatis, ac posterioribus opinione ipsa, atque adeò non illam inferentibus, sed magis ex eadem resultantibus? Quid illam potuit magis exauthorare, minusque probabilem reddere, quam hic suorum patronorum conatus adeò contentiosus, & irritus? Planè modernis Probabilistis id ipsum contingisse videtur, quod solet perhiberi de simia, quæ ferū ipsa tenellum suum, præ nimio, quo deperit amore, stricteius amplexando præfocat. Judicem appellare licebit, vel imperitissimum quemque, ut in hac causâ sententiam ferat.

28. Si verò nostram demum, Lector, expectes, audacter affirmare promptum est: si Recentiores multa fortissima, urgentissimaque argumenta, qualia nos solvere nesci-

remus, pro sententiâ sua invenissent, nunquam eidem acquiesceremus, quin nec dubitaremus illam incunctanter abjicere, memores Nazianzeni sententiæ verè Theologicæ, ac cedro dignæ, *Nobis satis est, quod nemo ex his, qui divino numine afflari sunt, ex Patribus illis, & Magistris nostris, hanc sententiam hætenus, vel pronuntiaverit, vel pronuntiatam probaverit.* Nunc autem, cùm principia, & argumenta inventa à Recentioribus ea sint, quæ tibi exhibuimus, quod sit tandem judicium nostrum, judicare facile potes.

Hanc ex data occasione præmuturare placuit reflexionem valde notandam de novitate fundamentorum, & principiorum novi Probabilismi, de qua postea dicendum uberiùs nobis est; est enim multò adhuc majoricōsideratione dignissima. Jam ergo regrediamur in viam nostram, à qua tantillum digressi sumus.

ARTICULUS II.

Demonstratur ulterius, vel ex Terillo ipsius doctrina, ejusdem legis reflexæ implicatione.

29. **O** Mittimus argumenta omnia, quibus nimis patenter ostensum est, legem directam, Dei obligatam ad aliquam actionem, vel ad omissionem ipsius, non ideo non existere re ipsa, aut non habere vim obligandi, quòd detur aliqua probabilis opinio (in sensu scilicet Probabilistarum) negans ejusdem legis obligationem: id, quod, Terillo ipso fatente, prorsus evertit legem istam reflexam. Hæc, inquam, argumenta prætermittimus; tum, quia repetere illa non decuit, cùm ibidem videri possint; tum, quia plurima suppetunt, quæ specialiter ficitæ istius legis repugnantiam demonstrant.

Nazianz.
Orat. 2. de
Theolog.

Sup. Controv. 6. per totam.

§. I.

Lex Terilli reflexa essentialiter pugnat cum lege Dei primaria, ac directa: idque in primis convincitur ex doctrina ipsius Terilli aperte sibi contradicentis.

30. **P**onamus legem istam reflexam approbantem, aut præcipientem actionem aliquam de se intrinsecè malam ex hypothesi erroris prorsus involuntarii, & invincibilis, sive, quod idem est juxta Recentiores, opinionis probabilis re ipsa falsæ asserentis, actionem illam honestam esse, aut etiam præceptam.

Sed, ut parentior discursus fiat, definitam demus hypothesim. Putat quis per errorem invincibilem, licitum sibi esse, vel etiam necessarium ex lege charitatis, pejerare, aut saltem mentiri, ad subveniendam proximo cōstituto in aliquo ingenti discrimine, quod aliter non possit evadere. In hoc eventu (quem Recentiores, sicut similes alios, passim supponunt esse possibilem, & qui non rarò quoque contingat; nos verò ponimus disputandi gratiâ) Deus, inquit Terillus, homini sic erranti jam ex hujus erroris suppositione, consulit per legem reflexam, vel etiam jubet, ut mentiatur, aut pejeret.

31. Quare (quod est magnopere notandum), si in proposita hypothesi non detur alia lex, quàm reflexa, neque lex antecedens, sive directa Dei, extenditur ad has circumstantias, ut vult Terillus statim afferendus, verum est absolutè, mendacium, aut perjurium aliquàdo nullo modo esse illicitum, sed potius licitum, sanctum, & honestum, tam intrinsecè, quàm extrinsecè, tam materialiter, quàm formaliter, quippe quod nulla lege prohibetur à Deo, sed potius approbatur, aut præcipitur, per legem consequentem, aut reflexam, præter quam alia nulla circa objectum illud existit. Et hoc

primum portentum est, quod nova lex Terilli trudit in mundum.

32. Cæterum legem istam fictitiam esse, quippe quæ pugnet cum lege primaria, qua Deus generaliter mendacium prohibet, demonstratu sit plusquam facile. Enim verò legem divinam mendacium generaliter prohibentem, esse de se restrictam, nec extendi re ipsa ad hunc casum particularem, in quo Deus reflexè mentiri jubeat, ex ipsa terminorum acceptione patentius est, quàm ut ostendi debeat: quid etenim evidentius repugnans, quàm Deum serio, & quantum est ex se, velle, & nolle mendacium pro iisdem omnino circumstantiis?

33. Audi Terillum ipsum legem suam reflexam exponentem: *Deus* (inquit) *nullas in suis legibus ferendis præcisiones, aut confusiones admittit: Ponamus Petrum ex errore penitus invincibili existimare, se posse, aut etiam debere dimidiare confessionem suorum peccatorum: in hoc casu Petrus dimidians suam confessionem, nulli legi æternæ contrariatur, nec ullam vel materialiter transgreditur. Nulla enim datur lex æterna, quæ universim dicat, nulli unquam liceat confessionem dimidiare, quia Deus habet aliam legem æternam dicentem, Petro hic, & nunc liceat suam confessionem dimidiare. At hæc leges sunt contradictoriæ: ergo, cum certum sit secundum existere, certum est primam non dari.* Ita ille de lege sua.

Terill. de
confe. dict.
q. 28. n. 13.

Vides, qua firmitate Terillus affirmet, ac probet, tanquam omnino certum, & exploratum, legem directam Dei aliquod opus malum universaliter prohibentem, non extendi re ipsa ad eventum particularem, in quo, errore supposito, idem opus consulitur, aut præcipitur, per legem subsequenter, ac reflexam? Patet ergo, ejusmodi legem pugnare omnino cum lege directa, siquidem hæc non possit non extendi ad prohibendum opus prædictum in eo eventu particulari.

Jam

34. Jam quod extendi debeat, & re ipsa extendatur, ostendamus in primis ex Terillo, qui sui prorsus immemor, & apertissimè sibi contradicens, id docet, non utrunquè, sed tanquam evidens, ac prorsus innegabile, primò quidem universaliter de omni omnino lege, seu naturali, seu positiva. Deindè verò sermonem contrahens ad legem naturalem, sic ait: *Jam ergo evidens est hominem invincibiliter errantem circa legem naturæ, peccare materialiter, quia ponit rem, quæ verè prohibita est, etsi lex illa non sit sufficienter promulgata omnibus.* Rursus de lege etiam positiva in specie, sic cōtinenter subjicit: *Idem prorsus locum habet in lege positiva, quæ pro parvis communitatibus fertur; tales enim leges non aliter promulgari solent, quàm per hoc, quòd Superior illos in unum cogat, suamque voluntatem intimet; jam si aliquis forè sit absens, nec alii postea rem gestam narrent, lex illa nō est illi sufficienter promulgata, qui tamen materialiter peccabit contra legem verè latam, & aliis etiam sufficienter promulgatam.* Hic Terillus non semel hallucinatur circa legis promulgationem, & sibi etiam aperte contradicit, ut constat ex alibi dictis. Sed, quod ad præsens attinet, vides, quàm clarè doceat id, quod suadere intendimus, contra se ipsum in loco jam expresso oppositum, tanquam certum, docentem.

35. Præterea urgeamus exemplum illud de lege generaliter prohibente mendacium, in quo veritas ista clarior apparet, quanvis alioqui, ut rectè Terillus ipse docet, eadem ratio sit de cæteris quibuslibet legibus ad suam propriam materiam comparatis.

Igitur, quòd lex illa extendatur ad casum, quo quis invincibiliter circa mendacium erret (si talis casus possibilis sit), videtur certa, & communis sententia apud SS. Patres Ecclesiæ sæpè docentes universaliter, nullum prorsus mēdacium aliquan-

do licitum esse ex aliquo possibili fine, nec in aliquo eventu cogitabili. Maximè verò omnium Augustinus multus, ac frequens est, ut scitur, in hac veritate docenda, præsertim illis duobus libris *de mendacio*, & *contra mendacium*, quos li. 1. Retractat. e. ult. ipse Augustinus meminit, ac probat., ubi non tantum ex Scripturis, sed multis etiam, iisque subtilibus, & acutissimis argumentis demonstrat, nullum esse possibile mendacium, quod non sit malum, & contra legem Dei. Unum solum, vel alterum producam in specimen, ut manifestum fiat, quàm certam, & immobilem Augustinus veritatem istam censuerit.

36. Igitur postquàm latè recensuit diversa genera mendaciorum, & de singulis sigillatim ostendit fugienda esse tanquam peccata, concludit tandem sic: *Quisquis autem esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitretur aliorum.*

37. Præterea ita subtiliter argumentatur: *Nihil aliud judicandus est dicere, qui dicit, aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata, ac per hoc aliqua justa esse, quæ injusta sunt. Quo quid absurdius dici potest? Unde enim est peccatum, nisi quia contrarium justitiæ est? Ea verò, quæ contra legem Dei sunt, justa esse non possunt. Dictum est autem Deo: Lex tua veritas. Ac per hoc, quod est contra veritatem, justum esse non potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse omne mendacium? Nullum igitur justum potest esse mendacium.*

38. Accipe tandem, ut cætera præteream, egregium in id ipsum, ratiocinium divino dignum Augustini ingenio: *Nemo (inquit) potest convincere aliquando esse mendacium, nisi qui poterit ostendere, eternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Sed, cum tantò quisque ab eternitate discedat, quantò à veritate discedit; qui autem mentitur, à veritate*

Aug. li. de Mendac. c. 21.

Lib. contra mendac. c. 16.

Lib. contra mendac. c. 7.

Terill. 2. p. de Regu. mo. q. 43. n. 60.

Ibi n. 41.

Sup. contr. 6. a. 3. & 4.

discedat: absurdissimum est dicere, discedendo inde, ad boni aliquid posse aliquem pervenire. Aut, si est aliquod bonum aeternum, quod non complectatur veritas, non erit verum: & ideo nec bonum erit, quia falsum erit. Injuria fieret Augustini, sive doctrinae, sive auctoritati, si quidpiam verbis ejus adderemus. Clariora sunt, quam ut egeant interprete.

39. Eja pergit, Recentiores, & dicite, mendacium non est malum ex terminis, non est peccatum ex conceptu suo, non est iniustum quid, non est contrarium divinae legi: immò verò mentiri aliquando licitum est, quin & valde laudabile, honestum, sanctum, Deo gratum, & placens, immò ab ipso Deo præceptum, aeternaque beatitudinis dignum, quoties nimirum homines sic deliraverint, si quidem inculpate, aut probabiliter. O novam! o mirabilem Probabilistarum Theologiam! Quid igitur Augustinus asseruit, turpe esse docere, mendacium aliquod non esse peccatum? perinde esse dicere, mendacium aliquod justum est, ac si diceret, aliquod peccatum est iustum? non magis esse certum, mendacium esse contra veritatem, quam esse contra legem Dei? tam non posse quem tendere per mendacium in beatitudinem, quam tēdere non potest in veritatem? Hæc porro frustra, & falsò Augustinus docuisset, si Recentiores vera docerent.

40. Sed facessat auctoritas Augustini, quanvis alioqui summa inter homines. Nobis profectò Recentiorum doctrina infallibilis Dei oraculis videtur manifestè contraria. Enim verò mendacium in Scripturis sanctis passim damnatur, ac prohibetur, verbis expressis, ac generalissimis, quæ nullam exceptionem patiantur, & in hoc semper sensu à SS. Ecclesiæ Doctoribus divina lex de mendacio fugiendo exposita, ac proposita nobis, immò & ipsius Ecclesiæ Catholicæ unanimi consensu recepta est.

41. Ita per omnem modum(in-

quiunt Probabilistæ), nisi quis per errorem invincibilem aliquādo crediderit, mendacium esse licitum, aut etiam à Deo præceptum; tunc enim jam mendacium non est prohibitum per legem Dei, immò verò præcipitur, aut saltem approbatur, per aliam ejus legem subsequenter ad hunc errorem.

42. Sed rogo cum Bernardo, de quonam mihi Evangeliorum loco producat istam exceptionem? Utique, glossa ista vestra est, non Ecclesiæ Catholicæ, non sacrorum ejus Doctorum, non Augustini, non Ambrosii, non Thomæ: postremò non ullius, vel infimæ notæ Doctoris, aut Scripturarum interpretis. Alioqui nobis producere, vel unum saltem, qui ante Terillum vestrum aliquando docuerit, aut insinuaverit, mendacium aliquod justum esse, & honestum materialiter etiam, ac intrinsecè; & ultrò nostram deceptionem fatebimur; aliàs verba voluntia, quæ facillimè dantur, etiam facillimè contemnuntur.

43. Et cur amabò non prodeat alius, cui delirare placeat per similem licentiam, mendacium esse malum, & lege divina prohibitum, quando nocet alicui, vel quando non est utile, aut necessarium ad celandum secretum, vel ad aliud malum vitandum: si verò ad hoc deserviat, aut necessarium sit, mendacium neutiquam malum esse, sed laudabile potius, justum, ac sanctum, placens Deo, & ab ipso aeternā gloriā remunerandum? An non delirum istum tanquam sacrilegum perversorem intemeratæ legis divinæ, & Scripturarum Sacrarum, omnes Catholici exploderemus? Annuet opinor omnis Catholicus. Sed unde precor? Quibus argumentis, si tot, tam generalia, tamque expressa Dei verba, quibus mendacium omne damnatur, si Sanctorum Doctorum communis expositio, si unanimis fidelium consensus, à quo ad id tempus nemo discesserat, non sufficiant ad con-

Bernard.
Serm. 67. in
cant.

convincendum, legem prohibentem mendacium, extendi ad omne mendacium possibile, nec ullam aliquando pati exceptionem? Amoveo calamum penè rubescentem; ecquem enim non pudeat his immorari? Hæc porro inter Catholicos, non disputanda sunt, sed increpanda. Et placet adhuc Probabilismus?

44. Evidens ergo sit in Ecclesia Catholica, & ultra omnem controversiam positum, nullum esse mendacium possibile, vel cogitabile, quod non sit malum, & à Deo prohibitum ex quacunque suppositione. *Nullum justum mendacium: omne mendacium in omnibus est peccatum: omne, quod à veritate discordat, iniquitas est*, ait Bernardus, tot, tantisque expressionibus veritatem istam statuens, ut nullam unquam aliquis cogitare exceptionem audeat.

45. Patet ergo, legem divinam antecedentem, atque directam universaliter prohibentem mendacium, necessariò extendi re ipsa ad omne mendacium possibile, atque adeò ad mendacium etiam, quod homo per errorem invincibilem judicat esse licitum, aut à Deo præceptum. At, si verum hoc est, fieri nequit, ut per legem reflexam, & consequentem errorem illum, Deus mendacium approbet, aut præcipiat, ut de se evidens est, & Terillus docet, ac probat: ergo lex reflexa Terilli coherere nò potest cum lege Dei primaria, ac directa. Cùmque una sit, & eadem ratio, fatente ipso Terillo, de cæteris omnibus legibus ad propriam suam materiam comparatis, consequens tandem est, ut omnis lex reflexa, & consequens nostros errores, fictitia, & impossibilibus evadat: idque ex doctrina Terilli ipsius, qui novi hujus partus, seu abortus Theologici, & parens simul est, & peremptor, ut, vel hoc saltem titulo, de Theologia benè mereatur.

§. II.

Duplicis objectionis Recentiorum nullitas breviter insinuat, & utriusque difficultatis solutio in proprium locum expedienda remittitur.

46. **O**bjicient Recentiores, hinc fieri, ut nulla sit possibilis actio procedens ex errore invincibili, quæ sit honesta, ac bona moraliter, absolute videlicet, & positive. Sequela autem, inquit Terillus, absurdissima est, & contra unanimem Theologorum consensum; nemo nanque invenitur ex iis, qui à centum annis scripserunt, qui neget, voluntatem concordantem rationi, siue conscientie erranti invincibiliter, esse laudabilem, & honestam moraliter. Quam sententiam affirmat docuisse sine dubio S. Thomam, eandemque latissime Terillus ipse suadere conatur omni genere argumentorum, in quibus nescias, quid mirere magis, an importunitatem, & inefficaciam ipsorum, an confidentiam nimiam, qua efficaciam eorum, velut irrefragabilem Terillus commendat, & jactat.

47. Verùm hæc difficultas huius loci non est, & ad postremam partem spectat, ubi diligenter tractabitur. Interim libentissimè concedimus sequelam, quæ certè non absurda, sed verissima est, & quæ doctrinam continet apprimè còsentaneam solidæ, & antiquæ Theologiæ, de qua proinde nemo dubitasset, nisi in mundum venisset Probabilismus, cujus doctrina opposita germen est simile quàm pluribus aliis ex hac nova radice pullulantibus. Et quid precor incredibilius ex ipsa terminorum acceptione, quàm quod opus malum re ipsa, & solum per errorem ab homine bonum putatum placere Deo possit, & ab ipso bonum putari: qui scilicet, ut sapienter Bernardus, *Sapiens numularius est, imò ipsa sapientia, cui necesse habemus*

Terill. r.p. de Regu. mo. q. 3. per totam.

Bernard. ferm. 2. de S. Andr. init.

red-

Bern. li. de modo bene vive. ferm. aut cap. 31.

reddere hunc obedientia numum: nec suscipiet eum, nisi & integer inveniat, & sine aliqua falsitate?

48. Præterea, etiam in eo, quod Terillus affirmat de uniformi consensu Theologorum à centum saltem annis, in ea sua doctrina tradenda, fallitur manifestè, ut palàm in loco faciemus. Cæterum turpius fallitur, & multò minùs excusabiliter, dum illam audet D. Thomæ appingere, circa cujus mentem clarissimam adeò crassè Terillus hallucinatus est, & adeò nulla data occasione, ut vix de viro docto, & sincerè docente videri credibile posset. Sanè Doctor Angelicus sententiam nostram non modò clarè, ac disertè docet, sed adeò certam illam existimavit, ut dixerit, quæstionem non intelligere, qui de hac veritate dubitaverit. Et planè mirabile est, quòd operatio aliqua, quæ conformis supponitur conscientiæ erroneæ, nimirum regulæ non rectæ, sed obliquæ, possit ab aliquo recta existimari. Sanè non crederetur, si factum sineret dubitare. Scimus, Recentiores ex suis principiis reflexis elicere dictamen rectum, ut ipsi ajunt, quod sit regula proxima operationis. Cæterum hoc dictamen innititur omninò legi reflexæ, quæ quàm sit recta, statim videbis, & miraberis.

D. Tho. 1.
2. q. 19. a. 6.

Sed de doctrina ista, quam obiectio supponit, ubertim dicemus in loco, ubi facilè etiam ostendemus, Terillum manifestè deceptum per æquivocationem insignem circa mentem Angelici Doctoris, alios Probabilistas posteriores se decepisse. Lege interim precor Doctorem ipsum Sanctum, etsi sincerè legas, & attentè, haud verebor, ne fortè de mente ipsius, vel levisimè ambigas.

Hæc pauca modò prælibanda fuerunt, ne quæ fortassè titubare faceret ingens ille Terilli strepitus circa doctrinam præcedentis: quæ quidem adeò firma, ac solida est, ut se sola sufficiat ad refellendam sequelæ ab-

surditatem, quam Recentiores nobis obijciunt; nihil enim absurdum inferri legitime potest ex doctrina verissima, atque certissima, quam vel Terillus ipse coactus est docere, etià contra se ipsum apertissimè sibi contradicentem.

49. Obijcient iterum Recentiores, fieri itidem ex doctrina nostra, ut conscientia erronea nō liget; nam, ut ait S. Thomas, *Secundum hoc... ligare conscientia dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurrit*. Peccatum verò nemo incurrere potest, nisi violat aliquam legem: ergo, nisi adstruatur lex reflexa, per quam Deus præcipiat conscientiam erroneam implere, hæc neminem ligabit; quod tamen temerarium, ut minimum, aut fortè erroneum esset asserere.

50. Hæc item difficultas communis est, & eodem etiam spectat. Ostendemus autem ibidem, quomodo conscientia non liget, quoties erronea est, in vi alicujus veræ particularis legis præcipientis per accidens, ac reflexè, implere ipsam conscientiam erroneam; sed in vi legis universalis per se, & antecederet prohibentis velle malum & Deum offendere, ac veram ejus legem contēnere, quod suo loco explicabimus.

51. Sanè D. Angelicus præmissis verbis continenter subjunxit, *Non autem hoc modo, quod aliquis implens, rectè faciat*, quibus apertè reprobatur legem reflexam; etenim juxta ipsam, & ejus assertores, qui implet conscientiam erroneam (invincibilem saltem) non solum excusatur, sed rectè facit. Hoc, quanvis sit verissimum, & in sana Theologia certum, fateor implexum est, & explicatu certè non facile. Videri interim possunt admodum R. P. Thyrsus, noster Præpositus Generalis, nec non PP. Palancus, & Muniessa sapienter, & acutè more suo difficultatem hanc enodantes, quanvis, ut verum fatear, majorem adhuc declarationē exposcat.

Ve-

D. Tho. q.
17. de ve-
ritat. 2. 4.
corp.

52. Verum quid hoc ad legem reflexam? An non conscientia erronea, etiam vincibilis, & culpabilis, ligat? Exponant ergo Recentiores, qua lege? Neque enim dici potest, Deum per legem suam præcipere blasphemias, & horrenda quæque flagitia, etiam in circumstantiis, in quibus vera sunt, & formalia peccata, & homines constituunt verè peccantes, si verè Deus noster sanctus est, & non Deus volens iniquitatem.

Phil. 5.

53. Scio quidem Terillum hujus sequelæ horrore non territum, tanti consequentiam fecisse, tantique habuisse legem suam reflexam, ut etiam ad eventum erroris simpliciter culpabilis, ac voluntarii, non timuerit illam extèdere, ut datis propriis ipsis verbis, superius adnotatum relinquimus. Sed hoc est monstrum quæque deglutire, ne unquam evomatur Probabilismus, qui certè si non aliter potest subsistere, ut Terillus existimat (& rectissime), nimis ipsum amaverit necesse sit, qui non ab eo cum horrore discedat.

54. Sanè non modò quando scelera illa procedunt ex errore vincibili, & homini imputantur ad culpam, sed etiam dum procedunt ex errore invincibili, qui totam culpam formalem evacuet, horridum nobis est affirmare, Deum illa consulere, aut præcipere, & hominem, dum mentitur, aut pejerat agere juxta Dei voluntatem, quod esse prorsus indecens, repugnantque sanctitati divinæ, optimè demonstrat, & fusè, ex Scriptura, & Patribus potissimum, insignis ille Theologus, ac planè eruditissimus, P. Montoia in tractatu de voluntate Dei.

55. Porro nullum perjurium, aut mendacium ex suppositione quacunque Deum verum habet auctorem, sed magis illum, qui mendax est, & auctor scelerum omnium. Alioqui precor homo, quando jam sapit, & pristinum errorem dediscit, cur non gaudere poterit, ac delectari de suo perjurio, aut mendacio per

errorem illum admisso? Cur non possit consulere, aut hortari, vel saltem optare, & gaudere, quòd alter pejeret, aut mentiat, si credat ipsum ignoranter se gerere? Nunquid voluntas hominis purior, aut sanctior est, vel magis debet abhorre à peccatis, quàm voluntas ipsa divina totius sanctitatis fons, totiusque puritatis origo? Hæc, & alia quàmplura, quæ ex lege Recentiorum reflexa sequitur inevitabiliter, ab omni sana Theologia exorbitant, ut suo loco monstrandum est argumentis, sanè Theologicis.

§. III.

Duplex per occasionem Corollarium.

56. **H**ic ergo (ut obiter hoc adnotemus) displicet etiam doctissimus Mercorus, licet alioqui nobis gratissimus, qui absolute concedere videtur, licere Confessario aliquando conjuges ignorantes invincibiliter nullitatem conjugii sui, non solum non monere de illa, verum etiam inducere, & hortari ad conjugale debitum sibi reddendum, si ex nullitatis manifestatione aliquod majus malum timeatur.

Merco. in
Bas. Theo.
mora. p. I.
a. 7.

57. Nos (quidquid modò de silentio sit, de quo fortassis altera die) doctrinam hanc probare non possumus, miramurque à Mercore fuisse probatam. Nam, quod in se turpe, ac malum moraliter est, potest quidem ex aliqua suppositione licite aliquando permitti; ex nulla verò, quæ malitiam non auferat, potest ab aliquo intendi, nec amari, aut in se ipso, aut in quocunque alio: nec voluntas ejusmodi Deum habere potest auctorem, cujus nempe sanctissima voluntas nunquam prosecutione fertur in malum, licet illud sanctissime permittat.

58. Ob eandem rationem, immodò à fortiori, ut ajunt, displicet nobis, & vehementer, eorum Auctorum opinio, qui docuerunt, licitum esse

esse, homini ex se parato ad perpetrandum majus peccatum, consulere, ut non illud, sed minus aliud perpetraret, si quidem aliter averti non possit ab iniquo illo proposito majoris peccati patrando.

59. Haud credimus, Doctores, praesertim graves, & scholasticos, qui opinionem illam tenuerunt, egisse de consilio verè tali, nimirum practico, & inductivo ad committendum minus peccatum, etiam ex fine majoris vitandi; sed de consilio purè speculativo, atque permissivo duntaxat: videlicet, ut liceat illi obstinato homini objicere, aut proponere, peccatum minus, non eo fine, ut illud exequatur, sed unice ut abstineat à peccato majori, quanvis consulens timeat, aut praevideat, fore ut alter committat minus peccatum; tunc enim consulens nihil malum intendit, neq. aliud sequitur ex illius consilio, quàm fuga majoris peccati: peccatum autem minus unice sequitur ex malitia peccantis; à consulente verò solùm permittitur ex rationabili, & honesta causa: unde absolurè consilium ejusmodi (si consilium dici mereatur) censeri debet honestum, ac laudabile.

60. Quidquid verò de hoc sit, (quod per se satis verosimile est) opinio illa in primo sensu accepta valde displicet nobis, nec ab aliquo Theologo debet probari: quia ex nullo prorsus fine, quantunvis optimo, & honestissimo, amare licet, vel in se, vel in alio, ne dum procurare, aut intendere, vel minimum malum morale. Utrique illa sententia, *Non est faciendum malum, ut veniat bonum*, de malo morali intellecta, est in moralibus principium plusquàm certum nullam omninò exceptionem admittens, & rationis lumine notum; quod enim malum moraliter est, nunquam potest honestè eligi ex fine aliquo cogitabili, aliàs esset moraliter malum, & bonum, indeque in ipsis terminis implicaret.

ARTICULUS III.

Eadem lex reflexa, & consequens nostros errores, alia item ratione ineluctabili, absurda, & impossibilis demonstratur.

61. **P**onimus legem istam Terilli novā, ut ab ipsomet ponitur, ita videlicet relaxativam legis di rectæ, & antecedentis, ut hæc reverà non extendatur ad prohibendam illam actionem, quæ per legem reflexam consulitur, aut imperatur; sed potiùs talis actio pro illo homine, & pro his circumstantiis, pro quibus reflexè præcipitur, re ipsa excepta sit à lege Dei primaria, ac directæ, neque sit objectum ipsius. Ita debere adstrui legem reflexam, Terillus ipse, ut vidimus, & probat, & ut certum supponit. Et reverà non posse aliter fingi, vel cogitari, evidens est, vel ex proximè dictis, alioqui Deus verè moveret, vel positivè induceret hominem ad violandam legem suam divinam primariam, & antecedentem, essetque verus, ac proprius auctor actionis, per quam homo facit re ipsa contra Dei voluntatem summè averfantem talem actionem, & prohibentem ipsam, per se sub pæna damnationis aeternæ; quæ certè si non sint repugnantia, nihil jam poterit cogitari repugnās.

§. I.

Præfata lex tantum abest, ut proficiat ad rectam cōscientiam formandam juxta principia novi Probabilismi, ut ipsos potiùs Probabilistas ad evidentem cogat contradictionem; præcipue vero Terillum ipsum hujus novæ legis auctorem.

62. **T**erillus legem suam reflexam extendens, ut jam vidimus, ad suppositionem erroris, etiam vincibilis, ac voluntarii consequenter, immò à fortiori, negare de-

debet, actum quemcunque procedentem ex tali errore, prohiberi re ipsa lege directa ex prædicta suppositione, alias Deus reflexè consuleret, atque præciperet violationem formalem, ac voluntariam legis directæ suæ, quod horrendum est dictu, & Catholicis auribus non tolerabile.

63. Aliunde verò ejusmodi exceptio ignorantiae peccata verè talia, quæ, salva fide, aut saltem salva Theologia, à nemine possunt negari, planè, ac plenè de medio tollit; quomodo nanque verè peccatum erit opus nulla lege prohibitum, immò verò conforme positivæ Dei voluntati? Ut summum dici poterit malum, sive peccatum extrinsecè duntaxat, ac purè denominativè, ut Terillus tandem fatetur (cui plures sub his terminis Recentiores subscribunt), idest, non verè, sed nomine tenus; nempe opus in se bonum, laudabile, & honestum moraliter; procedens tamen tanquam ex causa ex aliquo peccato præcedenti; quod ingens aliud portentum est, sed cui multa similia ex propria sua indole modernus ferat Probabilismus. Utrâlibet Terillus viam eligat, non viæ se, sed præcipitio dabit.

64. Cæterum, ut magis mireris, non alterutram eligit, sed utranque; dum ex una parte contendit, opus elicitum ex errore vincibili *conformari cum aliqua Dei voluntate, saltem per accidens obligante, aut consulente*, adeoque non esse peccatum, nisi denominativè tantummodò, ut frequenter docet, & repetit: ex altera verò fatetur, *Si dictamen (errorneum) conscientia permittentis sit vincibile, utique, qui sequitur tale dictamen, non facit opus bonum, sed peccat*. Attende, Lector, Theologiam benignam, & coherentiam doctrinæ ejus: nempe opus procedens ex errore vincibili, non est opus bonum, sed peccatum: at simul est honestum, Deoque placens; nam *conformatur cum aliqua Dei voluntate, saltem per accidens obligante, aut consulente, &*

certum est (Terillo docente), *actum conformem legi æternæ existenti per accidens, esse honestum, Deoque placere, quavis objectum, quod ponit, non conformetur legi æternæ, quæ per se disponit de rebus*. Hæc Terillus. Quid possumus objicere ipsius benignæ Theologiæ ultrò admittenti peccatum honestum, Deo placens, & ita placens, ut illud etiam præcipiat, aut consulat? Tot, & tanta Terillus miscet absurda, etiam apertè secum pugnantia, ut modernum sustineat Probabilismum.

65. Modò verò propositam assertionem sub terminis præsentis controversiæ, & in sensu, quo Recentiores benignam suam sententiam defendunt, facilè demonstrare promptum est.

Equidem juxta alteram viam, seu modum formandi conscientiam, nimirum contra propriam opinionem actu existentem in mente operantis, facillimè ostenditur sic. Qui contra propriam suam opinionem actualem de parte minùs tuta, format conscientiam, opinatur actu directè, contractum, v.g., quem init, secundum se, & intrinsecè malum esse, atque adeò re ipsa per legem aliquam sibi prohibitum. Aliundè verò, inspecta opinione contraria, reflexè judicat certò, & indubitanter, eundem hunc contractum sibi absolute licitum esse. Ergo judicat certò dari legem reflexam sibi approbantem talem contractum. At, qui judicat dari legem reflexam contractum hîc, & nunc approbantem, judicare tenetur, contractum nulla lege esse sibi prohibitum, quia lex illa reflexa, teste Terillo ipsius inventore, contradictoriè opponitur omni legi prohibenti contractum pro illis circumstantiis: ergo judicare tenetur, contractum pro eisdem circumstantiis esse per legem aliquam, & non esse sibi prohibitum: ergo cogitur necessario ad evidentem contradictionem.

66. Juxta alteram verò Reflexi-

H h sta-

Idem Terillus q. 28. de consensu. 12.

Terill. 2. p. de Regu. mo. q. 62. n. 20.

starum viam, seu modum formandi conscientiam, videlicet contra opinionem operanti probabiliorem de intrinseca contractus inhonestate, eodem argumento contradictio vincitur: quia, licet operans actu non iudicet, contractum esse re ipsa injustum; iudicat tamen verosimilius esse, quod injustus re ipsa sit, & directe lege prohibitus; aliunde verò certo iudicare tenetur, nulla lege directe prohiberi, quia certo iudicat, eundem contractum approbari lege reflexa condictione opposita legi directæ: ergo iudicare tenetur verosimilius esse dari legem directam prohibentem illum contractum, & simul certum esse non dari, quæ non est minus evidens contradictio.

§. II.

Evasio Recentiorum ex doctrina Terilli longe singularissima.

67. **A**D hæc adeò patentia Probabilistæ, qui le viter controversiam istam tractarunt, quique artificium sententiæ benignæ intimius, ac subtilius penetrare, vel non valuerunt, vel non curaverunt, non video, quid reponere, vel apparenter, possint.

Terillus, qui modernum Probabilismum, informem olim, & impolitam molem, in novam quandam formam construxit, multa subtiliter excogitavit, quibus adversis posset utcumque oppugnationibus obviare. Sed verò nemini venisset in mentem q. 30. de consc. proba. ac sæpè aliàs repetit, & statuit absque aliqua omnino probatione, nec ullo alio fundamento subnixam, quam necessariæ cuiusdam connexionis, inevitabilisque sequelæ ex ipso suo Probabilismo, qui, licet adeò recens, maior tamen est natu, & antiquior re ipsa principiis omnibus, quibus à Recentioribus propugnatur, ut sæpius jam advertimus, & ostendimus,

& supra generaliter notabamus.

68. At ergo Terillus (quod jam item superius insinuavimus), opinionem probabilem, qua quis directe iudicat, objectum esse illicitum, licet videatur assertio absoluta, & quæ absolutis verbis proferatur, retamen ipsa intus, & in mente habere sentium non prorsus absolutum, sed virtualiter saltem, æquivalenterve conditionatum. Sed præstat ipsa dare Terilli verba, ne quid fortassis imponere videamur.

Aliquando (inquit ipse) per propriam sententiam solum speculative affirmamus aliquid esse illicitum; tunc scilicet, quando ita de illo enuntiamus, ut existimemus, ejus inhonestatem fore certam, si veritas ipsa constaret. V.g. multi putant octo uncias esse quantitatem vetitam pro refectumcula die jejunii vespere sumenda. Hoc dupliciter affirmari potest, primo, ut quis absolute omnino existimet, talem quantitatem esse prohibitam; secundò, ut ita solum existimet, quantitatem illam esse vetitam, ut iudicet id fore certum, si veritas rei constaret. Jam hoc secundum iudicium non est omnino absolutum, sed æquivalenter saltem conditionatum modo jam explicato. Primum iudicium excludit bonam fidem de honestate talis operis, ut ostensum est. At secundum compatitur dictamen conscientie de ejusdem honestate, nam etsi credam, nos certo scituros talem quantitatem esse nimiam, si veritas ipsa constaret, quia tamen non absolute omnino iudico verum esse, quod quantitas illa sit nimia, idèò reflexè possum simul existimare, quod in hac rerum incertitudine certum sit legem nullam sufficienter promulgatam esse, quæ me arceat ad abstinendum à tali quantitate. Atque ita in hoc casu, aliisque similibus licitum est contra propriam sententiam operari. Hactenus absoluta, & decretoria verba Terilli nullâ prorsus, ut cernis, auctoritate, nulla probatione munita.

69. Ex hac verò doctrina nostro argumento facile Recentiores occurrant.

Sup. ex
trov. 8. ad
5. 21

Terill. q.
30. de con-
sc. probam.
9.

rant. Respondebunt scilicet, nullam esse contradictionem opinari directè objecti inhonestatem, aut maiorem ipsius verosimilitudinem, & simul enuntiare reflexè absoluto, ac certo iudicio ejusdem objecti honestatem; proindeque existentiam legis reflexæ ipsum vel præcipientis, vel approbantis; quia iudicium directum est virtualiter saltem cōditionatum; nec omninò absolute affirmat existentiam legis directæ prohibentis illud objectum. Iudicium verò affirmans non absolute, sed conditionatè inhonestatem alicujus objecti, non contradicit absolute iudicio de ejusdem objecti honestate, ut ex Dialectica notum est.

70. Ecce jam intimam, ac subtilissimam mirifici artificii compaginem tandem aliquando caluimus. Ecce tanti mysterii recessus abditissimos, Deo auspice, penetravimus. Ideò nempe opinio directæ falsæ, aut minùs probabilis operanti de honestate alicujus operationis, fundare potest legem reflexam talem operationem approbantem, proindeque conscientiam rectam, ac tutam, quia operans directè non opinatur, suam operationem esse inhonestam iudicio penitus absolute, sed virtualiter saltem conditionato. Deo sint gratiæ. Videamus attamen quid credere debeamus.

§. III.

Subtilis hac Terilli doctrina, per quam nostro argumento occurritur, non alio fundamento confecta est, quàm consequentiæ necessitate cogente, quippe quæ sit evidenter falsa ex communi mortalium sensu.

71. **N**ulla sit adeo exotica, aut irregularis opinio, ut illam cuique propugnare non liceat, si fas sit nova quæque ad ipsam sustinendam necessaria, velut indubitata principia cudere gratis, & absque aliqua probatione, immò ve-

rò contra receptam, & communem omnium doctrinam. Id equidem per se, & in quavis materia absurdum: at in doctrina fidei, & morum, non modò absurdum, sed planè intolerandum, nullus opinor sit, qui non iudicet.

Hæc est ratio, ob quam diximus, nullos magis, quàm ipsos Recentiores, Probabilissimi sui falsitatem, contra intentionem suam revelasse, & compertam mundo fecisse; sed præ cæteris omnibus Terillum, quippè qui omnium diligentissimè, ac subtilissimè controversiam versans, plurima excogitare coactus sit pro sententia benigna sustinenda, ante ipsum nunquam audita; quæ tamen ita præfidenter statuit, ac si forent principia receptissima, de quibus dubitare liceret nemini.

72. Nemo verò miretur, aut ægrè ferat, si toties de re ista Lectorem nostrum admonuerimus: ut enim, si accuratè observetur, nihil sit efficacius ad certam veritatem, quam ostendere cupimus, persuadendam: ita, nisi frequenter adnotetur, atque præ oculis semper habeatur, quàm facillime poterunt, præsertim ii, qui in rebus Theologicis magnopere versati non sunt, noxiam incauti deceptionem admittere. Et eò sanè incautiùs, atque faciliùs, quò principia recentia, ac singularia, quæ Probabilitate confingunt, perinde ac si verè principia forent à sæculis in Theologia recepta, confidentissimè passim efferunt.

73. Denique quis non hareat? Immo quis non fallatur, dum audit non vulgarem aliquem, & parùm exactum Summistam, sed Terillum, insignem planè Theologum, acutissimi virum ingenii, eximieque prudentem, eruditum, ac pium, singulis penè paginis detonantem, se pugnare pro solidissima, antiquissima, communissima, totius Ecclesiæ doctrina, pro conscientiarum pace, pro salute animarum, quam importu-

H h 2 nif.

nisimè impediunt, in ingensque discrimen adducunt pauci quidam moderni Theologi contra communem omnium consensum, & his sexcenta alia similia? Hæc profectò, sicut viris prudentibus, & mediocriter saltè eruditis, non nisi risum movent; ita etiam incautos, & imperitos quosque facillimè deludunt, ac fallunt, maximè cum error inductus, sensus inclinationi, humanæque libertati blandiatur.

74. Jam ergo assertio nostra patet in primis ex iis, quæ diximus contròv. 8. art. 3. §. 2. ubi modum hunc opinandi conditionatum, atque restrictum, multis ostendimus nimis absurdum esse, ineptum, subdolum, & captiosum, irregularem, & incredibilem, contra communem omnium existimationem, ac praxim, alienum à Christiana sinceritate, quique præcipuè in rebus Theologicis insignia afferat moribus præjudicia.

75. Equidem, quidquid sit de circumloquiis Reflexistarum, quibus per reflexiones artificiosas rectam conscientiam formare docent contra id, quod quis judicat unicè honestum, aut judicare prudenter potest, nemo hactenus dubitavit, dum quencquam audit directè loquentem, scribentem, aut disputantem, & verbis absolutis proferentem judicium suum de actionibus humanis secundum se, & penès proprias earum naturas: nemo, inquam, quæsit, vel dubitavit, an absolutè judicet internè, tales actiones esse naturà suà, & secundum se inspectas, determinatè bonas, vel malas, idest, per legem aliquam prohibitas re ipsa, vel non prohibitas, nisi fortè aliquando suspicetur, aut timeat, ne loquens velit studiose decipere.

76. Dicat quis absoluta, ac seria enuntiatione, *hoc, vel illud objectum natura sua malum, & illicitum est*. Rogetur, an id judicet absolutè, an conditionatè duntaxat? Certè ridebit, aut irascetur. Et jure; nam alio-

qui nihil esset hominibus absolutè credendum circa internum sensum ipsorum, nisi dum reflexè affirmaverint, se internè judicare simpliciter id ipsum, quod per verba significant. Quin immò, nec sic quidem acquiesceremus; nam de ipsa reflexa affirmatione adhuc dubitare possemus, num sensum absolutum, num restrictum, seu conditionatum haberet? Quid ineptius? Quid potest absurdius cogitari? Quid, quod magis repugnet, & humano convictui, & communi mortalium sensui?

77. Dic oro te, an hic novus, artificiosusque modus opinandi, ac loquendi, Christianam deceat sinceritatem, præsertim directorum, ac magistrorum Christiani populi, quos suo exemplo Apostolus instruit: nos, inquit, *Abdicamus oculi culta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo*. Vide, an doctrina ista conveniat cum doctrina Recentiorum? Vide, an illi, qui utantur artificiosis illis restrictionibus, quas benigna Theologia docet, *commendant semetipsos in manifestatione veritatis ad omnem conscientiam hominum coram Deo*?

78. Præterea, quando Theologi, præsertim graves, & scholastici, disputant morales quæstiones, saltem ut plurimum, ac per se loquendo, inquirunt veritatem directam, & proferunt de ipsa judicium suum, ut factò ipso constat, & Terillus sæpè fatetur, ne cogatur concedere, quòd moralis Theologia tota sit scientia reflexa, indeque totum ejus studium inutile prorsus, ac vanum, quod per legitimam consequentiam deduci, alibi fortasse ostendemus. Quæro ergo, an negantes, aliquid esse licitum, repugnent affirmantibus in eadem quæstione? Sanè Terillus negare tenetur, nisi doctrinam suam damnare velit.

79. Ratio autem in promptu est:
nam

nam quicumque directè probabiliter tantum opinatur aliquid esse malum, & prohibitum, non iudicat absolute, sed conditionatè duntaxat secundum Terilli doctrinam; tum, quia id generaliter probat ratio, quam affert, nempe, quòd veritas certò non constet; tum, quia sapius id docet, atque supponit, præsertim 1. p. de Regu. mo. q. 22. à nu. 4. tum, quia alioqui doctrina ipsius argumentum nostrum non solveret; Quòd enim nemo unquam formare possit conscientiam rectam, quando directè iudicat actu, vel saltem potest proximè iudicare, obiectum esse re ipsa turpe, si iudicium sit absolutum, & non saltem virtualiter conditionatum, nostro argumento evidenter convincitur. Modò sic: sed, qui negat, obiectum esse licitum, seu (quod eodem redit) affirmat esse illicitum, & non absolute, sed conditionatè, non repugnat, aut contradicit, affirmanti absolute ejusdem obiecti honestatem, ut Terillus supponit, & ex se constat: ergo Auctores directè disputantes, & affirmantes, aliquid esse illicitum, minimè contradicunt, neque repugnant aliis Auctoribus illud ipsum negantibus, si vera est Terilli doctrina. At hoc est plusquam falsum juxta communem existimationem doctorum, indoctorum, & omnium. Est ergo falsa Terilli doctrina ex còmunì mortalium sensu.

80. Profectò, si Doctores, qui disputant quæstiones morales, & docere nos volunt, quid per se ferat voluntas divina, quidve Deus à nobis per legem suam exigit, dum negant aliquid fieri posse secundum voluntatem, & legem Dei, dum alios referunt affirmantes, dum dicunt, eos oppositum tenere, dum in quæstione illa adversarios eos appellat, dum affirmant eos deceptos, ipsosque vehementer impugnant: si per hæc, inquam, & his similia, significare nolent se illis contradicere, & contrariam sententiam se tenere, ac doce-

re, nemo ex consilio meo legeret aliquando, aut videret libros ejusmodi: immò censerem potius (nec dubito, quin mecum prudentes omnes censeant) non oblivioni tantum, sed & flammis esse tradendos, neque meliori luce dignos existimandos. Quid etenim per illos possent homines discere ad directionem suarum conscientiarum, nisi æquivocationes, confusiones, & errores quamplurimos moribus exitiales? Constans igitur est, & unanimis omnium sensus, consuetum opinandi modum, per quem Doctores, hoc nomine digni, in rebus ad conscientiam pertinentibus sententiam suam proferunt verbis simplicibus, & absolutis, esse verè, ac simpliciter absolutum, & nullo pacto conditionatum.

81. At nemo rectam potest formare conscientiam contra directam opinionem propriam, qua absolute opinatur, vel opinari proximè potest, obiectum, quod amplectitur, esse inhonestum, eò quòd saltem iudiceret verosimilius esse, quod inhonestum re ipsa sit; aliàs incideret necessariò in evidentem contradictionem, ut argumento nostro convincitur. Ergo lex reflexa Terilli, prout ab ipso instituitur, & exponitur, inutile figmentum est pro recta conscientia formanda.

82. Nec verò dicat aliquis pro Terillo, quanvis Doctores omnes ita opinentur (nimirum absolute), quando speculative, hoc est, directè disputant, & docent; aliter tamen posse, & de facto opinari, quoties agere volunt ex conscientia formata per artificium Probabilissimi contra opinionem propriam directam. tunc enim non omninò absolute, sed virtualiter saltem conditionatè, iudicare possunt, ac debent, actionem esse re ipsa malam.

83. Nemo, inquam, id dixerit: tum, quia non debent, immò nec possunt, aliter pro se ipsis, & aliter pro aliis opinari, alioqui de studio, adeoque turpiter fallerentur, aut fallerent:

rent: tum, quia si lex reflexa in hypothese nostra prorsus excludit legem directam, ut Terillus supponit, & statuit, nemo debet, aut potest, nec pro se, nec pro alio, opinari directe, objectum esse re ipsa malum iudicio penitus absoluto, alioqui iudicaret absolute, legem directam Dei prohibere re ipsa objectum illud, etiam si probabiliter honestum sit; quod est contra Terilli suppositionem, & legem reflexam evertit. At certum est, ut vidimus, Doctores omnes ita opinari, quando directe docent, ac disputant: ergo &c.

84. Ex quibus omnibus manifestè concluditur, juxta communem omnium existimationem & sensum, subtilem illam Terilli doctrinam circa directum modum opinandi, esse evidenter falsam, & quod inde consequitur (ut & Terillus fateri debet, & à nobis est demonstratum), fictitiam esse legem reflexam; prout ab ipso Terillo adstruitur, nimirum ita relaxativam legis antecedentis, ac directæ, ut hæc re ipsa non extendatur ad eventum erroris circa ipsam, invincibilis, aut probabilis.

§. IV.

Concluditur ejusdem singularis doctrina evidens falsitas ex Terillo ipso, apertè sibi ipso contradicente.

85. **S**ed quid tandiù moramur, ut demonstremus contra Terillum, id esse prorsus evidens ex communi mortalium sensu? Audi Terillum ipsum, si placet, quem pro se ipsa, & contra se ipsum, vel invitum, testem producit virtus omnipotens veritatis.

Terill. 2. p.
de Regu.
mo. q. 40. n.
1.

Nunquam (ait) credidissem, Theologum universaliter asserere potuisse, homines in nullo unquam casu esse posse certiores, quòd formaliter, ac imputabiliter non peccent, quàmquòd non ponant opus materialiter malum,

seu aliqua Dei lege prohibitum, nisi vidissem Celladeum li. 3. q. 6. omnimodis conari ad hoc Lectori persuadendum. Non, inquam, id unquam credidissem, quia oppositum adeò perspicuum est, ut omnibus natura lumine videatur esse notorium, nec quemquam latere possit, qui vel mediocrem attentionem adhibuerit, ut mox ostendam. Hæc Terillus, quem nunquam credidissem, sic potuisse oblivisci doctrinæ propriæ suæ, & nimis suæ, ut sibi adeò evidenter contradiceret, nisi jam causam supra notassem. Nempe Probabilistas, quò sunt doctiores, ac eruditiores, eò communis omnium, & receptissimæ doctrinæ veritas faciliùs reducit in viam, à qua moderni Probabilismi sui immoderatus amor abduxerat. Unde fit, ut frequentius sibi ipsis occurrant, & obviam eant, dum sæpiùs secum pugnantia docent.

86. Doctrina Cellæ Dei, sive Patris Elizaldi, si rigorosè nimis, ac sine ulla benignitate accipiat, quā illi semper Terillus negat, alioqui licet nimis benignus (utinam illam, passim non sinistrè intelligeret, & alienos in sensus detorqueret): illa, inquam, doctrina nobis absolute non placet, licet in sensu ab Authore intento vera sit, & de illa non pauca in libro sequenti dicemus. Terillo tamen juxta principia sua, quanvis adeò contraria principiis Cellæ Dei, omnimodis placere debuisset, nisi per oblivionem sui ipsius paruisset veritatis imperio.

87. Nam juxta Terillum, quoties quis certò judicat formaliter se non peccare, eadem prorsus certitudine judicat, se agere conformiter ad legem Dei, vel ad directam, seu potius unicam, quam admittimus omnes; vel saltem ad reflexam, quam ipse Terillus invenit. Atqui juxta Terillum, qui judicat se agere secundum legem Dei, etiam reflexam, eadem certitudine judicare potest, ac debet, se non peccare, vel materialiter; etenim lex reflexa, quæ actionem

nem

nem aliquam approbat, aut permit-
tit, contradictoriè opponitur legi di-
rectæ prohibenti talem actionem;
unde, qui agit juxta legem reflexam,
Sup. a. 2. §. 1. nulli legi aterna contrariatur, nec ul-
lam, vel materialiter transgreditur,
ut Terillus supra statuebat: ergo non
minùs certus manere debet, quòd
nullam legem transgressus fuerit, ne-
que peccaverit, adhuc materialiter,
quam quòd formaliter non peccave-
rit. Quid evidentius isto discursu?

At hoc juxta Terillum est evi-
denter falsum, adeò ut *oppositum om-
nibus sit ipso natura lumine noto-
rium, neque possit quemquam latere.*
Evidens ergo est, Terillo teste, &
judice, vel ipsam Terillinam, seu
reflexam legem non dari, vel illam
non excludere legem directam circa
eandem actionem. Cùmque hoc po-
sterius sit prorsus impossibile, ut &
nos demonstravimus, & Terillus ip-
se contendit, concluditur tandem le-
gitimè ex communi mortalium,
etiam ipsius Terilli, sensu, legem re-
flexam, quam inexit in mundum,
inane quoddam esse, & implicato-
rium commentum.

ARTICULUS IV.

*Multipli praterea ratione falsi-
tas, & absurditas ejusdem re-
flexæ legis ostenditur.*

88. **P**rolixum nimis foret omnia
persequi, quæ ex hac fictitia
lege consequuntur absurda: quid
enim non sequatur ex lege divina, &
æterna, & tamen non à Deo, sed ab
homine condita? Foret item, ut reor,
supervacaneus labor, si veritatem so-
lùm demonstrare vellemus. Aliqua
ergo ex multis celeri calamo præli-
babimus.

§. I.

*Aliqua ex absurdis innumeris, quæ
ex lege reflexa procedunt inevi-
tabili consequentia, eviden-
ter, & facile convin-
cuntur.*

89. **E**X illa præter dicta sequitur
primò, nullam, aut ferè
nullam esse legem divinam, ne ip-
sam quidem naturæ legem, quæ sit
incommutabilis, & uniformis, ut
illam Augustinus appellat: sed om-
nis, ipsa etiam naturæ lex, mul-
tiplex erit, varia, ac mutabilis, ma-
ximè in via Probabilistarum, apud
quos adeò faciles, atque frequentes
sunt ignorantia inculpabiles, ac in-
vincibiles, etiam ipsius juris natu-
ralis.

*Aug. li. 83.
qq. q. 27 &
sæpe alias.*

90. Sequela patet: nam si quili-
bet error invincibilis, aut probabilis
in sensu Probabilistarum, negans in-
honestatem alicujus actionis, inducit
necessariò legem reflexam, per quam
talis actio approbatur; ex quo evi-
denter sequitur, eam re ipsa non pro-
hiberi per legem Dei primariam, ac
directam, sed exceptam ab illa esse,
ita ut nullam omninò malitiam con-
trahat, ne materialem quidem; con-
sequens est, ut actio, quæ intrinse-
cè, & in se est bona Petro, eadem
prorsus sit mala Paulo, hoc anno bo-
na, & in sequenti mala, immò mane
peccatum, vespere opus honestum,
apud has gentes licitum, apud illas
illicitum, rudibus turpe, doctis lau-
dabile; aut vice versa passim omnia
contingent pro sola variatione opi-
nionum, aut judiciorum hominum,
etiam errantium, quæ quanta sit, &
qualis, nemo non novit. Lex ergo
naturalis dampnans cò tractum exem-
pli gratia, ut usurarium, aut Simo-
niacum, tantundem variationis pas-
sim subibit, idque non falsò, & in-
mente hominum ita per errorem
putantium, sed re ipsa, verè, & in
se, quandoquidem re ipsa prohibet,
aut

aut non prohibet talem contractum, prout ipsi homines, licet falsò putaverint. Hæc non sequela est, sed lex ipsa reflexa, prout ab auctore suo instituitur, & explicatur.

91. Vide igitur qualem Probabilistæ consignent nobis naturæ legem, de qua Augustinus, Claret *Aug. 9. de Tric. 6.* *semper (ajebat) iudicium veritatis, ac sui juris incorruptissimis regulis firmum est. Et, si corporalium imaginum, quasi quodam nubilo subtextitur, non tamen involvitur, atque confunditur. Vide, quàm sint potentes errores hominum, qui novam passim faciant legem naturæ, quàm nec Omnipotens sapientia Dei potest aliquando mutare. Quid igitur miremur, aut damnemus superbissimi illius Regis iactantiam, qui putabit quod possit mutare tempora, & leges, ut Daniel vaticinabatur?*

Daniel. 7.

92. Sed audi Tertullianum de re ista opportunissimè differentem: Erramus (inquit), nusquam, & nunquam excusatur, quod Deus damnat. Nusquam, & nunquam licet, quod semper, & ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur, discipline plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequii, non mutare sententiam, nec variare iudicium. Non potest aliud esse, quod verè quidem est bonum, seu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt. Ethnici, quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec Doctor veritatis Deus, malum, ac bonum pro arbitrio, ac libidine interpretantur. Alibi bonum, quod alibi malum, & alibi malum, quod alibi bonum. Sic ergo evenit &c. Subjicit mox exempla non pauca, post quæ tandem concludit sic. Quid mirum inæquata ista hominum miscantium, & commutantium statum boni, & mali per inconsistentiam sensus, & iudicii varietatem? Hæc antiquissimus Tertullianus ad eò urgentia modernū Probabilismum, & animam ipsius, legem reflexam, ut recentissima lege ista recentior cuiquam posset videri.

93. Verum (quod est mirabile) ex præcedenti sequitur secundò alia prorsus contraria. & verè prodigiosa implicatio: videlicet, errores, quos verè tales esse supponitur, & affirmatur à Recentioribus, à Terillo, & ab omnibus, eosdem illos non esse, verè errores, sed iudicia potius verissima, ita ut non sit possibilis opinio probabilis falsa, siquidem sit benigna, & negans legis obligationem; quin secundum Terillum, esto non sit probabilis, sed error voluntarius, atque vincibilis. Unde conscientia erronea nunquam erit possibilis, nisi ut summum dum falsò dicat, aliquid esse malum, atque fugiendum,

94. Sed nec in hac hypothesi conscientia erit erronea secundum Terilli principia; quia tunc etiam non deerit lex reflexa prohibens memoratum objectum ex illius erroris suppositione, atque adeò jam error non erit error, sed vera potius enuntiatio objecti.

95. Sequela absurditate, & implicantiâ plena patet statim ex Terilli doctrina; quia nemo falsò negat legis obligationem, nisi dum lex existit, & obligat, ut est ex ipsis terminis manifestum. At hoc ipso quòd quis neget legis obligationem, licet falsò, dummodo probabiliter, (immo juxta Terillum, etiam improbabiler, & per ignorantiam culpabilem) lex directæ non obligat, nec existit re ipsa, quia ex illius erroris suppositione existit necessariò lex reflexa, quæ non coheret cum lege directæ, cui nimirum opponitur contradictoriè: ergo negatio illa, etiam si falsa sit, nullius legis verè existentis obligationem, aut existentiam negat: ergo re ipsa falsa non est, sed verissima potius negatio: Eodem autem discursu probatur, opinionem, quæ falsò legem affirmat, veram esse re ipsa, quo nihil falsius.

96. Neque verò Terillus, fucum se nobis facturum putet per suas illas voces inanes legis directæ Dei purè Grammaticaliter existentis, nec exe-

Terillius tract. de Regu. mor. passim.

ren-

venit vim ullam legis, quando existit opposita lex reflexa, quibus Celsæ Dei argumenta urgentissima, ac solidissima passim eludit, atque contemnit: nam vel lex illa existens putæ Grammaticaliter, est in se vera, lex, quæ, licet ignorata, re tamen ipsa verè prohibeat illam ipsam actionem, quam approbat, aut consulit lex reflexa, ita ut, qui exercet talem actionem, saltem materialiter peccet: vel non est lex ejusmodi, neque reddit actionem adhuc materialiter malam. Primum extra præsentem controversiam Terillus cum omnibus Theologis, passim affirmat, atque supponit evidens esse, ac ipso luminæ naturæ notorium, cæterum sui prorsus oblitus, & evidenter sibi contradicens, ut pater ex dictis superiùs.

Si posterius dicatur (ut omninò dicendum esse ad sustinendam legem reflexam, & Terillus supponit, & nos sæpius ostendimus), evidens est sequela, quam deducimus, nimis evidenter absurda, & in terminis ipsis implicatoria. Utrique nulla opinio negans, actionem aliquam esse illicitam, seu, quod in idem redit, affirmans esse licitam, potest esse re ipsa falsa, si nulla omninò existit lex vera, quæ talem actionem prohibeat. At nulla existit, ut Terillus supponit; nam, qui errore supposito de ipsius honestate, prædictam actionem exercet, nulli legi æterna contrariatur, nec ullam, vel materialiter, transgreditur, cum adsit necessariò lex reflexa talem actionem approbans, aut consulens, quæ lex opponitur contradictoriè omni legi directæ prohibenti eandem actionem: igitur nullus error, aut opinio, quæ falsò affirmare supponitur honestatem ejus actionis, potest esse falsa re ipsa, sed erit potiùs verissima enuntiatio. Quorsum ergo Terillus inanes illas suas, & importunas voces passim obtrudit legis Grammaticaliter existentis? Sed voces non debemus curare, dummodò incautos fallere prohibeantur.

§. II.

Evasiones præclusæ.

97. **D**ices: opinio negans alicujus actionis inhonestatem, idèd falsa supponitur, aut esse potest; quia non negat, actionem esse illicitam intuitu alicujus particularis, sed generaliter, ac indefinitè respectu singulorum, & omnium: quod tamen falsum est, quia non omnes, & singuli habent opinionem probabilem, aut invincibilem errorem de ipsa: opinio verò, quæ fallit aliquando, est absolutè, & simpliciter falsa.

98. At contra est primò: igitur saltem, qui directè opinatur, actionem aliquam esse honestam, si suam assertionem restringat ad se ipsum, & ad illos, qui similem opinionem habuerint, nunquam fallitur, neque poterit falli; quod tamen nemo dixerit non esse falsum.

99. Contra secundò ad homines: nam quando veritas incerta est, sensus opinionis directæ non debet esse omninò absolutus, sed virtualiter saltem, æquivalenter conditionatus, ut supra docebat Terillus, non ultrò, sed coactus consequentiæ necessitate. Sensus ergo opinionis affirmantis directè alicujus actionis honestatem erit, hac actio licita est respectu singulorum, & omnium, quibus de ipsius inhonestate non constet. Quid ni verò? Cur aliter opinetur, qui principia Terilli vera censuerit? At sensus iste verissimus est; nam ex illa suppositione existit necessariò lex reflexa approbans prædictam actionem, quæ proinde non prohibetur per aliquam legem directam: ergo nec illa opinio, nec ulla alia, quæ benigna sit, etiam si falsa esse supponatur, poterit esse re ipsa falsa, sed omnes erunt absolutè verissimæ: idest, omnes erunt chimæ.

100. Ubi nota, cum de opinionibus directè affirmantibus legem,

tantundem dici debeat secundum Terilli doctrinam de sensu illo conditionato, in quo constat similiter veras esse, jam omnes opiniones morales, tam benignæ, quam rigidæ, veræ erunt: unde, qui affirmat alicujus actionis directam, & intrinsicam honestatem, & qui negat eandem, uterque verum dicit, & non erit possibilis contradictio, saltem juxta vulgarem, atque consuetum opinandi modum; sed Heraclitus ille quondam delirans proscriptus ab Schola Gentilica, sedebit tandem docens in Schola Theologica, & Christiana, & nos delirare docebit.

101. Dicit quis iterum opiniones directas propterea esse aliquando falsas, quia enuntiant, morales actiones esse determinatè malas, aut bonas, secundum se conceptas, & pro priori ad hominum opiniones. Id verò sæpè contingit esse falsum: nam, licet actio aliqua mihi re ipsa mala non sit, propter opinionem probabilem, vel errorem, quem habeo de ipsius honestate, ipsa tamen ex se non est honesta, sed potius turpis naturâ suâ, & talis postulat reputari: quare judicium meum, quo illam judico absolutè honestam, est falsum absolutè, etsi in his circumstantiis per nullam legem mihi prohibeatur.

102. Sed in primis solutio non congruit Terilli doctrinæ, & opinandi modo, quem docet, ut constat ex dictis superius. Deinde non procedit de actionibus naturâ suâ, & intrinsicè indifferentibus, quæ videlicet solùm malæ sunt, quia prohibentur lege positiva: igitur saltem circa actiones hujusmodi nemo, dum opinatur esse honestas, fallitur aliquando, neque poterit falli, si vera est Terilli doctrina; quod tamen falsum esse Terillus ipse, & omnes supponunt, & nemo non insanus negabit.

103. Præterea, quod ad praxim spectat, nihil omnino facit, quod actio sit honesta, vel turpis, naturâ suâ, & secundum se, si Terilli prin-

cipia vera sint: nam, quidquid sit de natura actionis, si semel detur opinio probabilis affirmans honestatem ipsius, vel negans ejus inhonestatem, hoc ipso talis actio per nullam legem prohibetur re ipsa, sed potius est moraliter bona formaliter, & materialiter: ad praxim verò moralium actionum quid potest ultra desiderari? Atqui tractatus omnes, & resolutiones morales ad praxim unicè diriguntur; nam, teste ipso Terillo, unicè *pro conscientia formanda, & non ad alium finem scribuntur*: ergo non sunt de humanis actionibus secundum se conceptis, sed per ordinem potius ad hominum judicia diversa.

At, qui sic opinatur de actionibus humanis, nunquam fallitur, neque falli aliquando potest; si enim affirmet, si neget, immò, etsi affirmet, & neget simul, actionem aliquam esse honestam, cum id non judicet absolutè, sed virtualiter saltem conditionatè secundum Terilli doctrinam, verum semper enuntiat juxta proximè dicta. Igitur, quidquid sit de aliis opinionibus pure speculativis, aut metaphysicis de actionibus humanis secundum se, consuetæ tamen opiniones morales, quibus conscientia hominum diriguntur, omnes sunt absolutè veræ, nec aliquis opinando fallitur, nisi Terillus fallitur. Hic tu vide, quid judices, ut non fallaris.

104. Denique contra est; nam estò permittamus (quod falsum est in via Terilli, licet absolutè verissimum), opiniones directas de actionibus humanis, enuntiare de ipsis secundum se, & præcindendo à judiciis hominum, adhuc non vitatur absurdum deductum ex Terilli doctrina, sed in aliud non minus commutatur: videlicet opiniones omnes, siue benignæ sint, siue rigidæ, esse re ipsa falsas, nec posse quemquam verè affirmare, aliquid esse honestum, aut turpe, ex his saltem objectis, de quibus modò loquimur, nempe, de quibus

Terill. q.
22. de con-
sc. u. 138.

bus homines possunt variè opinari, vel errare, quæ ferè omnia moralia sùt, maxime in via Probabilistarum.

105. Ratio est: quippe, posita lege reflexa, prout à Terillo ponitur, & exponitur, sequitur (& est tertium absurdum, quod ex ea lege descendit), nullum objectum naturæ suæ esse bonum moraliter, aut malum, sed omnia esse secundum se, & intrinsecè indifferentia ad malitiam, vel bonitatem: qui fuit error turpissimus cujusdam Brebuardini negantis, quidquam esse intrinsecè malum; quia nihil est, quod habeat essentialiter non apparere bonum per estimationem, vel conscientiam errantem.

106. Sequela verò longè absurdissima sponte sua patet adeò evidenter, ut non tam sit sequela, quam ipsa Terilli doctrina circa suam legem reflexam. Sanè, lege ista supposita, discursus Brebuardini optimus est, ac planè convincens: nam quodlibet objectum, quantuncunque malum, aut turpe, si existimetur bonum per judicium probabile, seu per quemcunque errorem invincibilem, (immò & vincibilem secundum Terillum) hoc ipso certum est nullam prorsus malitiam ne materialem quidem habere, quia nulla lege ipsa prohibetur, immò verò præcipitur, aut approbatur, per legem subsequenter, seu reflexam. At eadem est ratio de objecto bono, si per errorem putetur malum; nam ex hujus erroris suppositione jam necessario juxta Terillum prohibetur à Deo per similem legem reflexam, de qua Terillus debet similiter ratiocinari. Ergo nullum objectum naturæ suæ, & secundum se est intrinsecè bonum, aut malum, sed omnia sunt intrinsecè indifferentia, & capacia de se, ut per errores, vel opiniones hominum constituantur bona, vel mala. En ergo suscitatum in moralibus, adeoque in rebus summi momenti, antiquum delirium Protàgoræ, de quo Aristoteles 4. Met. Sed de hoc uberius post pauca.

Philoso.
Me., c. 8.

§. III.

Alia præterea absurda ex eadem lege reflexa.

107. **Q**uartò: ex eadem lege sequitur inevitabiliter, omnem directam legem, tam naturalem, quam positivam, constitui intrinsecè in ratione legis per notitiam privatam subditorum, ita ut virtus completa, & efficacia legis, ut talis, necessario deficiat per locum ab intrinsecò, ut ajunt, ex defectu talis notitiæ: quod tamen esse absurdum, & evidenter falsum, neque Terillus negat, neque negari ab aliquo potest, ut ex Jure Canonico, & omnium communi sententia, alibi ostendimus, ac supposuimus.

Sup. controv. 643.

108. Hæc item non tam dici sequela debet, quam ipsamet Terilli doctrina, & conceptus legis reflexæ: quandoquidem antecedenter ad notitiam actualem, atque particularem, qua mihi lex directa sufficienter proponitur, & innotescit, hæc non habet ex se virtutem ullam, saltem completam, ad me obligandum, neque re ipsa mihi quidquam jubet, aut prohibet, sed potius voluntas divina intelligitur adhuc pro illo signo indifferens omnino ut prohibeat objectum, si fortè advenerit pro posteriori sufficiens malitiæ notitia, vel ut ipsum permittat, consulatve, si talis notitia deficiat per puram malitiæ ignorantiam, aut etiam per contrarium errorem. Hæc tota nonne est ipsius Terilli doctrina? Ergò notitia illa particularis, vel ipsius carentia negativa, vel positiva, constituit intrinsecè legem, & complet essentialiter ejus virtutem. Quæ consequentia nimis per se evidens posset, si foret opus, explicari exemplo strictæ promulgationis, & aliis plurimis physicis, & moralibus. Vide, quæ loco citato diximus.

109. Hinc quintò sequitur, legem naturæ, ut talem, etiam activè

consideratam, & prout se habet ex parte Dei, summi Legislatoris, non solum esse multiplicem, ac variam, ut superius arguebamus, sed etiam penitus contingentem, ita ut nullum objectum, saltem ex illis, de quibus modò loquimur, prohibeatur à Deo, vel præcipiatur necessariò, ac per se, sed contingenter tantum, ac per accidens, pro ratione notitiæ, vel ignorantia hominum. Sequela verò hæc, de cuius evidenti falsitate, & absurditate, nemo Theologus dubitet, nova probatione non eget, cum manifestè pateat ex præcedentibus.

110. Sextò: non minùs evidenter sequitur, nullam omnino esse circa prædicta objecta legem divinam per se, & antecedentem; sed omnem potius esse legem per accidens, subsequenter, atque reflexam; quod juxta omnes manifestè falsum, & mille titulis implicatorium, longèque absurdissimum est. Hæc itidem sequela non nisi tantum vocibus, ac nova absurditatis expressione differt à præcedentibus jam ostensis.

Terill. q.
28. de cou-
se. nu. 12.

Alioqui ipse Terillus, qui distinctionem hujus duplicis legis novissimè invexit in mundum, definiat tandem nobis, quid utraque illa sit. *Lex (inquit) æterna per se est, quæ ordinat de rebus independenter ab errore, vel ignorantia mentis humanæ. Lex æterna per accidens est, quæ ex suppositione erroris, vel ignorantia humanæ de rebus ordinat.* At omnis lex divina ordinat, aut disponit, de rebus dependenter ab ignorantia, errore, vel judicio mentis humanæ, & ita dependenter, ut si ignorantia adsit, vel error de malitia objecti, hoc re ipsa per legem non prohibeatur; si verò adsit notitia sufficiens, per legem prohibeatur re ipsa, & eadem est ratio de lege qualibet cogitabili, si vera sit Terilli doctrina circa suam legem reflexam. Ergo, si lex reflexa subsistit, nulla est lex divina per se, adeoque nec directa, aut antecedens, sed omnis lex erit lex per accidens, adeoque consequens,

aut reflexa. Hæc planè, si evidentia non sint, neque lucem ipsam videamus. At eadem haud minùs evidenter absurda, immò & erronea esse, certius est, quàm ut ab ullo Theologo possit negari.

§. IV.

Concluditur ex dictis novum aliud absurdum, ingens illud, atque monstrosum, innumeros involvens errores; absurditates, & impietates.

III. **S**I in nostris argumentis Logica non deficiat, totam nos Recentiorum Theologiam nimis evidenter evertere, nemo sit, qui vel vertere possit in dubium; etenim, quas deducimus sequelas, adeò esse absurdas, & intolerabiles, ut admitti à nemine possint, certissimum est. Verùm eadem usque adeò immediata, adeoque per se ipsas patentes sunt, ut non tantum omnino Logicam ignorare, sed ultra modum omnem nos cæcutire oporteat, si in illis deducendis erremus. Cæterùm audi nunc, quæ sequuntur haud minùs præcedentibus evidentiæ, sed & multò magis monstrosa.

112. Utique videretur ultra jam procedi non posse. Sed ecce abyssus abyssum invocat, & absurditas absurditatem. Parùm foret non esse legem ullam divinam, quæ antecedit judicia hominum, & sit independens ab illis (quanvis sit inauditum, & absurdissimum paradoxum legitime deductum, ut constitit, ex lege reflexa Terilli), nisi consequenter hinc fieret, nullam esse re ipsa legem Dei, quæ verè talis sit respectu hominum, neque hos legem aliam, aut regulam habere suorum actuum, quàm suæ vel judicia, vel errores: quò ducit tandem Probabilismus, ut nos existimamus, & demonstramus. Hoc non ex eo tantum generali principio, quod nulla possit esse lex vera, à qua vel unum demeris prædicatum intrinsecum

cum, sed presrioribus aliis, ac magis immediatis consequentiis, ex formali videlicet, & essentiali legis concepta, facile sit ex dictis concludere.

113. Porro, ut ait S. Thomas ab omnibus receptus, *Lex est regula quedam, & mensura humanorum actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur*. Duo sunt ergo præcipua officia legis, nempe dirigere, & obligare: lex enim dirigit, quatenus quædam regula est nostrarum moralium actionum, ostendens nobis sui manifestatione quid sit agendum nobis, vel omittendum, unde Sapiens agebat, *Mandatum lucerna est, & lex lux*, & Psalmista, *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos: item lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Eadem autem obligat, quatenus culpæ, & pænæ comminatione imponit nobis necessitatem observandi, & sequendi legem ipsam, ut regulam, hoc est actiones nostras ad illam cõformandi; lex enim dicitur à ligando, quia per eam obligantur subditi ad ejus observantiam, ut inquit S. Doctor ibidem.

114. Atqui, si vera sint, quæ Recentiores cum Terillo docent, & docere necessarid tenentur, si sustinere velint legem reflexam, nulla, est omnino voluntas Dei, quæ verè sit mensura, aut regula rationis, potens dirigere, aut obligare homines ad aliquid agendum, vel omittendum: ergo nulla voluntas Dei verè habet rationem legis respectu nostrarum actionum: ergo non aliam regulam homines habent, aut sequi debent in operando, quàm sua, vel judicia, vel errores. Cætera cum sint evidentia, sola Minor probari eget. Eadem verò ex dictis haud minus evidens, & comperta est.

115. Enim verò mensura, aut regula operandi (utique objectiva, & extrinseca) eatenus dirigere, aut obligare potest ad aliquid agendum, vel omittendum, quatenus in se continet perfectionem determinatam, veram-

que rectitudinem intrinsecam in earatione, in qua dirigit, quæ rectitudo cognita ab operante vim habeat ipsum inclinandi, ac movendi ad operandum rectè in ea speciali materia, hoc est conformiter ad regulam ipsam, declinando videlicet operationes, quæ a regula deficiant, ac discrepent & amplectendo eas, quæ regulæ concordent, ac conformentur; sic enim lex, seu regula, præluet operanti, ipsumque illuminat ad operandum.

116. Unde constat apertè, regulam omnem, & propriam rectitudinem ipsius, debere quidem operanti proponi, atque applicari per cognitionem; per ipsam attamen, non posse constitui, sed præsupponi potius ad ipsam. Patet, tum generaliter ex naturali præcedentia objecti ad omnem cognitionem, saltem creatam: tum etiam specialiter inductione perenni per omnem regulam cujuscunque artis, seu liberalis sit, seu mechanica, ut apparet in regulis Dialecticæ, Grammaticæ, Rethoricæ, Architectonicæ, Saltatoricæ, Pictoricæ, & sic de cunctis aliis, nullâ prorsus excepta; ubique nanque regula est aliquid stabile, ac firmum per se, & antecedenter ad notitiam artificis: qui nimirum, ut rectè, & artificiosè operetur, diligenter inquirat regulam artis, quam novit esse rectam in se (alioqui non esset regula), eamque sibi mente objicit, ac proponit, ut ipsam intuendo velut exemplar, rectitudinem ejus imitetur per actiones ipsi cõformes.

117. Patet insuper obvio, facillique discursu: nam, si regula agendi, & ejus rectitudo non præsupponeretur ad sui notitiam, utique objectum talis notitiæ, ut ab illa distinctum, & pro priori ad ipsam, foret aliquid positivè non rectum, vel saltem negativè, hoc est indifferens, & præscindens ex se à rectitudine, vel irrectitudine: utroque verò modo non esset regula, de cujus essentiali conceptu est vera, atque posi-

ti-

tiva rectitudo. Unde nullam regulam operas sibi proponeret ad agendum ab ipsa cognitione distinctam, proindeque, vel nullam haberet absolute, vel tota, & adæquata regula agendi foret ipsius operantis cognitio. Cæterum hæc notiora, ac certiora sunt apud omnes, quam ut ulterius ostendi debeant.

118. Tum verò sic: nulla voluntas Dei, si vera est Recentiorum doctrina, antecedenter ad sui cognitionem habet aliquam certam, determinatamque rectitudinem, quæ cognita ab hominibus possit ipsos dirigere ad rectè agendum per conformitatem ad ipsam. Porro nulla voluntas, in quam cadere possit ignorantia, vel error probabilis, aut invincibilis (nam de hac voluntate, seu lege loquimur) pro priori, & antecedenter ad sui, vel ignorantiam, vel notitiam, prohibet, aut præcipit aliquid; sed est re ipsa prorsus indifferens ad prohibendum actu, si adveniret pro posteriori sufficiens malitiæ notitia, vel ad non prohibendum, sed potius approbandum, aut consulendum, si talis notitia deficiat per puram ignorantiam legis, aut etiam per errorem positivum; quod supra jam relinquimus demonstratum, & potest iterum facile demonstrari ex ipsa Terilli doctrina.

Supra. 117.

119. Sanè, si lex præcipiens confessionem non dimidiare (ut utamur ipsius Terilli exemplo) prohiberet re ipsa confessionis dimidiationem antecedenter ad ignorantiam, vel notitiam ipsius legis, Petrus confessionem dimidians ex ignorantia, vel errore invincibili, quod crederet sibi licere, transgrederetur re ipsa legem, & opus faceret materialiter malum, ut patet, vel ex terminis ipsis. At hoc Terillus constanter negat; nam in hoc casu Petrus dimidians suam confessionem, nulli legi æternæ contrariatur, nec ullam vel materialiter transgreditur. Nulla enim datur lex æterna, quæ universim dicat, nulli unquam liceat confessio-

Terill. ubi supra adduc. a. 2. §. 1.

nem dimidiare, quia Deus habet aliam legem æternam dicentem, Petto hic, & nunc liceat suam confessionem dimidiare. At hæc leges sunt contradictoria: ergo, cum certum sit secundam existere, certum est primam non dari: verba Terilli sunt eadem, quæ supra transcripsimus. Evidens ergo in via Terilli est, nullam omnino legem, seu voluntatem Dei (nam eadem est ratio de cunctis aliis) antecedenter, & pro priori ad sui notitiam, vel ignorantiam prohibere re ipsa, vel præcipere aliquam actionem humanam, adeoque legem omnem, seu potius omnem voluntatem divinam esse de se, & intrinsecè indifferentem, ut prohibeat re ipsa, vel non prohibeat objectum aliquod, prout videlicet homines putaverint, aut non putaverint, ipsum esse prohibitum, aut non prohibitum.

120. At nulla Dei voluntas, quæ antecedenter ad sui notitiam, & independentem ab illa, nihil re ipsa prohibet, aut præcipit, habet antecedenter ad sui notitiam determinatam aliquam, ac veram rectitudinem, quæ cognita ab hominibus possit ipsos dirigere, & obligare ad operandum rectè per conformitatem ad ipsam; quo nihil potest dici evidentius: quomodo nanque dirigit, aut obligabit ad rectè agendum, si nihil omnino præscribit determinatè agendum, vel omittendum, sed est prorsus indifferens ad hoc, vel illud determinatè præscribendum? Igitur nulla voluntas Dei verè habet rationem regulæ relatè ad actiones humanas, cum de conceptu essentiali regulæ sit rectitudo determinata antecedens sui cognitionem. Igitur nulla voluntas Dei verè habet rationem legis, si vera est Terilli doctrina de nova sua lege reflexa. Uti que vera lex, quæ regula vera non sit, non nisi vera chimera est, ut est apud omnes compertum.

121. Verum quia & hic, & aliàs sæpè diximus, omnem legem, seu

seu regulam rationis, habere necessariò ex essentiali suo conceptu rectitudinem aliquam, & virtutem perfectam ad dirigendum, & obligandum, antecedenter ad sui cognitionem, & independentem ab ipsa; cave, ne hallucineris, quasi nos docere velimus, nullà indigere sui notitià, ut dirigat in actu secundo.

122. Quod diximus, certum est apud omnes, & controversia sexta præcipue à nobis expositum. Ut tamen longius æquivocationem fugias, accipe rem exemplo clarissimo. Calor ex.g. antecedenter ad sui applicationem, & independentem ab ipsa, habet virtutem veram calefactivam: non quæ in actu secundo calefacere possit sine applicatione ad subjectum, sed quæ sit constituta, & completa in esse virtutis, pro priori ad applicationem, & independentem ab ipsa: idest, (quod aliis vocibus dici solet) virtutem dependentem in operando, independentem verò in essendo.

123. Ad hunc modum nos dicimus, & dicunt omnes, legem, seu regulam omnem rationis habere necessariò rectitudinem suam, & virtutem ad dirigendum independentem à cognitione, idest, sui cognitionem antecedentem, & non constitutam per ipsam, quanvis indigeat cognitione sui, ut dirigat in actu secundo. Et, quia, ut ostendimus, nulla voluntas Dei habere potest rectitudinem ullam, seu virtutem ad dirigendum antecedenter ad sui notitiam secundum doctrinam Terilli omninò necessariam ad sustinendam legem reflexam, idè rectè concludimus contra ipsum, & Recentiores affectas ejus, nullam prorsus Dei voluntatem relatè ad actiones humanas habere posse rationem legis.

Expenditur absurditas precedentis sequela.

124. Sequela, quam deduximus, & ostendimus, adeò est evidens per se ipsam, ut posita doctrinà Terilli, & Recentiorum, nullius visum fugere possit, nisi ejus, qui aliò totus intentus oculos ab illa divertat.

Sed verò horribilis ejus absurditas adhuc sequela ipsa patentior est, ut nullis verbis satis exprimi possit; vincit enim officium linguæ, omnemque superat facultatem dicendi condigna tantæ absurditatis expressio. Porro quid horribilius? Quid impietate magis, atque blasphemia plenum cogitari aliquando potest, quàm omnem simul legem divinam, velle prorsus extinguere, & abolere, ut nullum sit scelus re veritale, nihil, quod non hominibus facere liceat nullo culpæ, aut pænæ timore. Sanè, *Ubi non est lex, nec prævaricatio*, ut aiebat Apostolus: ex quo Augustinus, *Nullum est utique sine prævaricatione peccatum: nulla est prævaricatio sine lege: nullum est igitur nisi in lege peccatum*. Quid ultra?

Ad Roma.

4.

Aug. in Psal. 118.

125. Longius multò (quis ambigat?), quàm cogitassent, Recentiores progressi sunt in via noxiæ benignitatis. Sed enim non omninò debet ipsis ignosci: etenim in negotio tanti momenti, & plurimi periculi pleno debuissent multò cautiùs incedere: debuissent multò attentius inspicere, atque maturius undique considerare viam, quam arripiebant imperviam ad id temporis, nimis naturâ suâ lubricam, ac pendentem, & ad omnem excessum, morumque laxitatem nimis præcipientem. Id certè si fecissent, vidissent utique absurda maxima, quæ ex novo isto suo principio infallibiliter consequebantur, quorum horrore prudenter admoniti mutassent procul dubio antecedentia, ut cavere sequentia pos-

possent juxta Augustini monitum salutare.

126. Caterum, si fieri posset (quod impossibile statim apparebat), ut ex hoc novo Recentiorum principio, & pariter ex altero capitali de insufficienti legis promulgatione, quod intimè cum isto connectitur, & in eundem scopum tendit, nihil ulterius consequeretur absurdus, iterum Recentioribus non deberet ignosci.

Equidem per utrumque principium id ex directa intentione sua Probabilistæ Recentiores molitur, ut, emergente qualibet opinione benigna, etiam æquæ, aut minùs probabili, quæcunque lex divina per se, antecedens, atque primaria, statim per hoc ipsum penitus abrogata censetur, & nullam prorsus habeat vim obligandi. Quasi scilicet Deus, sicut legem Mosaicam umbratilem, ac figurativam sic juxta suam conditionem instituit, ut esset de se temporalis, donec *veniret fides*, ut loquitur Apostolus, eâ verò adveniente, statim vires totas amitteret, & neminem ultra obligaret, sed verè esset quasi quæ nunquam fuisset: ita similiter quamlibet aliam legem, etiam ad jus naturæ spectantem, non nisi ad tempus Deus condiderit, nempe quoadusque insurgeret adversus illam aliqua Theologorum opinio, etiam minùs probabilis, etiam falsa; ea verò insurgente, subito lex divina interiret, & non secus abolita, mortuaque remaneret, ac lex ipsa Mosai- ca interiit, & evanuit, per legis Evangelicæ adventum: eo tantum discrimine, quòd lex Mosai- ca non solum mortua nunc, sed mortifera est eam observare volentibus, lex verò per adventum opinionis probabilis abrogata, quanvis nullam jam habeat vim obligandi, adhuc possit honestè, ac sine peccato observari; caterum materialiter tantum, hoc est, faciendo, quod lex præcipiebat, non tamen ut præceptum, sed ut opus omninò voluntarium. Hæc

Ad Gal. 3.

Recentiores per utrumque principium, & docent, & intendunt directè, saltim postquam Terillus, vel invitatus agnovit, Probabilismum benignum suum aliter stare non posse.

127. At precor omnes honestatis amantes, ut coram Deo sincerè videant (nam districtè, ac tremendè ab illo judicandi sumus), an istam, quam intendunt Probabilistæ per novam suam legem reflexam relaxationem legum divinarum, vel tolerabilem judicare possimus? Alioqui, si nos fallimur, rogamus ipsos Probabilistas, cur toties, ac tantopere conquerantur, & quasi de gravissima calumnia expostulent, cum objicitur ipsis, quòd approbando ad praxim per sua principia reflexa tot, quot sunt apud homines, opiniones probabiles humanæ libertati faventes, approbent consequenter innumeras, quæ hucusque prodierunt, & prodire in dies non cessant, Christianæ disciplinæ, & legum divinarum relaxativas?

128. Quid hoc injuriæ? Quid hoc querelæ est? Fateantur potius, id ita esse. Fateantur semel palam, & in conspectu Ecclesiæ Catholicæ, per eas opiniones probabiles, quarum praxim, & usum generaliter approbant, inductam quidem in populum Christianum magnam laxitatem morum, & legum divinarum relaxationem; sed tamen eam re verà inductam relaxationem, ac laxitatem, non esse bonis moribus noxiam, aut veræ honestati contrariam, sed potius honestam, ac bonam, Deo nostro valde placentem, ab ipsoque consilio, aut suo etiam præcepto firmatam.

129. Parùm sanè reflectunt Probabilistæ supra suam legem reflexam, quandoquidem fateri non erubescunt, per eam non utcunque laxari, relaxari prorsus, aboleri, & extinguì, quamlibet Dei legem directam contra quam detur opinio probabilis; & ne quid derogetur artificiosæ suæ, atque benignæ conscientiae

tia

tia regulæ, divinis ipsis legibus per opiniones, & errores hominum, re ipsa, ac frequentissimè derogatum esse concedunt.

130. Itaque, quanvis nihil absurdius ex hac lege reflexa consequeretur, quàm quod ipsi moderni Probabilistæ ultrò fatentur, ac profitentur, patet, hanc novam, & commentitiâ legem procul esse à Theologia eliminandam. Nunc verò, cum ex illa tot, tantaque legitime consequantur absurda: cum denique constiterit, non aliquam, aut plures leges divinas per illam penitus abrogari, sed omnem prorsus legem impossibilem fieri (quod non absurdum tantum, sed infinitus absurditatum, atque impietatum cumulus est) quo loco tandem habenda sit, facile potest quisque videre.

ARTICULUS V.

Quæ demum eliciatur regula morum ex benigno Probabilismo, posita lege ista reflexa?

131. **N**ihil planè magis absurdum supra summum absurdum nuper expositum, vel cogitari posse videatur. Nullam item futuram absurditatem, quam non ex illo deducere liceat. Frustrâ tamen, ut arbitror, pluri bus sigillatim exprimendis prætiosum tempus impenderemus. Cæterùm quia directus, ac proximus scopus, & utriusque Tractatus Terilli, & nostri pariter laboris est, rectam agendi regulam tradere pro conscientia ritè formanda, id unum saltem, cæteris prætermisissis, distinctiùs ex dictis concludere operæ pretium fore putavimus, quænam scilicet conscientia regulæ ex lege reflexa Terilli, & reliquis principiis Probabilismi elicienda denique sit.

§. I.

Regula unica moralis honestatis sunt opiniones, ac judicia hominum in via Probabilistarum.

132. **U**Nica, inquam; neque enim modò loquimur de regula formali dūtaxat: quanquàm hæc, ut jam alibi notavimus, non propriè, ac simpliciter regula, sed applicatio tantum intentionalis, seu propositio regulæ sit. Loquimur ergo de regula simpliciter, & dicimus, in via Probabilismi nullam aliam posse assignari, quàm hominum judicia, seu opiniones, sive veræ sint, sive falsæ.

133. Porro, si lex reflexa sic est impossibilis cum directa, ut hæc nunquàm extēdi possit ad objectum legis reflexæ, sed quoties una earum existit, certum sit non existere alteram, ut necessariò dicendum esse, & Terillus rectè contendit, & nos superiùs jam demonstravimus, facilè ex dictis concludere est, homines nullam aliam pro dirigendis suis actionibus regulam honestatis habere (primariam utique, ac fundamentalem), quàm opiniones, & judicia sua, sive vera sint, sive falsa.

134. Enimverò voluntas Dei ex prædicta suppositione nequit habere rationem legis, adeoque neque regulæ objectivæ, respectu humanarum actionum, ut nuper demonstratum est; quia nullam prorsus habet determinatam rectitudinem, quæ cognita dirigere possit, aut regulare actiones humanas; aliàs anteceden-
ter ad sui notitiam prohiberet re ipsa determinatè, & juberet actionem illam, quam homo judicat pro posteriori non esse re ipsa prohibitam, indeque lex directa antecedens tale judicium, & lex reflexa, quæ ad illud sequitur, coexisterent simul circa eandem actionem; quod tamen fieri aliquando posse, Terillus (quan-

KK

vis

Sup. §. 4. art. proxima præced.

vis omnibus, & sibi ipsi repugnare cogatur) & negat, & negare debet, nisi velit negare legem reflexam, quam tanto molimine adstruit. Atqui, si nulla datur voluntas Dei, quæ possit operantem dirigere, consequens est, ut iste nullam aliam regulam habeat, quam opinionem, seu iudicium suum de suæ operationis honestate, (vel alienum, si non ex propria, sed ex aliena opinione agat); quam enim aliam fingere, aut cogitare intellectus potest? Ergo non aliam homines regulam habent pro dirigendis suis actionibus, quam opinionem, aut iudicium suum, si vera est Recentiorum doctrina.

135. Confirmatur, & explicatur. Omnis actio creata moraliter honesta positivè, dicitur, & est talis per positivam conformitatem ad regulam honestatis morales, ut compertum est apud omnes, alias foret honesta per essentiam, & tanquam ipsa regula honestatis, indeque foret operatio divina. At omnis actio humana, quam homines probabiliter iudicant, aut opinantur (nempe directè) honestam esse honesta est re ipsa juxta Terillum, & Recentiores: igitur per cōformitatem ad aliquam honestatis regulam. Hæc verò, vel est aliqua voluntas Dei directa (reflexa enim importuna hic est), & nulla datur, ut ostensum est, vel, quod unice restat, est iudicium ipsius operantis, vel certè alienum, si non ex proprio, sed ex alieno agat iudicio de honestate: aut ostende, si placet, aliam regulam, quam certè neque fingere valeas.

136. Confirmatur ulteriùs, ac declaratur. Fingamus, quod in aliqua Republica (neque enim ita barbaram, nisi imaginariam invenias) nulla sint constituta publica pondera, seu mensuræ rerum. Sanè in tali Republica nihil erit universaliter iustæ mensuræ, aut ponderis respectu omnium. Sed, quod unusquisque apud se privato suo pondere, vel mensura (seu iusta sit re ipsa, seu injusta) ap-

penderit, aut mensuraverit, iustæ mensuræ, aut ponderis sibi erit, aut nihil certè poterit in pondere, aut mensura tradere, vel accipere, nihilque sub ea ratione poterit iustum existimare. Quod si quis uti velit alieno pondere, vel mensura alterius civis particularis, hæc erit sibi iusta mensura, per ordinem ad quam rem illam, quam mensurat, existimabit iuste mensuratam. Ergo similiter, si nulla sit re ipsa voluntas Superioris, quæ morales actiones subditorum possit universaliter regulare, aut nihil reputabitur honestum, aut quidquid honestum censeatur, oportebit, ut tale reputetur per ordinem ad proprium iudicium operantis, vel ad alienum, si non agat ex proprio, sed ex alieno tantum iudicio objectivè apud se existente; neque enim alia honestatis regula potest ex data hypothesei cogitari.

§. II.

Ergo opiniones, ac iudicia hominum in via Probabilistarum sunt regula absoluta honestatis morales nulli alteri regulæ subordinata.

137. **H**æc consequentia probatione non eget, cum immediate per se resultet ex conclusione proximè præcedenti. Porro regula unica nulli alteri regulæ potest subordinari, alioqui non esset unica, ut ex ipsis terminis patet. Atqui, suppositâ lege reflexâ, & principiis moderni Probabilismi, hominum opiniones, ac iudicia sunt (ut ostensum est) regula unica morales honestatis, nec alia ulla cogitari potest regula objectiva, ac primaria, quæ morales actiones hominum possit dirigere, aut regulare. Ergo juxta principia Probabilismi hominum opiniones, ac iudicia sunt regula morales honestatis.

138. Otiosum verò foret ostendere, repugnare ex terminis ipsis, actionem aliquam esse honestam per

or-

ordinem ad iudicium nostrum de honestate talis actionis, tanquam ad regulam honestatis unicam, & nulli alteri subordinatam. Utique iudicium humanum ex essentiali conceptu suo est regula secunda, seu potius non tam regula, quam regulatio ipsa, sive applicatio regulæ à se distinctæ, cui necessario subordinatur; honestas etenim objectiva actionis necessario præcedit ipsum iudicium, vel re ipsa, vel saltem apparenter, in aliqua prævia apprehensione: quare iudicium necessario supponit regulam aliam se ipso priorem, à quâ actionis honestas derivetur, vel re ipsa, vel saltem apparenter.

139. Nimis, inquam, foret otiosum his, & aliis similibus immorari, ut deductæ sequelæ repugnantiam, summamque absurditatem ostendamus. Denique quid absurdius? Quid repugnantius vocibus ullis exprimi potest, quam quod exprimit ipsa simplex, & nuda propositio sequelæ? Ita ne, nostræ ipsæ opiniones, & humana nostra iudicia quandoque falsa, semper autem fallacia, aut fallibilia, sunt nobis regula moralis honestatis ab omni subiectione absoluta, & nulli regulæ subordinata? Tandem dicimus de Deo nostro, cui non alterius voluntas, seu iudicium, sed *sibi ipse est lex*, ut loquitur D. Angelicus. Jam ergo Deo suo, & legibus ejus, à quibus prorsus liberi sunt, homines valedicere possunt. Quid enim jam attendat nisi se ipsos? Quid nisi sua iudicia colant? Bone Deus, quò ventum est per nimium libertatis amorem!

140. Et cum hæc sit Theologia Recentiorum, nihil tamen ipsis frequentius, quam apud vulgus nos accusare, eò quòd ultra modum deferamus proprio iudicio. Hanc calumniam (de qua supra jam diximus, quod satis est) non decet diutius ex professo refellere. Utique apud cordatos, qui probè sciunt, quale iudicium ad honestè agendum, & quali-

ter conceptum, nos exigamus, superficialis ista, vulgarique impostura nihil nostræ sententiæ præjudicabit: vulgi verò iudicium, quod non ratione ducitur, sed consuetudinis, aut passionis impetu, nihil facit ad causam veritatis, quam agimus.

141. Sufficiat ergo præfatis Recentioribus illud Augustini reponere: *Desinite errare... in has enim, atque huiusmodi nugis graviter, copioseque invecchi soletis: quare nos invecchio vestra non tangit, sed aniles quasdam, vel etiam pueriles opiniones, eò ineptiores, quò vehementiore oratione percellitis: qua quisquis movetur, & ad vos transit non Ecclesiæ nostræ (Theologiæ nostræ, dicamus nos) damnat disciplinam, sed eam se ignorare demonstrat.*

Aug. li. r.
de Morib.
Eccle. Ca.
tho. c. 10.

§. III.

Præcluditur evasio Recentiorum.

142. **S**ed quid, si Recentiores huius & præcedentium absurditatum nimio, sed iusto horrore, perterriti, fortè velint pedem referre à doctrina Patris Terilli, per quam legem reflexam exponit, & statuit?

Dicunt fortasse, ejusmodi legem non esse impossibilem cum lege antecedenti, atque directæ, etiam circa idem objectum, ut malè Terillus agebat, neque legem directam pendere ab opinionibus, vel ignorantis hominum, sed illas omninò antecedere: quo fit, ut pro priori ad sui, vel notitiam, vel ignorantiam, intelligatur plenè constituta in ratione legis, ac regulæ potentis regulare, ac dirigere mediâ notitiâ sui postmodum adveniente; quæ proinde non erit regula unica, & absoluta, moralis honestatis, seu regula potius secunda, sive applicatio regulæ primæ, eidemque essentialiter subordinata. Sed hoc est fugam querere sibi, nulla fugiendi via.

143. Sanè Terillus, vir sagacis ingenii, & sui Probabilismi peritiss-

KK 2 si-

D. Tho. 1.
p. q. 21. a. 1.
ad 2.

Sup. con-
trov. 8. a. 2.
§ 3.

simus, nunquam in tantas se coniecisset angustias, si planior alia via pateret. Caterum legem Dei directam, & antecedentem, extendi non posse re ipsa ad prohibendam illam actionem, quam Deus ex erroris suppositione consulit, permittit, aut præcipit per legem subsequentem, ac reflexam, meritò Terillus supponit tanquam rem evidētem ex acceptione ipsa terminorum, qualem reverà esse constat ex supra dictis, constabitque ex dicendis ad finem controversiæ.

144. Extendatur verò, si placet. Quid inde? Nihil planè Recentiores proficient, nec vitabunt sequelæ, quam hic urgemus, intolerabilem absurditatem, sed augebunt si augeri possit. Porro opinio directa æquè, aut minùs probabilis operanti, quæ juxta Recentiores est regula objectiva, & remota, fundans & legem ipsam reflexam, & ultimum conscientia dictamen, quod proxima, & formalis regula est: illa, inquam, opinio, & regula fundamentalis, non potest esse regula per positivam conformitatem ad legem Dei directam, cum ipsi non concordet, sed vel discrepet potiùs ab illa, vel saltem præscindat omninò à concordia, vel discrepantia, ut evidens ex terminis est, & à nobis non semel demonstratum, præsertim controv. 6. per integrum art. primum, ubi totum moderni Probabilissimi artificium deteximus, & exactissimè declaravimus. Ergo prædicta opinio est regula independens ab omni subjectione, ac subordinatione ad ipsam legem directam Dei: ergo est regula prorsus absoluta, & nulli alteri regulæ subordinata. Cui nanque regulæ subordinabitur, si non subordinatur voluntari, seu legi divinæ directæ?

145. Extensio ergo ipsius legis directæ, quam Terillus inficiabatur, non evitat absurditatem, quam contra ipsum deducebamus, sed illam potiùs augeat, si augeri potest, &

horrorem ipsius magis ostendit: ponit enim legem divinam directam simul cum lege reflexa manentem, sed ad hoc solum, ut contemni possit expressiori quodam cōtemptu, quandoquidem ad illam operans non debet attendere, sed uti potest alterà regulā ab illa prorsus independenti, videlicet opinione directā æquè, aut minùs sibi probabili. Hæc igitur est regula regulans operantis actionem, ab omni subjectione absoluta, & nulli regulæ subordinata. Sive ergo dicatur, legem reflexam composibilem esse cum directā circa eandem omninò actionem, sive dicatur esse impossibilem, ut Terillus supponit, & statuit, utroque modo sequitur inevitabiliter in via Probabilistarum, hominum opiniones, ac judicia, sive vera sint, sive falsa, esse honestatis regulam absolutam, prorsusque independentem à lege Dei, adeoque nulli regulæ subordinatam.

146. Sed quid hic moramur? Quando hac sola de causa fictitiam suam legem reflexam Recentiores invenerunt, aut potiùs à Terillo primum inventam avidissimè susceperunt, ut operatio nostra, & dictamen nostræ rationis, subicerentur tandem legi divinæ, tamquam supremæ regulæ honestatis, quandoquidem non poterant subjici, legi directæ, & antecedenti? Videamus igitur an opinio probabilis sit regula saltem subordinata huic legi Dei reflexæ, an verò absolutè prima?

§. IV.

Lex divina reflexa à Probabilistis cōficta ex suo conceptu essentiali est regula subordinata nostris erroribus, & opinionibus; quæ proinde sunt regula honestatis in via ipsorum Probabilistarum prima absolute, non tantum negativè, sed etiam positivè, id est, non solum respectu hominum, verum etiam respectu Dei

147. **V** Era Philosophorum paremia est, nullam chimæ-

meram esse aliâ maiorem, si rerum tantum veritas attendatur. Quoad nostrum tamen intelligendi modum negari haud potest, alias aliis turpiores, repugnantiores, & absurdiores esse. Et ea quidem, quam proximè expressimus, summæ videri posset absurditatis, nisi illius absurditas ab ea, quam nunc damus, magnopere superaretur?

Videbatur nihil absurdius cogitari posse, quàm quòd regulam unicam moralis honestatis, prorsusque independentem à lege Dei, homines apud se constituent, ut non debeant attendere quid ipsi Deo placeat, aut displiceat; sed quidquid ipsi judicent verè, vel falsò fieri posse, adeòque quidquid facere sibi libuerit, impunè, ac licitè facere valeant? Nunquid hæc non est illa intolerabilis hominum superbia, de qua Bernardus? *Omnis superbus (inquit) extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam. Jam videtur equalitas: sed attende malè congruam proportionem. Deus quidem in his tantum, quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem: superbus verò, & cum ratione, & contra rationem.*

148. Sed ecce absurditatem multò adhuc maiorem: constituere videlicet regulam honestatis pro humanis actionibus dirigendis, non solum absolutam, prorsusque independentem à voluntate, seu lege Dei; sed etiam voluntatem ipsam divinam, adeòque Deum ipsum, subijcientem iudiciis hominum, quæ proinde sint prima, atque suprema regula moralis honestatis non negativè tantum, sed etiam positivè, non solum hominum, sed etiam Dei.

149. Sequelæ huius absurditas tantò evidentius superat præcedentis absurditatem, quanto turpius concipitur, & indignius homines velle Deum sibi subijcere, quàm nolle ipsos subijci Deo. Id verò quantæ sit absurditatis, quantæ temeritatis, ac dementiæ, res ipsa satis loquitur,

nec ullis nostris verbis exprimi valet. Utiq; nolle servos humiliari, ac demitti ad exemplum Domini sui, censuit Dominus ipse perinde esse, ac velle fieri suo Domino majores, *Amen amen dico vobis: non est servus major domino suo: ut scilicet ad exemplum domini nolit humiliari, ac demitti.* Quid erit, si non solum nolit servi demitti, & humiliari Domino, & Deo suo; sed velint insuper, ut servis suis Dominus, & Deus ipsorum humilietur, ac demittatur? Horrore replet animum, vel cogitare.

150. Porro ejusmodi esse regulam honestatis, quæ deducitur tandem ex lege Recentiorum reflexa, & reliquis principiis Probabilissimi, nullo negotio demonstrari potest ex doctrina jam tradita, & ostensa. Sanè opiniones, ac iudicia hominum, minus, aut æquè tantum directè probabilia, esse honestatis regulam (remotam utique, ac fundamentalem) prorsus independentem, & absolutam à lege Dei directâ, sive hæc extendatur, sive secus ad objectum legis reflexæ, jam videtur concedi, & patenter à nobis ostensum est. Utiq; opus procedens ex prædictis iudiciis, vel opinionibus, quod est objectum legis reflexæ, non conformari cum lege directâ, Terillus ipse legis reflexæ inventor, velut indubitatum supponit, ut nos illud ostendere non deberemus: *Certum est (inquit) actum conformem legi æternæ existenti per accidens, esse honestum, Deoque placere, quanvis objectum, quod ponit, non conformetur legi æternæ, quæ per se disponit de rebus.* Et quis de hoc dubitare possit, si vel terminos ipsos Probabilissimi intelligat?

151. Hinc verò absurditas monstrosa, quam adjicimus modò, per immediatam protinus, & nimis evidentem consequentiam resultat. Equidem error ille, vel opinio directâ æquè, aut minus probabilis operanti, quæ juxta Recentiores regula agendi est objectiva,

ac

Bern. ferm.
4. in vigil.
Nativ.

Ioan. 13.

Terill. q. 18.
de cons.
proba. n. 12.

ac remota, non sequitur ad legem reflexam, ut ex intentione operantis conformari possit eidem (unde patet, quàm sit abs re, & longè importunissimus ad intètum ipsorum, recursus Probabilistarum ad prædictam legem reflexam), sed antecedit potius eandem, & hæc ad eam, regulam simpliciter, & omninò subsequitur.

152. Quid hic dicitis, Recentiores? Nonne lex ista vestra reflexa nihil prorsus determinat, aut disponit de rebus, nisi ex suppositione erroris invincibilis (aut vincibilis etiam juxtà Terillum), vel opinionis vestræ æquæ, aut minùs probabilis? Nonne idèò reflexa, consequens, secundaria, & lex tantùm per accidens existens, perpetuò appellatur à vobis? Nonne alioqui prorsus frustranea, & nullius utilitatis ad scopum vestrum existeret? An non hæc vestra propria, & solemnissima doctrina est? Alioqui quid dicitis? Quid intenditis? Eja igitur maneat immobile, legem vestram reflexam, nullo modo antecedere, sed potius subsequi, regulam illam vestram directam.

153. Nunc verò, si vobis placet, attendite discursum Solis luce clariorem. Hominum opiniones, de quibus hætenus, posita lege vestra reflexa (utcunque ipsam explicare libuerit) sunt regula moralis operationis, quæ legi antecedenti, atque directæ Dei non conformatur, tanquam regulæ primæ moralis honestatis, ut statutum, & compertum est, & Terillus ipse supponit: nec item conformatur, ut regulæ honestatis, legi reflexæ Dei, ut hæc non antecedit, sed subsequatur potius tales opiniones directas. Hæ igitur sunt regula honestatis penitus absoluta, & independens ab omni lege Dei: ergo sunt regula, saltem negativè, prima, ac suprema moralis honestatis, hoc est, regula actionum humanarum ab omni subjectione absoluta, & nulli alteri regulæ subordinata.

154. Tum ultra: Dei voluntas, seu lex ipsa reflexa, necessariò subsequitur vestram hanc regulam, & necessariò debet ei conformari; quandoquidem ex suppositione hujus regulæ vestræ (nempe opinionis æquæ, aut minùs directè probabilis) Deus nequit non approbare per voluntatem suam, & legem subsequentem, atque reflexam, objectum prædictæ opinionis: neque enim Deo liberum est non approbare objectum probabiliter bonum per voluntatem suam subsequentem, aliàs qui illud amplectitur ex artificio vestræ sententiæ, non necessariò Deo placeret, neque honestè, ac prudenter operaretur; quod tamen vos fortissimè negatis. Ergo regula vestra, nempe opinio directæ æquæ, aut minùs probabilis, est etiam regula voluntatis divinæ, quæ videlicet illam necessariò subsequitur, debetque omninò eidem conformari: ergo est regula prima, moralis honestatis, non solum negativè, sed etiam positivè, non solum hominum, sed etiam Dei? Quid ultra? Nihil planè vel cogitari potest.

§. V.

Urgetur multipliciter, & exponitur argumentum præcedens.

155. **D**ifficile profectò mihi sit præcedentem discursum clariùs exponere. Fortassè tamen profit nonnihil aliis, & aliis vocibus id ipsum declarare, & illustrare.

Illà est regula moris non prima, & independens, sed secundaria, ac subordinata, quæ regulat moralem actionem per respectum, & ordinem ad aliam regulam (utique præcedentem), cui debeat subjici, ac conformari. Quid evidentius? At opinio directè æquæ, aut minùs probabilis, regulat moralem actionem, & non per habitudinem ad aliam regulam, cui conformetur, ac subjiciatur; nulla enim hujusmodi concipi potest, nisi voluntas Dei antecedens: huic verò opi-

opinio illa non conformatur, ut cum Terillo ipso supponimus, & sæpè à nobis demonstratum est: ergo est regula moris non secundaria, ac subordinata: ergo est regula prima, & prorsus independens ab omni alia. Quid hic est, de quo possit intellectus humanus dubitare, si verè possit aliquid evidenter cognoscere?

156. Eodem hoc discursu probatur à contrario, legem, seu voluntatem Dei subsequenter non esse primam regulam moris, sed secundariam, ac subordinatam. Ipsa nimirum regulat moralem actionem non primò, neque independentè ab omni alia regula, sed per respectum potius, & habitudinem ad regulam priorem, & primo regulantem, nimirum ad prædictam opinionem humanam, quam essentialiter præsupponit, & cui omninò se debeat conformare: ergo non est regula prima, sed secunda, & subordinata: ergo sola opinio directa est absoluta, & prima regula moris non negativè tantum, sed etiam positivè, nimirum nulli alteri subordinata, & subordinans sibi divinam voluntatem: ergo est regula prima non tantum hominum, sed etiam Dei: ergo non Deus hominem, sed homo Deum sibi subordinat.

157. Explicatur exemplo, & confirmatur. Voluntas magistratus inferioris, vel alterius ministri domini absoluti, ac supremi alicujus Reipublicæ temporalis, est regula operandi respectu subditorum communium quoad gubernationem politicam secundam, atque subordinatam: quia non dirigit subditos, nec regulat eorum actiones absolutè, & independentè ab omni alia regula priori, sed per respectum, & habitudinem ad voluntatem supremi domini, à quo suam accepit potestatem, & cui se omninò conformare debet, ut possit subditos regulare. Voluntas verò ipsius supremi domini ob rationem, oppositam est regula absoluta, independens, & prima in eo genere gu-

bernationis, non negativè tantum, sed etiam positivè; quia scilicet nec regulat per respectum ad aliam, priorem regulam, cui conformari debeat in regulando: & aliunde omnis alia regula regulat per respectum, & conformitatem ad ipsam. Id ipsum cernitur, & explicari posset in ordine hierarchico Angelicæ Reipublicæ, vel Ecclesiasticæ, in motu solis, & horologii, & in alia quacunque subordinatione causarum.

158. Tum sic: voluntas Dei consequens, & reflexa regulat actionem humanam dependentè ab illa opinione directa, quam supponit ut regulam antecedentem, cui se debeat omninò conformare: opinio verò illa nullam priorem regulam præsupponit, cui conformari debeat in regulando. Ergo talis opinio est prima, atque suprema regula moris nulli alteri regulæ subordinata, & subordinans sibi divinam voluntatem: voluntas verò consequens Dei est regula non prima, sed secunda, & humanæ opinioni subordinata. Nonne hac luce ipsa clariora sunt? Misera planè est, & infelix conditio temporum, quod in his ostendendis, & similibus, Theologi detineri debeamus.

159. Denique confirmatur, ac declaratur. Illa est prima, ac suprema regula honestatis moralis, in quam demùm resolvitur honestas actionis humanæ, ut in primam mensuram, & rationem, propter quam sit: *Quia sicut omnis motus* (inquit Doctor Angelicus) *reducitur ad movens, quod non est motum neque à se, neque ab alio: ita omnis mensuratio reducitur ad unum primum, quod nullo modo est mensuratum, sed omnium mensura: & hoc est Deus.* Atqui honestas humanæ actionis non resolvitur ultimò in aliquam voluntatem divinam, ut in primam mensuram, & rationem ipsius, sed in iudicium hominis directum, sive in opinionem probabilem de eadem honestate actionis. Igitur nulla volūtas Dei, sed

D. Tho. in
1. dist. 19. q.
1. a. 1. ad 4.

sed opinio potius humana est prima, atque suprema regula, seu mensura, moralis honestatis. Discursus est legitimus: Major est per se nota, & principium ex terminis indubitatum: Minor denique ex dictis evidens est, & ulterius probatur, aut explicatur.

160. In primis honestas actionis non resolvitur ultimò in aliquam Dei voluntatem antecedentem, sive directam, quia vel non existit re ipsa, vel si existat, actio prædicta non conformatur ipsi formaliter, ut dictum sæpè, & ostensum est: quandoque verò nec materialiter, sed potius contrariatur eidem, quoties nempe opinio directa æquè, aut minùs probabilis falsa est. Aliunde verò non resolvitur ultimò in voluntatem Dei consequentem, sive reflexam; nam licet conformetur eidem, non tamen tãquam ultimæ honestatis mensuræ, seu tanquam primariæ rationi, propter quam actio evadat honesta.

161. Enim verò quærenti, cur actio sit honesta? Si respondeas, quia conformatur voluntati divinæ reflexæ, atque per accidens existenti, rogaberis ulterius, cur voluntas illa divina per accidens existat in Deo? cur approbet reflexè, & regulet prædictam actionem? Cui quæstioni teneris respondere, si quidem falli, aut fallere nolis: quia sic judicant homines, licet falsò, vel quia probabilis opinio est, affirmans honestatem præfate actionis; nam ex hujus erroris, vel opinionis suppositione nequit Deus non velle, atque probare, ut homines sic operentur, quanvis antecederet non id vellet. Ultra verò procedere quæstio non potest, quia nulla est prior ratio, regula, seu mensura, à qua petatur actionis honestas.

162. Utrique, si quærenti, cur hominum judicia, & opiniones actionem illam præferant, ac regulent, tanquam honestam? respondeas, quia sic fert voluntas, seu lex Dei, approbans prædictam actionem, inconsé-

quenter omninò respondebis; cùm, potius à contrario voluntas Dei ideò unice approbet actionem illam, quia sic homines judicant, & opinantur. Pater ergo, moralem actionis honestatem ultimò non resolvì in aliquam Dei legem, seu voluntatem, sed in errores hominum, aut judicia directa. Hæc igitur sunt prima, atque suprema regula honestatis moralis nulli alteri regulæ subordinata, & omnem aliam regulam sibi subordinans. Ergo sunt prima honestatis regula non negativè tantum, sed etiam positivè, non solum hominum, sed etiam Dei. Quid evidentius?

§. VI.

Ergo Probabilista insigniter hallucinantur, dum legem reflexam confingunt, ut in eam resolvant honestatem actionis, velut in primam regulam moralis honestatis.

163. **E** Gregiam hanc hallucinationem, & vanum Recentiorum conatum ei, qui non verba tantum, sed etiam sensum dictorum capiat, clarissimèprehendere sit facillimum.

Nempe, cùm, vel inviti Recentiores non possent non videre, actionem procedentem ex opinione æquè, aut minùs probabili de ipsius honestate, conformari non posse per talem opinionem legi directæ, seu primariæ Dei, cui nimirum, si forte opinio vera sit, formaliter saltem non congruit; si verò falsa, ut creditur, aut credi potest, ne materialiter quidem concordat: ne vel benignam regulam suam, ut malam, & obliquam damnarent, vel asserere cogerentur, honestatem actionis non desumi ex concordia, & conformitate cum voluntate, seu lege Dei, tanquam cum prima regula moralis honestatis (quod effutire nemini licet): cum hæc, inquam, viderent, quid egerunt? Rem incredibilem! Invenierunt in Deo delitescentem legem

verè mirabilem, qua videlicet Deus ex præfata opinionis suppositione certissimè permitteret, immò positivè probaret actionem illam, tanquam honestam, quidquid de lege sua directà sit.

164. Per novam istam legem reflexam, facillimè, inquit, expeditur difficultas objecta: constat enim apertè, quo pacto, & actio ipsa, & regula directà, ex qua procedit, licèt non conformetur cum lege antecedenti, verè tamen, ac positivè, conformentur cum prima, atque suprema regula moralis honestatis, nimirum cum hac ipsa voluntate, seu lege Dei reflexa, & consequenti.

165. Quod si opponas eisdem, præfata legem derivare non posse in actionem humanam honestatem moralem per modum regulæ, cum non precedat, sed potius subsequatur ad regulam directam, hoc est, ad opinionem de actionis honestate: ridet, & damnant tarditatem nostram, qui nunquam intelligere poterimus ipsorum sententiam, & idèd passim hallucinemur, quasi videlicet ipsi nullam aliam adstrueret agendi regulam formalem, ac proximam, quàm ipsam opinionem directam; quod tamen est manifestè falsum, cum ubique doceant, ultimum conscientiae dictamen esse non modò probabilius simpliciter, verùm etiam certum, & evidens.

166. Ratio, inquit, est clara: nam opinio directà, etiam minùs probabilis, de actionis honestate, certò, & infallibiliter fundat, & infert legem, seu voluntatem reflexam Dei, qua consequenter ad talem opinionem approbat necessariò actionem ipsam, tanquam honestam, sibi bique absolutè placentem: deinde, verò intellectus reflectens supra ejusmodi legem, seu voluntatem consequentem Dei, còcludit demum practicè verissimè, ac certissimè, actionem esse honestam, & gratam ipsi Deo: & hoc dictamen ultimum, & practicum conscientiae, est regula

formalis proxima, & immediata ipsius moralis actionis. Quo fit, tandem, ut ipsa moralis actio, & proxima, ac formalis agendi regula non antecedant, sed potius subsequantur divinam voluntatem, tanquam regulam primam, à qua tota descendit, & regulæ formalis restitudo, & eliciendæ actionis honestas.

167. Directa verò opinio verum est, quod non sequitur, sed antecedit voluntatem divinam, cui proinde concordat, & conformatur unicè tanquam ejus objectum, non verò tanquam regulæ; quod minimè requiritur, cum opinio directà non sit regula agendi proxima, & immediata, sed objectiva tantum, ac remota. Quid clariùs, inquit? Quid intellectu facilius? Planè nihil. Fate-mur, plus nimio tardi, & hebetis ingenii fore, qui magnum hoc mysterium nò comprehendat. Sed vel hinc possent facillè Recentiores con-jicere, quinam sint, qui re verà passim hallucinentur.

168. Nam, si opinio ipsa directà sit prorsus independens ab omni alia regula antecedenti, & aliunde non subsequatur, sed potius antecedit legem, seu voluntatem consequentem, atque reflexam, poterunt quidem, & actio ipsa, & ultimum conscientiae dictamen, conformari legi reflexæ: sed verò nunquam poterunt eidem conformari tanquam regulæ primæ moralis honestatis. Ratio ex dictis est evidens, & quæ pateat statim, vel cæcutientibus: nam prima regula honestatis moralis non potest præsupponere regulam aliam moralis actionis, sed omnes alias regulas debet præcedere, & sibi illas subordinare, ut compertum est apud omnes, & ex ipsis terminis patet. Atqui voluntas, seu lex reflexa, supponit essentialiter aliam regulam actionis moralis, nimirum opinionem directam de honestate ejusdem actionis, adeòque non præcedit regulam omnem: ergo non est regula prima, sed secunda, & subordinata:

ergo nec actio ipsa, nec ultimum conscientiae dictamen conformantur cum aliqua voluntate divina, tantum cum prima regula moralis honestatis.

169. Hæc, quæ ex se ipsis evidentia sunt, & assatim à nobis ostensa, explicari adhuc possunt exemplo manifesto. Ponamus, Regem aliquem accepisse à Republica (à qua nimirum tota dimanat proximè, & immediate Regum potestas juxta sententiam & communioem, & mihi absolute verissimam, quam alibi expresso monstravi) potestatem concedi leges pro totius Reipublicæ vel regni directione, ea tamen lege, seu pacto, ut nulla lex ab ipso Rege condita quæquam de Republica obliget, nisi prius proposita, & explicata, fuerit ab aliquo supremo Magistratu, vel Senatu ipsius Reipublicæ, cujus expositionem, vel interpretationem, seu vera sit, seu falsa, dummodò authenticè signata sit, teneatur demum Rex approbare, & velle, ut omnes subditi agant secundum illam, quanvis videat esse contrariam, & intentioni suæ, & legis à se conditæ sensui.

170. In hoc Regno, aut Republica sub hac gubernationis forma instituta nemo opinor negabit, primam, atque supremam agendi regulam in ea linea humanæ, & politicæ gubernationis, non esse Regis legem, aut voluntatem, sed potius prædicti senatus judicium, aut sententiam authenticam; quippe quæ regulat subditorum actiones independentem à conformitate cum Regis voluntate, seu lege antecedenti, & aliunde producit necessariò alteram voluntatem, seu legem consequentem ipsius Regis, quæ prædictam senatus sententiam præsupponat, eidemque conformari debeat. Prior ergo Regis voluntas non foret regula respectu subditorum, qui nimirum actiones suas eidem conformare non deberent: voluntas verò consequens, & posterior, regula

quidem esset, cui actiones subditorum conformarentur: at non esset regula prima, sed secunda, & subordinata, utpotè quæ supponeret aliam priorem regulam, cui necessariò conformari deberet. Sola ergo Senatus authentica sententia prima in ea Republica, atque suprema regula foret, quippe quæ independentem ab omni alia regula præsupposita subditorum actiones regularet; aliunde verò, & actiones ipsas, & omnem aliam regulam ipsarum sibi subordinaret absolute; nulla nanque dirigeret, aut regularet, nisi dependentem ab ipsa.

171. Nolumus cum tædio Lectoris propositum exemplum applicare distinctius: quid enim immorabimur in re clarissima? Porro novimus omnes, ac tenemus, ad hoc legem reflexam à Probabilistis induci, ut ultimum conscientiae dictamen, & operatio ex illo procedens conformetur cum aliqua voluntate divina, velut cum prima regula honestatis. Verum quid inde? Novimus pariter, & plusquam evidenter demonstramus, novum hunc conatum ipsorum adeò esse irritum, & infelicem, ut postquam communissima, indubitataque evertit Theologiæ principia, nihil minùs obtineat quàm quod intendit; immò verò obtineat oppositum. Nempe intendunt subijcere operationes hominum, eorumque judicia voluntati divinæ, & ad hoc novam fingunt in Deo voluntatem, seu legem, quam reflexam appellant: fit verò ex hac fictione (præter alia infinita absurda, quæ producit) non ut judicia hominum divinæ voluntati subijciantur, sed ut voluntas ipsa divina subiecta maneat hominum judiciis. Quid igitur queruntur, quod non capiantur? Immò capere nolunt, quod nimis aperte capiuntur.

ARTICULUS VI.

*Amovetur solutio, siue instantia per-
importuna, quam pro lege reflexa
Recentiorum producit contra se ex
principiis scientiæ Mediæ, doctissi-
mes P. Palancus.*

§. I.

*Propriis ejusdem Auctoris verbis
instantia, vel solutio
proponitur.*

172. **H**ic Auctor dudum mihi
familiari conjunctus ami-
citia, quem ob excelsum ejus inge-
nium, exquisitam sapientiam, insi-
gnemque pietatem, aliaque egre-
gias animi dotes impensè colo, ac
diligò citrà omnem assentationem,
in suo Opere verè eximio nuper in-
lucem edito, quod de *Conscientia* in-
scribit, & quo toto modernum Pro-
babilissimum feliciter impugnat, &
expugnat: cùm legem Dei reflexam,
quam Recentiores comminiscuntur,
multis, ac validissimis argumentis
impeteret, ac planè profligaret, eò
legem illam refellit, quòd nisi foret
prorsus fictitia, lex, siue Dei volun-
tas, non foret prima regula hone-
statis, sed secunda, & subordinata
judiciis, & erroribus hominum. Op-
ponit autem sibi pro Recentioribus
quandam, vel evasionem, vel instan-
tiam, petitam ex principiis, quibus
innititur scientia Mediæ.

173. Dices forsan (ait ipse), aliud
esse Deum attemperari, & accommo-
dari in præcipiendo, prohibendo, aut
permittendo, judicio probabili huma-
no: aliud valde distinctum illi subor-
dinari, ac subijci. Primum verum esse:
secundum falsum. Sicut aliud est Om-
nipotentiam attemperari in còcurren-
do voluntati creatæ, aliud illi subijci,
& subordinari. Primum enim conce-
dunt Jesuitæ, etiam postquam damna-
vit secundum Innocentius XI. Et quod
lex divina debeat sc. attemperari, &

accomodari judicio humano, forsan
probabis, quia hoc maxime conducit
ad suavitatē divinæ providentiæ. Spe-
ctat enim ad divinā providentiam,
inquit Terillus, complacere aliquan-
do, saltem per accidens, in electio-
ne objecti directè, & per se prohibi-
ti, quod operanti probabiliter ap-
paret prohibitum. Si nimirum ipse
ex contraria probabilitate seductus
pro imperio suæ voluntatis illud obje-
ctum judicaverit licitum.

Item, quia nisi lex divina sic
accommodetur, & attemperetur, vix
nobis, peribit omnis libertas opinandi,
& operandi, standum semper erit in
judicio de moribus pro lege, nunquam
pro libertate, jugum divinæ legis fer-
reum erit, & importabile, nos in mi-
seram captivitatem redigens, à nobis-
que libertatem filiorum adimens, &c.

174. Deinde quasi classicum ca-
nens, Thomistas omnes excitat ad
prælium contra legem reflexam Re-
centiorum, veluti contra novam
scientiam Mediæ, subjungens con-
tinenter: Sed hac solutio, licet ad
mentem Reflexistarum genuina, ipsa-
que doctrina eorum, qui ad talem le-
gem reflexam effugium fecerunt, fal-
sa tamen est, & contra D. Thomam,
omnesque ejus discipulos. Quos omnes
enixè precor advertant, per Probabi-
lissimum, & potissimum per hanc legem
reflexam novam scientiam Mediæ,
novumque usum illius in scholis in-
troduci paulatim, vel, quod est consi-
derabilius, in moribus regendis, &
vita Christiana gubernanda: ac pro-
inde, qui veluti fidelissimi Angelici
Doctores affecta, pro nobili stemmate
ab ipso acceperunt primatum Dei in
omni linea perfectionem dicente con-
tra modernos strenuè propugnare, &
semper vincere, sicut in Theologia spe-
culativa primatum Dei in ratione
causæ, motoris, Domini, liberèque
determinantis tuerentur, sic in Theolo-
gia morali, & practica primatum di-
vinæ legis in regulando mores huma-
nos nulli præ ipsis aquali jure propu-
guandum incumbit.

L. I. 2. Nam

Palanc. de
conf. q. 28.
23. per to-
tum.

Ibi §. 2. n.
144.

Nam eadem, ni fallor, vel ferè eadē utrobique causa est. Sicut enim..... ibi contrarii conantur Deum in concurrente ad unum potius, quam ad oppositum, nostræ libertati subordinare (jam dicunt attemperare), ita hic Deum in precipiendo, aut permittendo hoc potius, quam oppositum ex probabilibus, nostro libero iudicio subordinare videntur (ipsi dicunt attemperare), &c. Hactenus prælaudatus Palancus.

175. Hæc dū in libro ex Auctoris dono liberaliter mihi transmissio, quem magna voluptate, & avidissimè percurrebam, præter omnem, timorem occurrerunt, hæsi fateor, & dolui, neque mediocriter sum miratus, dum, & viri amicissimi candidissimum animum, ac pridem mihi notam modestiam faciliè reducebam in mentem; & simul etiam, considerabam asperitatem verborum ejus, scientiam Mediam, nulla occasione data, sed nimium violenter accepta, comparatione indigna, suggillantem, & probris adeo acerbis lacescentem. Enimverò vir sapiens haud parum præter morem videtur indulsisse opinionibus, quas domo secum affert, & dogmatum, quibus innutritus est, consuetudini, ut supra Nazianzenus agebat. Nec verò renuit ipse (quæ magna ejus modestia est, & singularis animi temperantia) olim mihi cum ipso de re ista amicè, ac confidenter exposculanti candida ingenuitate fateri, familiaribus literis ad me datis, displicere etiam sibi, quod hæc scripserit, quæ ex libro (inquit) libenter delerem propter eas rationes, quas mihi exhibet vestra Paternitas.

176. Quoniam tamen plurimùm refert, ne quis ex libro Auctoris gravissimi, non displicentiam ejus de sententia prolata, sed nudam ipsam ostendente sententiam, occasionem accipiat existimandi, eandem esse, aut similem causam legis reflexæ Dei, quam Reflexivæ fingunt, & scientiæ Dei Mediæ, quam schola

nostra propugnat, unde, vel hanc minoris, vel illam pluris faciat, quam utraque mereatur, pauca breviter dicere de re ista ab instituto nostro nimis aliena, necessitas nos cogit satis quidem invito.

§. II.

Palancus Societatis Doctoribus injuriam haud modicam irrogat.

177. **P**rimùm verò, ut ab ultimis P. Palanci verbis exordiar, non sine injuria nostrorum Doctorum protulit verba illa, contrarii conantur Deum in concurrente ad unum potius, quam ad oppositum, nostræ libertati subordinare (jam dicunt attemperare), quasi videlicet in schola nostra ante Decretum Innocentii XI. quo meritò damnavit propositionem illam, Deus subjicit nobis Omnipotentiam suam, usus illius vocis subordinare communis esset, passimque receptus, ad explicandam divini concursus cum nostra libertate, concordiam.

178. Sanè per annos supra viginti in schola Theologica versatus, & libros nostrorum Auctorum sedulò, ac frequenter evolvens pro variis, ac consuetis eventibus Theologicæ exercitationis, maxime verò eos, qui concordiam istam exponunt (quam semel olim discipulis dictatam iterùm nunc præ manibus habeo) non memini apud aliquem me legisse voces subjicere, aut subordinare ita crudè prolatas, & sine aliquo temperamento, aut congrua modificatione; quoties enim illis utuntur (utuntur autem vix unus, aut alter, nec nisi rarissimè tantùm) semper solent adjungere particulam modificativam veluti, quasi, quodammodò, vel similem, præter fusiorem insuper, atque clariorem, expositionem sensus intenti. Frequenter autem, ac ferè semper dicunt, Deum attemperare, sive accommodare, Om-

Omnipotentiam suam, aut concurrere ipsius ad concurrendum cum nostra voluntate, applicare potentiam suam decreto indifferenti, & à nobis determinabili, committere, aut relinquere liberaliter nobis actuali in ipsis Omnipotentia sue concurrere ad actus liberos nostros à nostro arbitrio determinandum, vel aliquid ejusmodi in idem recidens. Quod cum sit confans, atque notorium cunctis libros nostros legentibus (utinam eos legant multi, qui impugnant), certè non debuit P. Palancus oppositum innuere, aut supponere, verbis adeò absolutis, ac generalibus, quæque doctrinæ nostræ in re tanti momenti haud modicam invidiam creare possent.

179. Est verò multò gravius, & minùs tolerabile nobis, quòd nostræ Societatis doctrinam in magna controversia de Auxiliis, & scientiam Dei Mediam, quam propugnamus, non solum comparaverit P. Palancus novo recentium Probabilistarum commento de lege Dei reflexa, verum & affirmare non dubitaverit, eandem esse utranque doctrinam, eandem utrobique, aut ferè eandem causam: quasi videlicet Recentiores ex illa Dei attemperatione ad concurrendum cum causis liberis, legitime potuerint concludere, Deum etiam in regulando attemperari iudiciis hominum, ita ut id debeat, tanquam bonum, probare, vel illud reprobare, tanquam malum, quidquid homines ipsi malum, aut bonum, probabiliter, licet falsò putaverint. Nihil esset ineptius hoc ratiocinio; & ideò neque ipsis Recentioribus, qui nihil non pro suo Probabilismo tentant, nihil non, etiam è longinquo afferunt, aliquando venit in mentem: adeò est importunum ad ipsorum propositum.

§. III.

Pro removenda instantia producta premititur synopsis doctrinæ nostræ de concursu divino ad actiones morales creaturæ.

180. **P**orrò, quòd Deus libera voluntate sua Omnipotentiam suam attemperet ad concurrendum cum arbitrio creato, relinquendo videlicet humanæ voluntati immediatam, & electivam actionis suæ determinationem, nihil omninò derogat perfectissimo dominio Dei, nihil item rationi primæ causæ, primi motoris, primi determinantis: immò potius has omnes perfectiones divinas unicè tueretur, & explicat, atque per suavem, & optimam concordiam cum nostra libertate conciliat.

181. Certè dominium Dei absolutissimum nulla ratione minui, aut impediri potest, dum Deus habet plenam, absolutissimam, prorsusque Omnipotentem facultatem, ad liberè inducendam, vel impediendam quancūque velit operationem honestam cujuslibet voluntatis creatæ, ad impediendum item, vel permittendum quodlibet peccatum ipsius, pro priori, & antecedenter ad omne omninò liberum exercitium ejusdem voluntatis creatæ absolute, & in re futurum, quid enim aliud desiderari potest ad perfectissimum dominium Dei?

182. Hanc verò facultatem habet Deus ratione scientiæ conditionatæ (Mediam nos appellamus), per quam, antequam aliquid absolute decernat, novit infallibiliter, quid operabitur humana volūtas sub hoc, aut illo auxilio, in istis, vel in illis circumstantiis, supposita infinita, inexhaustibilique virtute Omnipotentia suæ, cui deesse non possint plurima auxilia, quæ prævideantur congrua futura, plura item, quæ incongrua futura prævideantur; quanvis
nul-

nullum omnino determinatum auxilium sit non intrinsece indifferens, cuique voluntas nequeat pro suo arbitrio consensum, vel dissensum conjungere potentiam veram, & antecedenti, prout iura libertatis exposcunt.

183. Deus ergo pro signo independentiae, & sapientissimae providentiae suae, nempe ante omnem usum libertatis creatae absolute, & in re futurum perfectissimam suam libertatem exercet decernendo pro solo suo arbitrio, vel actionis bonae existentiam, vel permissionem actionis malae, prout scilicet suae sanctissimae voluntati placuerit, vel benefacere, vel punire, aut saltem specialiter non benefacere: certus quidem omnino (ut sapientissimum decet provisorem) quod eveniet infallibiliter quicquid ipse permiserit, aut decreverit, ratione memoratae scientiae Mediae affirmantis eventum determinatum sub hypothese, aut conditione praedicti decreti divini; quod proinde si liberè concipiat, antequam aliquid voluntas agat, immò antequam praevideatur existens, iam Deus absolute decernit cum omnimoda independentia, absolutissimoque dominio, & ut inquit Bernardus, *non solum potenter, sed etiam sapienter*, vel inferre actionem honestam, vel permittere actionem turpem, illaesa libertate voluntatis creatae, & relinquendo eidem plenam indifferentiam ad utrumlibet, adeoque ad immediatam determinationem, & sui ipsius, & Omnipotentiae indifferenter sibi applicatae.

184. Utrique postquam Deus in signo proprio libertatis suae pro suo beneplacito decrevit, atque liberrimè determinavit, vel inferre opus bonum, vel permittere pravam, ulterior (immediata videlicet) eiusdem operis determinatio ad Deum non spectat, neque verè possibilis ipsi est. Non spectat, inquam, ad Deum; quia ad munus causae primae pertinet quidem agere immediate actiones omnes causae secundae, non ta-

men pertinet illas omnes immediate determinare, sed potius debet illis motionem suam, & concursum attemperare concurrente cum ipsis secundum propriam conditionem earum: nam ut ait S. Thomas, *Motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum*. Neque propterea sequitur, quòd Deus absolute non sit primum determinans; sicut non sequitur, quòd non sit primum vivens, primum intelligens, primum amans, licet non vivat per vitam creaturam, (quam tamen immediate producit) neque amet per amorem ipsius, neque per ejus intellectionem intelligat.

185. Praeterea non est Deo possibilis actionis liberae creaturae immediata determinatio: nam, si Deus creatam voluntatem ad proprium actum determinaret, voluntas verè non esset libera, nec haberet dominium sui actus. Porro, ut ait ipse D. Angelicus, *Voluntas dicitur habere dominium actus, non per exclusionem causae primae, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis*. En juxta D. Thomam libertas voluntatis creatae, & dominium in proprios actus, postulat indispensabiliter, ne à causa prima determinetur, sed ut ipsa voluntas proprias actiones suas determinet, quae duo juxta S. Doctorem omnino sunt inter se connexa.

186. Enim verò, si Deus voluntatem humanam ad aliquod extremum determinatum praedeterminet efficaciter immediate, sanè voluntas nullam prorsus habebit veram indifferentiam electivam, neque nullam veram, & antecedentem potentiam ad extremum oppositum: ergo nec veram libertatem habebit.

187. Ponamus, Deum voluntatem hominis praedeterminare efficaciter ad aliquam actionem honestam,

D. Tho. q. 3. de Ma. 2. a. corp.

D. Tho. q. 3. de Potent. a. 7. ad 13.

Bern. Homil. 2. super Missus est.

flam, vel per gratiam infusam efficacem intrinsecè, ut communiter ponunt sapientissimi PP. Dominicani, vel unicè per suam voluntatem divinam, quod genus prædeterminationis docet novissimè P. Palancus, discedens à communi Prædeterminantium sententia, me quidem iudice, nullo fructu, sed cum incommodo inconsequentia. Certè voluntas, ut libera sit, debet habere veram potentiam, proximam, & antecedentem, vi cuius verè possit dissentire, aut resistere divinæ prædeterminationi; non enim potest stare libertas sine potentia vera, & antecedenti ad dissentiendum gratiæ auxilianti, ut expressè definit Tridentinum contra Calvinum, aliosque Sectarios. Aliunde verò humana voluntas nullam habere potest potentiam veram ad resistendum voluntati divinæ actionem aliquam prædeterminanti, sive per se immediatè, sive per gratiam efficacem intrinsecè; nisi velit P. Palancus, ut voluntas humana verè potentior sit Omnipotente Dei voluntate. Ergo voluntas libera verè non est, si sit à Deo prædeterminata antecederet, & immediatè.

188. Nec valet hic vulgaris distinctio de potentia in sensu composito, & in sensu diviso gratiæ (de qua modò nolo contendere, an sit terminorum abusus): nam quidquid de hoc sit, post omnem distinctionem excogitabilem, fatendum tandem Catholicis est hominis, voluntatem à Deo motam, & excitatam, habere simul cum gratia ipsa veram, antecedentem, ac proximam potentiam ad resistendum, seu dissentiendum eidem gratiæ moventi, & excitanti, non solum sufficienti (ut olim dicebatur), sed etiam efficaci, ut est evidens, & jam ex Tridentino supponunt Doctores Catholici.

189. Ecquis verò Catholicus dicere audeat humanam voluntatem habere posse veram potentiam proximam, expeditam, antecedentem-

que, ratione cuius dicatur, & sit verè, absolutè, & proximè potens resistere voluntati divinæ antecedenti, & efficaci? Alioqui quid clamat Scriptura, *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati: Voluntati ejus quis resistet?* & similiter passim? Immo, nec fidei lumen necessarium hic est, cum luce ipsa rationis naturalis clarissimum, omnibus sit, miseræ creaturæ voluntatem nunquam verè posse resistere Creatoris, & Dei sui voluntati absolutæ, & efficaci. En nodum inplexissimum, & mihi fateor penitus insolubilem, nisi dicatur tandem (quod unicè restare videtur) liberam creaturæ actionem nunquam à Deo determinari posse antecederet, sive immediatè. Velle autem hoc idem argumentum retorquere in nostram sententiam, est ignorare principia nostra, de quibus modo plura non addam.

§. IV.

Ergo P. Palancus immeritò dixerat Societatis Auctores, & traducit scientiam Mediam.

190. **H**Æc verò nobis satis sanè injucunda, dicta sint, ut scientiam Mediam, & nostræ Societatis doctrinam in controversia tanti momenti nimis importunè traductam ab omni suspicione, vel nota, pro jure nostro vindicaremus: non autem ut directè nunc refellamus gratiam efficacem intrinsecè, seu prædeterminantem: quod ad institutum præsens non attinet: sicut neque illa reponere, quæ facile possem ad intempestivas acclamationes, quibus plaudit P. Palancus doctrinæ suæ triumphis, & palmis contra Societatis Doctores. Quos haud parùm etiā offendit, dum ipsos nullo jure privare nititur nomine sibi nimis charo, ac glorioso discipulorum D. Thomæ. Utique, quidquid levia nonnullorum verba sonuerint, audacter affir-

Trident.
sess. 6. 5. &
eadem sess.
can. 4.

Esth. 13.

Ad Roma.

9.

firmare non verear, nullos esse in Ecclesia Dei, quibus D. Thomæ doctrina magis in corde, & honore sit, quàm nostræ Societatis Doctores, uno, vel altero tantum excepto, qui certè nullam laudem ex hoc ipso in Societate assecutus est.

191. Quod si propterea (ut aliqui velle videntur) nomine Thomistarum peculiari dignandi Jesuitæ non sint, quòd D. Thomam in D. Thoma, potiùs quàm in aliis ipsius interpretibus, legere malint, & intelligere, non adeò stulti sumus, ut multum contendamus, aut curemus de nomine. Profectò D. Thomæ doctrina fons est clarissimus, ac limpidissimus, publici quidem juris, & totum irrigans paradisum Ecclesiæ. Nemo verò, qui possit è fonte ipso per se ipsum aquam haurire, haustum prius ab aliis, & transfusam de vase in vas, cujus solet frequenter odorem sapere, bibere volet, nisi desipiat.

192. Illud sanè mirandum, immò dolendum, quòd, cum S. Doctoris, etsi sensus profundus, & Angelicus planè est, stylus tamen sit planus, ac liquidus, indeque totus ipse mirum in modum ubique perspicuus, ac facilis, plerumque tamen omnes invicem sibi contradicentes sententiam suam probat ex D. Thoma. Quod argumentum non leve est, multos non sensum proprium ad D. Thomæ sensum, ut par esset inflectere, sed sensum D. Thomæ ad proprium sensum violenter detorquere; in quo opinor haud parùm frequenter peccatur ubique, neque cum parva veritatis injuria, & doctrinæ Theologicæ detrimento; de quo non cursum alibi dicturi sumus.

193. Denique nec sapientissimis Patribus Dominicanis existimo placituram adhortationem illam P. Palanci, qua ipsos adeò vehementer accendit contra legem reflexam Recetiorum, eo præcipuè titulo, quòd per illam nova in scholas scientia media, novusque usus illius invehatur: quasi videlicet scientia

Media doctrina quædam foret exotica, & non tantum exorbitans à solidæ Theologiæ principiis, sed etiam magnopere noxia, aut exitialis Ecclesiæ Dei.

194. Nescio, an sit in Theologia doctrina aliqua, quæ severius examen, atque diuturnius subjerit aliquando non apud unum tantum, sed apud plura tribunalia gravissima, ac demùm apud ipsam Apostolicam Sedem, & coram ipsis Summis Pontificibus, à quibus tamen adeò non est improbata, ut sit publicè doceri permissa; quidquid frustrà dicat Augustinus Leblanc Scriptor novissimus Lovaniensis in sua nova Historia Congregationum de Auxiliis nuper à Sacro Inquisitionis Hispanicæ Tribunali proscripta.

195. Profectò, quòd scientia, per quam Deus cognoscit futura contingentia, nulli innitatur decreto divino efficaci, & antecedenti, quod sit ipsorum futurorum causa, videtur esse sensus communissimus SS. Ecclesiæ Doctorum, apud quos illa assertio, *non idè effectus* (liber nimirum) *erit, quia id Deus scit; sed idè scit, quia futurus est*, frequens est, ac valde usitata, præsertim apud Augustinum, ex quo, & ex aliis SS. Ecclesiæ PP. multa possemus testimonia producere, si locus id, & tempus paterentur.

196. Sed audi, vel ex multis unicum testem, spondentem pro nobis, & eum quidem fide dignissimum, omnique exceptione majorem, nempe doctissimum Franciscum Romæum, eximium virum auctoritatis, Magistrum generalem Illustrissimi Ordinis Prædicatorum, unumque ex PP. Tridentini Concilii. Hic ergo vir eximius in suo egregio Opere de necessit. & libert. oper. verit. 8. sic loquitur. *Illud non est præterendum, quòd si ad antiquos PP. te convertas; reperies; ferè omnes in hanc unam consentire sententiã*, Non ex eo, quòd Deus scit aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est,

Romæus.

est, Deus novit: sic enim loquuntur Hieronymus, Augustinus, Origenes, Chrysostomus, & plerique alii orthodoxi Doctores. Hæc inclutus Magister Dominicanus.

197. Denique, an scientia Dei Media, quam Jesuitæ omnes unanimiter propugnamus, parum sit consentanea sanæ Theologiæ, & quæ propterea ab scholis Catholicis acriter explodenda sit, ut P. Palancus significat, loquantur duo alij graves Doctores, quibus scientia Media non est opinio, quam domo secum afferant, aut dogma, cui innutriti sint.

Alter eorum sit Gabriel Pennotus ex Ordine S. Augustini Canoniorum Regularium clarissimus Abbas, & Doctor, qui in suo Propugnaculo humanæ libert. li. 3. c. 3. n. 6. sic de scientia Media proloquitur. *An ista scientia sit utilis ad Theologicas difficultates enodandas, maxime ad hereticorum cavillos tollendos, & libertatem humani arbitrii cum divina præscientia, prædeterminatione, & efficacia divine gratiæ, conciliandam, credendum est in arte versatis disputantibus crebrò cum hereticis.* Ita ille.

198. Alter sit Daniel à S. Josepho Carmelitanus strictioris observatiæ, acutus sanè Theologus, ac præclarus, qui to. 1. Disputationum in S. Thomam disp. 24. post assertam, & latè propugnatam per octo integra capita scientiam Mediam ex Scriptura, Patribus, D. Thoma, & ratione, tandem c. 9. concludit in hæc verba, *De hominum salute, que tota divine gratiæ adjumentis, liberoque arbitrio nititur, malè mereri eos, qui conditionatam à Deo scientiam rejiciunt: pejus, qui eam agnoscere coacti, absoluto, præfinitique decreto subjectam volunt: pessimè, qui apud Theologiarum rerum indoctos, aut certè non satis peritos, maledictis suis in invidiam trahunt.* De quibus ego (inquit) sic censeo, eos in ista controversia, vel partis utriusque momenta non planè assequi, vel opinionem

sua potius, quàm veritati servire. Contra verò plurimum Rempublicam debere Christianam iis, qui conditionalem scientiam absoluto Dei decreto priorem, sacris ex litteris, Patrumque, ac D. Thoma monumentis, in quibus delitescibat, in lucem Theologiæ vocaverint; quaque modo liberam creaturæ voluntatem cum Dei scientia, & auxiliis conciliet, atque ita de Vicleffi, Lutheri, & Calvin erroribus triumphet, magno Christiani orbis bono ostenderit. Hæc prælaudatus Auctor ex familia illustrissima, atque religiosissima: sed doctrinæ de physicis prædeterminationibus, additisissima.

199. Ineptum ergo, & fallax incitamentum P. Palancus obrulit sapientissimis PP. Dominicis, quo ad bellum contra novam morum Theologiam, & contra legem Recentiorum reflexam strenuè suscipiendum accenderentur. Porro importunis, & alienis rationibus excitari planè non debent, ut omni opum vi, totisque conatibus eant contra benignæ Theologiæ impetum, viri piissimi, ac cordatissimi, quibus domus Dei zelus, Christianorum morum honestas, Summorum Pontificum votum, & pariter doctrina Præceptoris Angelici, debito in pretio, & honore sunt. His calcaribus addere non importunum tantum, verum, & difficile sit.

§. V.

Productæ solutionis, vel instantiæ, nimia importunitas demonstratur.

200. **E**X dictis ergo facile concludere est, quàm longè absit doctrina Jesuitica de concursu divino ad actus liberos voluntatis creatæ, ut cum lege reflexa Recentiorum conferri sine injuria potuerit.

Enim verò, quòd Deus concursum suum attemperet volutati creatæ, dum concurrat cum ipsa ad libe-

M m ras

Pennotus.

ras ejus actiones, nihil arguit respectu Dei, vel indecentiæ, vel repugnantia: sed solum probat, quod verissimum est, & à nemine potest catholicè negari, nempe aliter Deum concurrere cum causis liberis, ac concurrere cum naturalibus. Utique, nisi Deus relinquat voluntati creatæ liberæ sui determinationem ad, quod voluerit, libertatis extremum, voluntas ageret actiones suas determinata ad unum haud secus quam natura, ignis ex. g. atque adeo non liberè, sed purè naturaliter, ac necessariò: nam, ut aiebat nuper D. Angelicus, *Voluntas dicitur habere dominium actus* (hoc est, liberè agere), *non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis.*

201. Neque hinc sequitur, vel apparenter, voluntatem creatam esse primum determinans, aut primum liberum absolute, & simpliciter, sed potius absolute secundum, & essentialiter primo subordinatum: cum in omni exercitio libero, in omni sua determinatione, dependeat essentialiter à Deo, tanquam à prima, ac suprema causa prius se liberè determinante in signo proprio libertatis suæ absolutissimæ, ac perfectissimæ. Nostra erga volūtas liberè agit, & unicè se ipsam immediate determinat, non tamen in eodem signo, quo Deus, sed in signo essentialiter posteriori, & supponenti signum libertatis divinæ perfectissimè jam exercitæ.

202. Hinc verò solum concludere licet, voluntatem creatam respectu actionis propriæ esse primum, aut potius unicum liberum, & determinans immediatam (sicut est unicum vivens, & amans); absolute verò secundum, & præsupponens aliud, à quo omnino dependeat, & cui sit essentialiter subordinatum. Similiter non sequitur, quod voluntas

creata respectu suæ actionis sit primum movens, aut primum agens, non solum absolute, verum etiam nec immediate, cum pendeat essentialiter à Deo, tanquam à causa prima, & universalis, ut simul immediate coagente, & multipliciter ipsam voluntatem movente, quanvis non prævia aliqua motione, quæ efficaciter ipsam ad unum prædeterminet.

203. Hinc patet evidenter, quam sit indigna, & longè importunissima comparatio doctrinæ Jesuiticæ de concursu divino ad actus liberos, & morales cum moderno commento Recentiorum de lege Dei reflexa, ac subsequenti.

Nimirum ista, quam statuimus divinæ Omnipotentiae attemperatio ad concurrendum cum nostra voluntate, nec Deum facit pendente aliquo modo à voluntate nostra, aut ab ejus operatione, neque ulla ratione, tollit, aut minuit, plenissimum, absolutissimum, ac potentissimum Dei dominium, ratione cuius liberè possit quamcunque nostram liberam actionem moraliter honestam, aut turpem, intendere efficaciter, si libuerit, vel permittere infallibiliter, utcumque, & quodcumque sibi placuerit, ante omne exercitium ipsius voluntatis absolute, & in re futurum, ut §. 2. exposuimus.

204. Nec verò spectat ad munus causæ primæ determinare, aut prædeterminare omnem actionem causæ secundæ efficaciter, & immediate (alioqui, ut ostendimus, nulla libera foret); sed solum dare illi virtutem, & veram facultatem ad agendum, & insuper concurrere immediate cum ipsa secundum proprium modum, ut aiebat Doctor Angelicus, hoc est, Omnipotentiam applicando, vel per decretum efficax, & determinatum ad unum, si causa non sit libera, sed naturalis; vel, si sit libera, per decretum indifferens ad utrumlibet libertatis extremum, & ab ipsa causa secunda immediate determinandum.

Quid

205. Quid verò hæc ad legem reflexam? Nunquid ejusdem generis sunt, Deum largiri liberè creaturis intellectualibus liberam facultatem, ut morales suas actiones eligant, ac determinent immediatè, cum multiplici tamen subjectione, & dependentia à concursu Dei, & permittere hominibus, ut hominum errores, & opiniones, sequantur, tanquam regulam agendi nulli alteri regulæ subordinatam, sed absolutam ab omni subjectione; immò, quam Deus ipse subsequi, ac probare teneatur, eidemque non liberè conformari per voluntatem suam reflexam? Quis dicat? Quænam hic cogitari potest, aut fingi, attemperatio divinæ voluntatis, quæ non tollat ab ipsa rationem primæ regulæ, ut illam in errores, & opiniones hominum transferat?

206. Nam regula prima moralis honestatis est, quæ in se ipsa, & per se ipsam recta, ut cognita ab ipso operante, derivat in ipsius operationem honestatem, ac rectitudinem, quæ tota denique resolvatur in ipsam primam regulam, ut in primum principium, & mensuram totius rectitudinis, & honestatis. At, si Deus

teneatur necessariò permittere, aut probare, ut honestum per suam voluntatem reflexam quidquid falsò re ipsa dummodò probabiliter, homines honestum putaverint, nulla voluntas Dei antecedens, aut consequens, sed opiniones potiùs, atque judicia hominum, etiam falsa, habent rationem primæ mensuræ, in quam tota moralis actionis rectitudo resolvatur, velut in primum honestatis principium, quod à nullo dependeat in regulando, & cui alia quælibet regula subijci debeat, ac subordinari. Ergo non aliqua voluntas Dei, sed hominum errores, & opiniones sunt prima regula moralis honestatis, idest, quæ nulli alteri subiecta sit, & cui alia quæcunque, etiam voluntas ipsa divina subiecta sit, & subordinata. Hæc præcedenti articulo demonstrata jam manent rationibus perspicuis, atque patentibus, quæ repetendæ modò non sunt.

Et hic sit hujus controversiæ finis, quam in brevem summam collectam ecce jam tibi damus more nostro cum universa doctrina tradita.

SYNOPSIS UNIVERSÆ DOCTRINÆ.

207. **E**rgo omnia, quæ hæcenus dicta sunt, sic per compendium digere.

Omnis actio moralis dicitur honesta, vel turpis, per respectum, & habitudinem ad regulam moralis honestatis. Regula verò ejusmodi duplex est, altera prima, absoluta, ac suprema, quæ est lex æterna, seu voluntas Dei; altera secunda, subiecta, & primæ omninò subordinata; & hæc est signum, quodvis ipsam regulam primam, seu legem Dei, nobis manifestans, & applicans.

208. Id rursus, cum dupliciter fieri possit, duplex inde resultat regula secunda honestatis: vel enim signum illud est instrumentale dun-

taxat, quod nempe non formaliter, ac per se ipsum, sed objectivè tantum, & ut cognitum, ostendit nobis regulam primam; & hæc est regula secunda objectiva: vel est signum formale, nempe notitia ipsa, seu judicium actuale in intellectu ipsius operantis subjectivè, & formaliter existens, proponens ipsi, & applicans primam regulam, vel in se ipsa (aut potius pones se ipsam; neque enim alium modò immediationis sensum curamus) immediatè, ac directè cognitam; vel potiùs non immediatè in se, sed mediatè, & in alio signo, seu regula objectiva secunda: & hoc formale signum applicans nobis regulam objectivam, dicitur

M m 2 re-

regula secunda formalis, seu potius regulæ propositio, & actualis directio, seu regulatio; quia tamen jam communiter usus obtinuit, ut & hæc, regula absolute vocetur, ita & nos illam frequenter appellamus: quanvis rigorosè loquendo regula objectiva tantummodò, sit propriè, ac simpliciter regula.

209. Totus igitur labor, & nostri Operis scopus est secunda hæc honestatis regula: examinare scilicet, & ostendere, quale debeat esse iudicium, seu dictamen nostræ rationis, per quod regula prima formaliter nobis proponitur, vel immediate in se, vel mediatè in aliquo signo, seu regula secunda objectiva, idest, in aliena opinione non subjectivè, sed objectivè tantum in intellectu nostro existente. De ista verò regula objectiva secunda (de prima enim nihil dubitamus, utpote per se ipsam essentialiter recta), cum sit objectum regulæ formalis agimus etiam, quantum opus sit, ut possimus tandem cognoscere, qualis sit ipsa formalis regula, per quam nostræ morales operationes formaliter, ac proximè regulantur.

210. De utraque autem regula secunda (sicut de ipsa quoque morali operatione) illud est apud omnes indubitabile, totam scilicet ipsarum rectitudinem petendam esse ex conformitate cum prima regula honestatis moralis, idest, voluntate divina, ita ut ea sit unicè regula recta, quæ regulæ primæ concordat; quæ verò ab illa discrepat, recta non sit, immò neque sit regula propriè loquendo, quia regula non recta non nisi voce tenus, & abusivè tantum dicitur regula, juxta illud Bernardi, *Alioquin regula jam non est regula, quia non recta.*

Bern. in
Apolog. c.
2.

211. His positis, compertum est, & extra omnem controversiam positum, non omnem opinionem, vel estimationem nostram, quantumcunque probabilis, immò, etsi certa, ac evidens nobis videatur, ef-

se regulam rectam operandi, & contraria assertio error est longè turpissimus, & stultissimus, qui nullum sub his terminis Catholicum Auctorem pro se habeat, illo tantum excepto Recentioris Probabilissimi numero Apologista, Utrum verò ex doctrina Recentiorum per sequelam legitimam deducatur, alibi à nobis fuscè, & accuratè tractandum est.

212. Præterea certum etiam debet esse, non quamcunque opinionem unius, vel alterius, quin neque plurimorum, quantumcunque gravium DD. (non loquimur de SS. Ecclesiæ PP.), etiam à nullo alio de improbabilitate notatam, assumi generaliter posse sine ullo ulteriori examine, ut sufficientem agendi regulam. Et assertio contraria Recentioribus familiaris (sed non satis considerata) innumera, & ingentia probat absurda, nimiamque, ac miserabilem in populum Christianum morum laxitatem inducit. Unde constat, vulgarem non paucorum Confessariorum, ac directorum conscientiarum, praxim apud æternum Judicem tolerandam non esse, sed procul omnino dubio damnandam, quippè quæ innumeras animas perdat.

213. Est igitur controversia potissima, utrum opinio qualibet gravium Doctorum stans pro libertate, contra legem, æquè, aut minus probabilis operanti (dummodò practicè probabilis sit in sensu Probabilistarum) sit tuta, & recta regula agendi? Affirmant Theologi moderni communiter post Medinam, recētis Probabilissimi primum parentem, & inventorem. Sed non omnes procedunt eadem viâ; quidam enim supponunt, ac contendunt, neminem uti posse aliqua opinione benigna (idest, libertati favente), quam actu non judicet veram iudicio absoluto, ac directo, de honestate objecti, quod eligit: quia tamen censent, posse intellectum ex libera electione voluntatis opinari absolute, & judicare veram partem illam contradictionis, quæ

Author Regulae moralium cum Crissi de Probabilitate. 2. Par. 94. n. 169.

quæ pro priori ad omne iudicium apparet ipsi minùs, aut æquè duntaxat probabilis; idèò absolutè docent licitum esse amplecti objectum minùs, aut æquè tantum probabiliter bonum antecederet ad proprium assensum. Hæc tamen via singularis est, uniusque, vel alterius tantummodò.

214. Communis itaque Recentiorum sententia docet, licere amplecti opinionem directam æquè, aut minùs probabilem operanti objectivè solummodò in intellectu ipsius existentem, & nihil absolutè iudicando de intrinseca objecti honestate; quin immò etiam actu iudicando, objectum esse intrinsecè inhonestum; sic enim docent multi cum PP. Vazquez, & Sanchez, quos imitatur etiam Terillus inter modernos facile princeps. Quare hi Recentiores, qui Reflexistæ iure appellantur, ut elicere possint ultimum conscientiae dictamen, sive iudicium practicum proximè, & immediatè operationis directivum de absoluta honestate objecti, sine quo nemo potest honestè agere, coguntur necessariò recurrere ad principia quædam reflexa, (idest ad illa eadem argumenta, quibus suam sententiam probant), per quæ operanti licitum fiat id, quod actu directè iudicat esse illicitum, vel potest saltem proximè iudicare, quia saltem videt esse verosimilius, quod re ipsa illicitum sit. Vix credet, qui simpliciter noverit legem Dei. Sed hæc est ars hodiernæ benignitatis.

215. Prior igitur via Recentiorum, seu modus propugnandi sententiam suam (quam benignam appellant) penitus est dependens ab illa philosophica opinione, quæ adstruit proximam, & immediatam intellectus indifferentiam ad opinandum æquè, vel minùs probabilia. Hujus verò opinionis ipso junioris Probabilismo, & satis modicæ auctoritatis, quippè quæ sit non modò contra veteres omnes Philosophos, & Theologos cum Aristotele, & D. Thoma,

sed etiam còtra plures præcipui nominis Recentiores, etiam ex ipsis Probabilistis, aliunde verò levibus innixa rationibus, & paritatibus importunis: hujus, inquam, novæ opinionis falsitatem, nimium apertam usque ad satietatem ostendimus, & prolixius fortassè, quam oporteret.

216. Præterea: assensum illum præstitum parti minùs, aut æquè duntaxat probabili, quanvis physicè, aut metaphysicè possibilis admitteretur, non fore tamen verè prudentem, adeòque nec verè probabilem, sed potiùs manifestè imprudentem, & contra omnem rectam rationem, non semel, neque uno tantum in loco, sed pluries etiam ostensum est. Quo non tantum ille directus, & singularis Probabilismus dissectus prorsus manet, atque contritus, verum etiam reflexus, atque communis, notabiliter saltem enervatus; immò prorsus etiam everfus: quomodò nanque poterit operans opinionem directam, quam intendit amplecti, iudicare verè probabilem, id est verè prudentem, & conformem rectæ rationi (prout omninò opus est ad rectam conscientiam formandam), si nequeat illam veram iudicare? Ne id ex ipsis terminis evidenter repugnat; nisi cui fortè prudentiam sapiat, scienter veritatem deferere, & veritatem de honestate morali: quod certè si prudentia sit, optandum foret, neminem esse prudentem.

217. At nos mirabile, atque subtile benignæ Theologiæ artificium, capere nunquam possumus, neque *mysterium* ejus arcanum aliquis nostrorū assequitur, & idèò non modernum Probabilismum, sed aerem ubique verberamus.

Nimirum Recentiores non docent, neque in eorum mentes ascendit, opinionem illam directam esse regulam proximam conscientiae, aut immediatè actionis directivam, sed mediatam duntaxat, atque remotam;

ram; quæ tamen fundet plurima reflexa principia, certa moraliter, & evidentia, ex quibus tandem legitime eliciatur ultimum conscientiae dictamen de absoluta honestate actionis, moraliter certum, & evidens (quin etiam metaphysicè juxta Recentiores quàmplures), quod sit formalis, proxima, & immediata, ipsius actionis directio, adeoque proxima conscientiae regula, infallibilis utique, & evidenter recta.

218. Principia verò ejusmodi duo præcipua sunt: alterum, quod appellant rationem à priori, & veritatem lumine rationis notam: nempe, *Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter operatur*: alterum autem, & ipsum evidens, *in dubio de honestate operationis melior est conditio libertatis possidentis*. Ex his principiis facile Recentiores eliciunt dictamen ultimum certum, & evidens de absoluta honestate actionis. Nam, qui utitur opinione directa, etiam æquè, aut minùs probabili, verè sequitur opinionem probabilem, ut ex ipsa hypothesi constat: ergo prudenter agit, adeoque laudabiliter, & honestè. Rursus in eadem hypothesi lex prohibens actionem non est certa, sed dubia: at homo in dubio isto possidet libertatem suam ad faciendum quidquid libuerit: ergo licitè potest eligere partem benignam, & recusare obligationem legis.

219. Sed vide precor evidentiam istam. Nemo prudenter agit, neque jus ullum possidet ad agendum, dum non conformatur actionem suam cum regula moralis honestatis, idest, cum voluntate, seu lege Dei, nisi dicant esse prudentiam, & jus legitimum libertatis humanæ, contemnere divinam legem. At quisquis sequitur opinionem directam, æquè, aut minùs probabilem contra legem, non conformatur actionem suam ad ipsam legem, seu voluntatem Dei: cum regula objectiva, quæ utitur, non sit conformis eidem legi, sed magis positivè difformis, aut

indifferens saltem, & omnino præscindens ab omni positiva conformitate, vel oppositione cum lege. Igitur non prudenter, aut ex jure legitimo, sed imprudenter potius, & iniquè operatur. Nonne dictamen hoc evidenter est evidentiùs?

220. Reponunt, verum esse, actionem procedentem ex opinione illa minùs probabili non conformari cum lege Dei antecedenti, sive directa: fallum tamen non conformari cum prima regula moralis honestatis, idest, cum alia lege, seu voluntate consequenti, sive reflexa. Uti que opinio illa directa æquè, aut minùs probabilis operanti, sicuti dicta principia reflexa, sic etiam fundat infallibiliter aliam voluntatem in Deo, quæ ex prædictæ opinionis suppositione reflexè, & consequenter approbat, aut permittit actionem procedentem ex illa; cui voluntati, & ultimum conscientiae dictamen, & actio ipsa ex illo proximè regulanda, positivè, & formaliter conformantur.

221. Et hoc est tertium principium reflexum potissimum etiam, & evidens, quod cum illis duobus indivisè connectitur, aut in eisdem intimè imbitur. Quavis, ut verum fatear, non facile explicabunt Recentiores, an reliqua principia reflexa antecedit, an subsequatur; neutrum enim videtur dici posse in via Probabilistarum, licet illud sit certum apud ipsos ab hoc magno principio (quod est mysterium novi Probabilissimi) reliqua omnia omnino dependere. Verum de loco, & ordine, quem habeat, parum nos solliciti sumus: quocunque nanque in loco constituatur, idem artificium resultat, idest, verè sophisticum, & inane.

222. Porro, si legem Dei per se, & antecedentem, nemini contemnere licet, ut fides, & ratio suadet, per nullam voluntatem Deus probare potest usum opinionis directæ minùs probabilis operanti de honestate intrinseca actionis; etenim ejus-

mo-

modi usum fore contemptum prædictæ legis, planè convincit argumentum nostrum, ad quod nihil respondent Recentiores. Quid enim precor facit novæ hujus legis inventio, aut alia quævis reflexio cogitabilis, ad hoc ut illa opinio, & operatio ex illa procedens, conformetur cum lege Dei antecedenti, sive directæ? An non omnes ejusmodi reflexiones affirmant, aut supponunt, opinionem directam esse minus probabilem, adeoque non conformem legi directæ, sed eidem potius contrariam? Igitur impedire non possunt, quominus operans necessariò videat, & rogatus fateri debeat, se post quæsitam omnem reflexionem, etsi millenas insuper reflexiones adjiceret, non agere cõformiter ad legem Dei directam, sed illam potius voluntariè contemnere. Quid ergo Recentiores frustra desudant novis, ac inauditis reflexionibus adstruendis contra veritatem apertam, & ipsa luce meridiana clariorem?

223. Reflexant ergo semel supra mysterium suarum reflexionum, quod nos nō intelligere conqueruntur, & videant, quanti debeat Probabilissimus ipsis stare, si eundem adhuc sustinere cõtendant. Alterum è duobus dicendum ipsis est: vel licere contemnere legem primariam, seu directam Dei, & hoc ipsum Deum probare per voluntatem suam reflexam, quod horrenda blasphemia: vel nullam esse legem directam, sed omninò deficere re ipsa, & quoad substantiam, hoc ipso quod existat opinio aliqua, etiam minùs probabilis, & falsa, affirmans ejus legis defectum; quod adeò est falsum, implicatorium, & à sæculis inauditum, ut non solum dici non possit, se neque ab aliquo cogitandum videatur.

224. Sed nostra nos cogitatio fefellit: quia nihil cogitatu adeò incredibile videri potest, quod non Terillus excogitaverit ad benignam sententiam propugnandam. Fatetur ergo verum nostrum argumentum

concludere, ideòque necessariò dicendum, legem reflexam, & consequentem Dei (adeoque, & reliqua principia reflexa) nulla ratione coherere posse cum lege antecedenti, atque directæ, sed eidem opponi contradictoriè. Unde, cum quælibet opinio directæ, etiam minùs probabilis contra legem, fundet, & inferat infallibiliter legem reflexam, & consequentem, qua Deus omnibus absolutè permittat, & positivè probet, tanquam honestum, objectum præfate opinionis, seu (quod eodem redit) usum illius, idest, actionem ex illa procedentem; consequens est, ut in ea hypothefi lex antecedens, ac directæ Dei, quæ verè objectum illud prohibebat antecesserit ad illam opinionem, re ipsa, & quoad substantiam necessariò deficiat, nec ullam habeat vim obligandi, quandiu præfata opinio persistat. Rem incredibilem!

225. Quod si à Terillo quæras, unde fieri possit, ut lex, etiam vim ipsam obligandi deperdat, quam habebat antecesserit, per id præcisè quod denuò insurgat opinio aliquorum Doctorum, etiam minùs probabilis contra ipsam? Respondet legem re ipsa deficere, totamque vim obligandi deperdere ex defectu promulgationis requisitæ ad valorem legis; nam quoties est probabile legem non obligare, aut non existere, lex non est sufficienter promulgata: lex verò sufficienter non promulgata nullam habet ex se virtutem, aut efficaciam ad obligandum, ut concors est Doctorum sententia. Ecce basim recentis Probabilissimi, & fundamentum fundamentorum, in quod cætera omnia resolvuntur, ut controv. 6. toto art. 1. patenter demonstratum est, & constat, vel ex proximè dictis. Loquuntur verò Recentiores, ut patet, de stricta, ac propria promulgatione, quæ sola spectat ad substantiam legis, alioqui nihil dicerent, sed absurdè principium peterent.

Prin-

226. Principium autem hoc, & fundamētum unicum Probabilismi, quale re verà sit, per totam illam cōtroversiam sextam panē ad pudorem nostrum ostendimus. Utrique nullum penitus pro se habet auctore præter Terillum ipsum, & Recentiores affeclas ejus apertè sibi ipsis cōtradicientes; sed evidenter pugnat cum certa, atque communi Theologorum omnium doctrina quam Recentiores ipsi passim docent, supponuntque, extra, immò & intra controversiam illam. Immò, quod durius est, videtur manifestè contradicere, Deo ipsi jubenti, & statuenti Deut. 17. ut dum variant judicia, & opiniones hominum, ac magistrorum, ulterius veritatem quæramus, propriumque legis sensum investigemus. Id verò quæ ratione præcipi posset, si verum foret Recentiorum principium? Foret plane stultum præceptum.

227. Ejus item principii falsitatem apertam ex certis, ac communibus solidæ Theologiæ principiis, quin etiam ex doctrina ipsorum Recentiorum admodum patenter evicimus, innumeraque absurda non toleranda legitime ex illo concludi, tum ibidem, tum hic per totam controversiam, evidenter, & latè monstratum est, ut non solum ab omnibus falsum haberi, sed & nimis mirabile videri debeat, quod quisquam de re ista quæstionem moverit ante Terillum nunquam auditam.

228. Hoc verò fundamento destructo, totam moderni Probabilismi machinam cum suis omnibus artificiosis, atque subtilibus reflexionibus uno simul impetu ruere, & solo penitus coæquari, meritò, vel Terillus fatetur. Nempè demonstratio desumpta ex principiis à nobis stabilitis, de quibus nemini liceat dubitare evidentem ipsius falsitatem clarè, & convincenter concludit.

229. Cæterum, etsi omnium reflexionum, ac principiorum Probabilismi fallax, & inanis inventio to-

ta simul sit demonstrata per everfionem fundamenti prædicti, placuit attamen nobis tria illa potissima memorata, quibus Probabilistæ maxime fidunt, seorsim etiam examinare, & in se ipsis diligentius inspicere, ut multiplice ex capite luculentius omnibus pateat, ex qualibus principiis Recentiores demonstrationes illas conficiant, quas fidentissimè ubique jactant, & quibus sententia benigna, ad tantam certitudinem evecta est, ut meritò potuerit à Caramuele, etiam inimpugnabilis absolutè, vel saltem (ut Terillus modestius temperat) inexpugnabilis dici, ac censeri.

230. Ergo demonstrationem à priori, quam Recentiores omnes eliciunt ex illo vulgatisimo proloquio, *Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter operatur*, extenso etiam ad opinionem æquè, aut minus probabilem operanti, esse re verà claram petitionem principii, & inane quoddam sophisma, contra evidentem doctrinam Augustini, mille equivocationibus, falsitatibus, & absurditatibus plenum, quodque nō aliud demum legitime concludat, quam licere contemnere voluntariè, & sciènter legem Dei, adeoque peccare formaliter, per totam controversiam, octavam nisi satis ostendimus, & evicimus, nullam, Lector, à te fidem deprecemur. Tantundem insuper de regula illa, *In dubiis prævalet libertatis possessio*, extensa ad omne dubium de directâ honestate obiecti, haud minùs clarè demonstratum est per totam controversiam nonam.

231. Postremum verò Recentiorum principium de lege Dei reflexa, ac subsequenti, quæ moderni Probabilismi totum artificium complectitur, novamque tribuit humanis actionibus, etiam de se inhonestis, moralem honestatem, quale re verà sit, quàm mirabile, quàm solidum, quàm certum, quàm Theologicum, per totam hanc controversiam decimam nimis clarè; ac prolixè, ultra quàm foret opus, fortasse etiam ul-

tra-

ita quam oporteret, demonstratum à nobis est. Nimirum novam istam, & hucusque inauditam legem, apertam nimis contradictionem involvere, neque Terillus ipse, ejusdem legis auctor, & inventor, ulla ratione negare potest, cum ipse manifestè, & expressè, utramque doceat contradictionis partem, ut productis verbis ipsius, ad oculum ostensum est. Præterea tot ingentia monstra, & absurda, ex illa manifestè sequuntur, ut nihil maneat in Theologia firmum, nihil vel honestum, vel turpe, si lex illa subsisteret, reputari deberet.

232. Illud autem horrendum monstrorum omnium monstrum, vel auditu non tolerabile: quod, quasi non sufficeret ad indulgentiam libertatis humane facere homines sui juris solius, & exemptos ab omni subjectione, ac naturali subordinatione ad voluntatem, & legem Dei, constituendo per novam istam legem, judicia, & opiniones ipsorum hominum, etiam minus probabiles, etiam falsas, regulam honestatis moralis ab omni dependentia, & subordinatione absolutam: quasi parum, inquam, hoc esset, Deus ipse præterea verè subjicitur humanis opinionibus, & erroribus, ita ut sapientia, & voluntas Dei subsequi necessario debeat, & probare, tanquam honestum, id ipsum, quod antecederet

reprobabat, ac prohibebat, tanquam inhonestum, ac turpe, quoties homines falso, dummodo probabiliter (ut ajunt ipsi) licitum, & honestum illud esse putaverint: maxime verò, si invincibiliter, quantumvis turpissimè, errent; quin immò, & vincibiliter, ac voluntariè, ut consequentiæ lege coactus affirmare Terillus ausus est; quod non, incredibile tantum, sed neque cogitabile videretur. Hucusque ventum est per mysterium benignitatis Probabilissimi.

233. Denique (quod notandum maxime est) tria hæc prodigiosa, Probabilistarum principia, sicut & reliqua minoris momenti, neque certiora sunt, neque priora ipso recenti Probabilismo, sed cum eodem potius, & ex eodem simul exorta, aut studiosè postea quæsitæ, atque artificiosè adinventæ ad protegendum ipsum Probabilissimum ab adversis oppugnationibus. Adde, quod neque ab ipsis Probabilistis universaliter recipiuntur, sed pleraque saltem eorum à multis ex gravioribus refelluntur, ut suis locis ostensum est, & generaliter adnotatum hic art. 1. toto §. 3. Unde ex hoc etiam capite facile colligere liceat, qualis auctoritatis, qualisque certitudinis, re ipsa sit opinio Probabilistarum, talibus innixa principiis.

ADNOTATIO, ET CONCLUSIO.

234. **A**dmonuimus non semel, nos in hac controversia, consultò discessisse à communi stylo Doctorum illam novissimè disputantium, neque enim necessarium, quin neque expediens nobis visum, est disputare seorsim prius de opinione benigna minus operanti probabili, deinde verò de æquè probabili, aut vice versa: nullum quippe discrimen verum, ac formale reperimus hujus geminatæ quæstionis, deoque neque ullam utilitatem,

sed inutile potius dispendium temporis. Nam, cum ex eisdem principiis utraque resolvatur utrinque, oportet, ut vel ea, quæ in prioris examine dicta sunt, iterum cum tædio Lectoris inculcentur in posteriori, vel si quid ultra novum affertur, æquè faciat re ipsa pro utriusque quæstionis resolutione.

235. Id, qui ad hucusque dicta reflectat, facile verum esse compertiet. Porro argumenta omnia, quibus ostendimus, neminem rectam

N n pos-

posse formare conscientiam, dum opinionem sequitur directam minùs tutam, & simul minùs sibi probabilem, haud minùs efficaciter id ipsum probant, dum opinio, quam operans amplectitur, æquè tantum probabilis ipsi est. Enim verò non minùs in hac hypothefi opinionem, qua utitur de actionis honestate, non potest operans judicare veram prudenter, immò nec imprudenter, atque adeò nec potest actionem suam judicare conformem regulæ primæ moralis honestatis, nimirum legi æternæ, seu voluntati Dei: quam proinde non quærit seriò, & ex toto corde, sed voluntariè potiùs contemnit. Utique legem Dei antecedentem, quam homo quærere per se tenetur ex toto corde, & ex totale mente, ut suas illi conformet actiones, non minùs voluntariè contem-

nit, qui facit id, quod videt esse omninò contingens, & æquè verosimile, quod sit re ipsa contra legem Dei, quàm qui facit, quod videat esse verosimilius, quod re ipsa sit còtra legem; & si quod invenitur utrobique discrimen, illud est penitus materiale, & sub eadem prorsus ratione, quod ad nostrum propositum spectat.

236. Concludamus jam licet ex omnibus hucusque digestis, nullam opinionem directè minùs, aut æquè tantum operanti probabilem faventem libertati contra legem, esse tutam, ac rectam agendi regulam: seu (quod eòdem redit) neminem posse licitè agere cujusvis reflexionis beneficio, vel artificio, id, quod attentis omnibus rationibus directè veritatem suadentibus, agnoscit esse magis, aut æquè verosimile, quod sit re ipsa contra legem Dei.

FINIS LIBRI PRIMI.

